Digitized by Google

6
39 MD
32

Digitized by Google

6
39 MD
32

Digitized by Google

B. VII. 22.

Digitized by Google

Digitized by Google

REFLEXIONES
LITERALES
IN QVINQVE LIBROS
MOYSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

REFLEXIONES LITERALES

IN QVINQVE LIBROS
MOYSIS

Ex Primarijs Eccleſiæ Doctoribus
Deſumptæ

A. D. PETRO PAULO PONTICELLO
CASTRINOVI PROVINCIÆ CAFERONIÆ
ARCHIPRESBYTERO
I. V. D.

SACRATISSIMÆ MAIESTATI
LAVRETANÆ VIRGINIS DEIPARÆ
DICATÆ

LVCÆ, Apud Mareſcand. 1689. *Super. permiſſu.*

Digitized by Google



Digitized by Google

AVGVSTISSIMA

Totius Vniverſi

REGINA

VEteris Teſtamenti periculoſum mare, innumeris vallatum ſcopulis, plurimiſque ſeptum Syrtibus, abſque fidi Palinuri ductu, nulloque fauſti Syderis invocato lumine, ingredi, eſt animi temerè audacis. Duce

Digitized by Google

namque indiget, qui Oceanum ingreditur, niſi imminentibus vel exterreri, vel obrui naufragijs, & à portus felicitate longius aberrare contendat. Id nobis etiam evenit, qui Divinarum amatores litterarum, ſacræ peragimus Sapientiæ pelagum. In quaſnam videlicet difficultates incidimus, quæ Syrtes veluti, tenaciter morantur, iterque præcidunt, quod aggreſsi eramus, cum nautis Fatum commune ſortiti, & pericula! Ad te igitur AVGVSTISSIMA VIRGO, quæ Laureto præſides, & quam contra omnia pericula, velut fidiſsimum Firmamentum, Chriſtianus Orbis adorat, omni fiducia plenus, confugi. Incongruum namquè fuiſſet, in itinere tàm arduo, aliud adiutorium, præter tuum, quærere, cum in eodem Sacri Codicis limine, tua glorioſa geſta recenſeantur. Etenim ſtygium interimis Anguem, & ſuperbum eius caput conteris, licèt

ipſe

ipſe triplici ignita lingua, tartareo tumida veneno, tuo DIVINO CALCANEO inſidietur. Tuo igitur favente Aſpectu, Immaculata Deipara, quinque Moyſis libros percurri. Et ſicut triluſtræ ſervitutis meæ obſequium, tuæ Maieſtati, in Vrbe Roma, impenſum, ſub titulo Rectoris Lauretanæ Eccleſiæ tibi dicatæ, te ſola adivvante, te protegente perfunctus ſum; ita ſacras has paginas, non niſi te ferente opem, non niſi te præbente lumen, ne me tenebræ comprehenderent, me exaraſſe fateor. Quos ergo in hoc opere labores impendi; quas curas ſubivi, Vni Tibi, Præclariſsima, Dei Mater, humilitèr exhibeo, cui debeo meæ, qualeſcunque ſint, mentis opes. Eas tibi reddo quas à te accepi: ob id tantum non contemnendas, quia tuæ ſunt; nihil ſane ducendas, ſi contempleris ut meas. Informe namque, ac rude aurum, è fodinis nuper eductum, me-

um

um imitatur ingenium. Qua illud Luce præſtat, Soli debet, quam illi uberrimè impertivit, dum terræ latuit in viſceribus. Et rurſum Telluri debet aſperitatem, qua turpiter defædatur. Tuum igitur eſt, si quid in hiſce elucubrationibus luminis eniteſcit; & meum, quidquid informe caligaverit.

AVGVSTISSIMÆ MAIESTATIS TVÆ

Humillimus Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus famulus

Petrus Paulus Ponticellus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

REflexiones in quinque libros Moyſis, meo labore ex Lyrano, & Toſtato deſumptæ, tibi exibentur, Amice Lector. Quidquid in iſtis breuitèr, & compendioſè per ſingula capita legeris, in his Auctoribus diffuſè inuenis. Quapropter in meis Reflexionibus nihil meum eſt, neque hoc quod tibi exhibentur, id enim ab Amicis recognoſce. Iſti namque, verecundiam meam, contra ambitionis ſtimulos ferream, ſcripta, quæ mihi ſoli texueram, typis committere, neſcio quomodo, coegerunt. Dicto parens fui, licet mihi probè perſpecta eſſet virium mearum ad hæc peragenda imbecillitas. Cum igitur res ita proceſſerit, hoc unum à me te admonitum patiaris, ut nihil in hoc paruo volumine legas, niſi Sacrum Codicem prius perlegeris. Solent Iuris Conſulti monere lectorem, humanas ſuas leges meditantem, ut prius legat Rubrum, ſi velit intelligere nigrum: ita ego te precor, ut prius Diuini Textus fulgentiſſimum Ruborem conſideres, ut melius poſſis aduertere ad Nigrum mearum Reflexionum. Cæterum hoc mihi, velim, debeas, quod exhilitas mea, in tuæ Pietatis profectum dedit tibi, quid benignus ignoſceres. Vale.

AD PRÆCLARISSIMVM

PRÆSENTIS OPERIS AVCTOREM,

QVI

IN EXIMIA DIVINI PENTATEVCI

Expoſitione,

SIBI NOMINIS IMMORTALITATEM,

&

SACRI VOLVMINIS STVDIOSIS

Permaximam utilitatem paravit.

ANAGR.

PETRVS PAVLVS DE PONTICELLIS

DE CASTRO NOVO.

ANAGRAMMATIS. PVR.

PENTATEVCO ILLVSTRARIS VNDE

POPVLOS DOCES.

AMEDEVS SAMINIATE

Digitized by Google

GENESIS

Liber iſte Hebraicè vocatur Bereſith, hoc eſt in principio, quia ſic incipit. Hebræi namque libris ſuis, ab eorum exordijs imponunt nomina. Græcè autem dicitur Geneſis, ideſt Generatio, vel natura; quia de creatione rerum quæ natura ſubſiſtunt, in eo agitur. Et ſicut generatio rei eſt prima via ad eſſe, ita Liber iſte, quia de exordio rerum ad eſſendum agit, inter Sacras Scripturas principem locum tenet tamquam caput.

CAP. I. Reflexio I.

IN PRINCIPIO temporis adeout, nec hora, nec inſtans præceſſerit creationem rerum, (quia tempus eſt paſsio rei mobilis cum ſit numerus motus; ſubiectum autem præcedit ſaltèm natura ſuam paſsionem; ideoque cum adhùc non eſſet ulla res creata, quæ eſt ſubiectum temporis, non poterat eſſe tempus; & ſolo Deo exiſtente tempus non erat, quia Deus non commenſuratur tempore: quapropter in ipſa rerum creatione tempus incæpit) in cuius primordio creavit Deus Cœlum, ideſt omnia Corpora Cœleſtia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta, licèt adhùc in aliquibus proprietatibus accidentalibus eſſent informia. Et Terram in ſua forma ſubſtantiali diſtinctam

cum aliquibus proprietatibus formam ſubſtantialem neceſſariò concomitantibus; tamèn quantum ad aliqua erat informis. Et ſub nomine terræ comprehenduntur reliqua Elementa in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta. Sub nomine verò Corporum Cœleſtium intelligitur etiam Empyreum, quod ſtatim repletum fuit Angelis Sanctis; diciturque à Piros, quod eſt ignis; non quia ſit de natura elementari; ſed quia convenit cum igne in ſplendore. Eſt enim locus ſplendidus, immobilis, quietus, & aptus contemplationi gloriæ. De iſto non facit Moyſes particularem mentionem, quia loquebatur populo rudi, qui ſolummodò ſenſibilia, & groſſa capiebat. Totum autem, quod erat infrà Circulum Lunæ confuſum prorſus erat: nàm licèt Elementa eſſent producta in ſuis formis ſubſtantialibus, ut prædictum eſt; tamèn non habebant adhùc omnes proprietates accidentales ſibi debitas: nàm Aqua non habebat ſuam denſitatem, ſed quaſi vaporalitèr elevabatur per totum ſpatium Aeris, & Ignis, Terramque cooperiebat; & ſic quædam confuſio, & commixtio erat in Elementis, quæ in Tex. nomine Abyſſi denotatur. Græcè enim Abyſſus, idem eſt ac latinè Vorago; & importat profunditatem, & commixtionem, ſeù confuſionem. Dicitur autem in Tex. *Spiritus Dei ferebatur ſuper Aquas*; ideſt Spiritus eius factivus ferebatur ſuper Elementa ſic confuſa. Et aſſimilatur Deus Fabro, qui priuſquàm aliquid agat flectit cognitionem ſuam ſuper materiam, ut iudicet quid agat. Declarat enim Divina Scriptura eo modò quo nos intelligere poſſumus; quia ſicut in naturalibus, ſi viſibile non proportionetur potentiæ viſivæ numquam erit viſio; ſic contingit in intelligibilibus. Deus autem eſt ſupremum intelligibile excedens totalitèr intellectus noſtri conditionem; & ideò numquam intelligeremus operationes Dei, niſi ſcriptura Divina aſſumeret modum rerum inferiorum: qua proptèr de Deo, tamquam de corporeo homine paſsìm loquitur; quia nos, per corporalia magìs intelligimus.

Reflexio II.

Poſt creationem rerum ſecundum formas ſubſtantiales ſequitur earum diſtinctio ſecundum qualitates,& proprietates accidentales. Advertendum eſt autem,quod dies,& nox diſtinguuntur per Lucem,quæ eſt quoddam poſitivum;& per tenebras,quę important privationē lucis;& ideò opus diſtinctionis incipitur à Luce, quia eſt qualitas communis,in qua corpora Cęleſtia conveniunt cum inferioribus,putà cum igne,& aliquibus corporibus mixtis,quæ lucida ſunt. Sicut in generatione naturali inchoatio fit à communioribus formis. Nam ſecundum Philoſophum Embrio priùs vivit vita Plantæ, deindè Animalis, & tandèm Hominis. Adde,quod diſtinctio non apparet, niſi per manifeſtationem: omnia autèm manifeſtantur per Lucem; ideò diſtinctio debuit incipere à Luce. Iſta autem fuit Lux Solis, & fuit informis uſquè ad quartam diem. Diviſit autem Deus lucem à tenebris per motum Solis; nam quando movetur ſuper unum Emiſpherium fiunt tenebræ in alio propter opacitatem terræ, quæ eſt in oppoſito. Appellavit verò Deus lucem diem, quia dies eſt latio Solis ſuper terram, & loquitur de die artificiali. Tenebras autem appellavit noctem; quia ſicut per pręſentiam Solis efficitur dies, ità per ſui occultationem efficitur nox. Notandum eſt autem, quod cum dicitur: *Factum eſt veſpere, & manè dies unus:* loquitur Divina Scriptura de die naturali,qui eſt 24. horarum,& complectitur diem, & noctem. In veſpere namque completur dies artificialis, qui eſt prima pars diei naturalis, & in manè diei ſequentis completur nox, quæ eſt ſecunda pars diei naturalis, & ideò præpoſuit veſperè ipſi manè, ut oſtenderet completionem diei naturalis exprimendo terminos diei artificialis, & noctis, qui ſunt partes integrantes diem naturalem. Dicitur autem in Tex. *Vidit Deus Lucem, quod eſſet bona*, ideſt per effectus, quos ei facere conceſſit, demonſtravit eſſe bonam. Deus enim nō vidit tunc novitèr, quod Lux eſſet bona, nam ab

æterno cognoverat qualis futura eſſet. Sed placuit in exiſtentia, quod placuerat ab æterno in præſentia.

Reflexio III.

IN ſecunda die dixit Deus. *Fiat Firmamentum*, ideſt omnes Orbes Cœleſtes uſque ad ultimum Cęlum Lunæ. Adverte autem, quod iſtud, *fieri*, non intelligitur quantum ad formam ſubſtantialem, quia ſic factum fuit per opus creationis primę diei; ſed intelligitur ſecundum aliquã qualitatem ipſius firmamenti; & iſta, ſecundum aliquos Doctores fuit ſoliditas, de qua dicitur Iob. cap. 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fundati ſunt?* Secundum verò alios, fuit quædam virtus ad influendum ſuper Ælementa ad ipſorum conſervationem, & gubernationem. Quod autem in Sacra Scriptura res aliqua dicatur fieri ſecundum acquiſitionem alicuius diſpoſitionis accidentalis, patet per illud quod habetur in Deuteronomio Cap. 21. de Muliere Gẽtili capta in bello ab aliquo Iſdraelita, de qua dicitur, quod ſi ducenda eſſet in vxorem ab illo, radere debebat Cæſaream ſuam, & circumcidere Vngues, ſecundum translationem noſtram; ſed in Hebræo habetur. *Et faciet vngues ſuos*. Ex quo patet, quod ly. *Fieri unguium*, accipitur pro diſpoſitione accidentali. Item Levit: Cap. 23. dicitur. *Facietis, & Hircum pro peccato*, ideſt immolabitis; & ſic ly. *Facere*: dicit diſpoſitionem accidentalem. Et ideò dicendum eſt hic: quod dum dicitur factum firmamentum, intelligi debet de diſpoſitione quòad qualitatem prædictam, non verò quòad formam ſubſtantialem. Præterea de Firmamento additur. *In media aquarum, & dividat aquas, ab aquis*. Pro cuius intelligentia adverte, quod ſub Cœlo Cryſtallino eſt octava Sphæra, quæ propriè dicitur Firmamentum, ſub qua ſunt Sphæræ ſeptem Planetarum, nempè Saturni, Iovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ; itaquod Sphæra Saturni eſt immediatè ſub octava Sphæra ſuperior omnibus alijs. Sphæra autem

Lunæ eſt inferior omnibus, cui immediatè coniunguntur Elementa: ex quo patet,quod Firmamentum, proùt includit Sphæras ſeptem Planetarum medium eſt inter Cœlum Cryſtallinum, & Elementa, quæ nomine aquarum deſignantur, ut ſupra dictum eſt;ideòque firmamentum,in tota ſua latitudine ſumptum, verè dividit aquas ab aquis; ideſt Cryſtallinas ab Elementaribus. Dicuntur autem hic aquæ æquivocè, quia illæ, quæ ſunt ſuper firmamentum ſunt de natura Cœleſti, & perconſequens incorruptibiles; & vocantur Cryſtallinæ à ſimilitudine Cryſtalli propter ſuum eſſe lucidum.

Reflexio IV.

IN tertia die diſtincta fuerunt Elementa per hoc, quod aqua accepit à Deo denſitatem ſibi debitam,& ſic occupavit minorem locum dimittendo ſpatium aeris. Item per hoc,quod virtute divina factę fuerunt concavitates in ipſa terra,ubi recepta fuit pars aquarũ,& ſic apparuit terra diſcooperta aquis ad habitationem hominum,& animalium. Dedit autem Dominus virtutem germinandi terræ: & quia quodlibet individuam in his inferioribus corruptibile eſt, voluit Deus ut illud, quod in ſe perpetuari non poteſt, perpetuaretur per generationem in ſuo ſimili. Adverte autem, quod licet in Tex. fiat ſolummodò mentio de aqua, & terra; tamen intelliguntur alia duo Elementa, Aer, & Ignis; ſed quia talia non poſſunt à nobis in ſuis Sphæris videri, non expreſſit Mòyſes iſta populo rudi: maximè quia eius intentio non erat dare cognitionem Iſraelitis de omni genere creaturæ; ſed ſolum dicere, quod Deus creaſſet omnia, quæ erant. Et quia Iudæi putabant eſſe ſolum illa, quæ videbant, ideò de ſolis Elementis viſibilibus expreſſit. Sed hic poteſt alicui videri, quod productio plantarum, & herbarum, de qua hic dicitur, pertineant ad ſextum diem, ut infra Deo dante dicetur. Pro qua difficultate ſolvenda. Adverte, quod ornatus accipitur ex ſimilitudine in hominibus, in quibus propriè non perti-

nent ad ornatum ea,quæ inſeparabilitèr adhærent corporibus humanis; ſed illa ſolùm,quæ poſſunt apponi, & auferri,ſicut Veſtes, Monilia, & cœtera. Plantæ autem, & herbæ, immobilitèr adhærent terræ; ideòque non ſunt propriè illius ornatus, & per conſequens non pertinet hoc ad opus ſextæ diei, ſed tertiæ, quando nimirum terra apparuit arida.

Reflexio V.

IN quarta die ponitur ornatus corporum cœleſtium. Notandum eſt autem, quod ſicut ad ornatum hominis pertinent illa, quæ ſunt ſeparabilia; ita quoque paritèr ad ſimilitudinem huius in Firmamento Cęli dicuntur pertinere illa, quæ habent proprium motum ſecundum rem, vel ſaltem ſecundum apparentiam. Septem autem Planetæ habent proprios motus diſtinctos à motu Firmamenti. Stellæ verò fixę, licèt non habeant proprium motum, ſed moveantur motu primi mobilis,tamen quantum ad apparentiam ſenſus, deprehenduntur moveri. Non ſic autem motus corporis firmamenti; ſed ſolum arguitur ex motu Stellarum: & quia Mòyſes loquebatur rudi populo, qui tantum ſenſibilia capiebat; ideò non ſolum Planetæ, ſed etiam Stellæ fixæ deſcribuntur pertinere ad ornatum firmamenti, licèt iſtæ in firmamento propriè dicto ſint firmitèr adherentes. Fecit igitur Deus duo Luminaria magna; unum ut præeſſet diei; aliud nocti, & Stellas. Aliter tamen dicuntur eſſe in firmamento Stellæ fixæ, & Sol, & Luna, & reliqui Planetæ. Nam Stellæ fixæ ſunt ibi immobilitèr; Planetæ vero habent proprios motus, & proprios orbes; & ideò non ſunt in Firmamento niſi largè, quatenùs Firmamentum continet ſub ſe Orbes planetarum. Adverte autem, quod iſtud, *fieri*, non intelligitur quantum ad ſubſtantiam Luminariorum, nec quantum ad lucem, quæ fuit aſſignata Soli in ipſa prima rerum creatione, & per ipſum alijs Corporibus Cœleſtibus, quæ ab ipſo illuminantur; ſed intelligitur quantum ad quandam informationem,

ctionem huius Luminis, quod fuit informè uſque ad quartam diem; tunc enim accepit à Deo virtutem influendi ad varios effectus in inferioribus, quæ etiam communicata fuit alijs Corporibus Cœleſtibus. Senſibilitèr namquè percipitur, quod radij Solis, & aliorum Corporum Cœleſtium habent diſtinctos, & varios effectus circa inferiora. Prætereà deſerviunt homini, inquantum faciunt viciſſitudinem temporis ad operandum, & quieſcendum, & ad viſum, qui eſt directivus in humanis operibus, & maximè utilis ad perfectam rerum cognitionem, ex primo Metaph.

Reflexio VI.

IN quinta die ponitur ornatus Elementorum, in qua Elementa media ornata fuerunt, videlicèt Aer, & Aqua; Quandoquidèm Ignis non habet ullum ornatum, quia tantæ activitatis eſt, quod in eo non poſſet aliquod animal vivere. Ad ornatum autem prædictorum Elementorum pertinent illa, quæ moventur in eis, videlicèt Aves, & Piſces, qui non ſunt formati de ſola aqua, ſed de quatuor Elementis, licèt ſola aqua exprimatur propter quandam convenientiam cum iſtis animalibus; habet enim aqua humorem, & vaporem. Per humorem convenit cum Piſcibus; & per vaporem, qui ſurſum elevatur, convenit cum Avibus. Prædictis autem animalibus benedixit Deus: quæ benedictio fuit ordinatio ad multiplicationem individuorum, per commixtionem Maris, & Fœminæ. Porrò Aves, & Piſces non ſunt producti ex aqua activè, ſed à Deo; ex Elementis autem ſolum paſſivè in genere cauſæ materialis. Nominantur autem hic in Tex: Cete grandia, ideſt Balenæ. Et dicunt Iudæi, quod iſti Piſces ſi fuiſſent multiplicati devoraſſent omnes alios, & Mare fuiſſet innavigabile; nèc erubeſcunt aſſerere, quod poſtquam Deus creavit iſtam ſpeciem in utroque ſexu, occidit femellam, quam reſervat in cibos Beatis in vita immortali, & æterna. Vnde iſti obte-

Digitized by Google

nebrati ponunt felicitatem hominis in guſtu, quod paritèr turpiſſimi aliqui Epicurei fecerunt, ſed non veri, & magni Epicurei, quos Ariſt. pr. Ethic. viros graviſſimos vocat; ſed illi ſolum,quos,ut turpiſſimos gulę ſectatores,abiecierunt Philoſophi: Hanc ſtultam poſitionem tenent Agareni; qui Beatos in vita æterna rivis Lactis, & Mellis,& delicijs Puellarum aſſerunt delectari,ut patet ex traditione ſui Alcorani. Gentiles autem Philoſophi,ſequentes evidentiſſimum rationis lumen, poſuerunt perfectam hominis felicitatem in ſuperiori parte animæ; ſed differunt à veritate catholica, quia ipſi in hac vita; nos autem in alia advenire dicimus, cum videbimus Deum ſicuti eſt, eoque fruemur.

Reflexio VII.

Antequam ad ulteriora procedamus pono brevitèr aliam Sententiam circa creationem rerum, quia eſt celebris; licèt non tam communis, quam illa, quæ ponit omnia Corpora Cęleſtia,&Elementa eſſe ſimul creata in ſuis formis ſubſtãtialibus,ut ſupra diximus. Hæc autem ponit creationem rerum ſucceſſivè, prout ſonat littera. Auctores igitur talis Sententiæ dicunt: quod Deus creavit Cœlum, ideſt Empyreum cum Angelis ſimul: & terram, videlicèt materiam omnium corporum, quæ ſunt ſub Empyreo; quæquidem materia producta fuit ſub una forma communi corporeitatis; propterea nominatur diverſis nominibus, utpotè abyſſi, & aquæ. Erat autem inanis, & vacua, quia adhuc non erat per formas ſpeciales diſtincta. Lux autem prima die facta, quædam nubes lucida fuit de ſuperiori parte materiæ communis formata, quæ Nubes motu ſuo faciebat diem, & noctem uſque ad quartam diem, in quo factus eſt Sol, licèt imperfectiori modo reſpectu Solis. Sicut enim in generatione naturali eſt proceſſus ab imperfecto ad perfectum, ità fuit in productione rerum, non propter imperfectionem Agentis, ſed ad oſtendendum ordinem Sapientiæ

pientiæ ſuæ. Dum autem dicitur. *Fiat Firmamentum*, iſtud, *Fieri*, accipitur quantum ad formam ſubſtantialem, quia de una parte materiæ prædictæ factum eſt ſecundum formam ſpecificam Cœli ſiderei; in qua productione intelliguntur etiam producti ſeptem Orbes Planetarum, qui ſub nomine firmamenti latè ſumpti, comprehenduntur. De ſuperiori verò parte illius materiæ communis factum eſt Cœlum cryſtallinum, quantum ad formam ſubſtiantialem, ſecunda die. Sub Firmamento autem, proùt continet Orbes ſeptem Planetarum, remanſit materia communis, ex qua facta ſunt elementa tertia die, quæ quidem materia deſignatur nomine aquæ; & ſic patet quomodo ſecunda die factum ſit Firmamentum in medio aquarum; ideſt inter Cœlum cryſtallinum, & materiam Elementorum. Similiter quarta die fuerunt facta Luminaria Cœli quoad formas ſubſtantiales ſpecificas; adeoùt Sol factus fuerit ex illa nube lucida, quæ tribus præcedentibus diebus fecit motu diurno diem, ac noctem. Luna verò, & reliqua luminaria fuerunt facta ex aliqua parte ſuorum Orbium. In reliquis autem diebus ponuntur ornatus elementorum. Et hæc breviter dicta ſint pro iſta ſententia.

Reflexio VIII.

IN ſexta die fuit ornata terra animalibus, quæ ſignificantur per animam viventem, quia res denominatur à forma; poſt quorum productionem, ponitur formatio hominis, in illis verbis. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Et nota, quod de omnibus animalibus, & plantis dicitur. *Producat terra*, quia nimirum de potentia materiæ diſpoſitæ educitur eorum forma; non ſic autem eſt de anima intellectiva, quia non eſt ex ſemine per generationem, ſed immediatè à Deo per creationem. Et quia ſecundum Philoſophum ille dicitur generare compoſitum, qui formam coniungit materiæ, cum Deus ſolus poſſit

poſſit animam creare, & creatam ſolus unire corpori, ipſe dicitur propriè producens hominem. Duo enim ſunt ſupra potentiam naturalium cauſarum in hominis generatione: nempè creatio animæ, & formalis ipſius unio corpori, itaùt ſit forma ſua: nam ſi anima ſepararetur à corpore per mortem, licèt poſteà permiſſione Dei applicaretur corpori relicto ut motor; tamèn non poſſet uniri formalitèr corpori, niſi Deus per ſuam omnipotentiam uniret illam. Quà propter, reſuſcitare mortuum, cum ſit unire animam corpori, eſt potentiæ infinitæ, & perconſequens proprium ipſius Dei. Ex dictis infertur, quod magìs propriè Leo generat Leonem, quam homo hominem. Nam Leo præbet materialem partem, quam diſponit agendo ut educatur de potentia materiæ forma Leonis: nec requiritur actio Dei, inquantum eſt cauſa ſupernaturalis, sed ſolummodò, inquantum eſt cauſa ultima in connexione cauſarum naturalium. Expreſſit igitur Deus ſuam actionem ſupernaturalem in creatione hominis, dum protulit iſta verba ſcilicèt. *Faciamus hominem*, quaſi una Perſona divina loqueretur ad aliam: tota enim Trinitas individuè operatur ea, quæ ſunt ab extra; secùs autem illa, quæ ſunt ab intra. Nam Pater generat; ſed non Filius; & Pater, & Filius ſpirant, ſed non Spiritus Sanctus. At perverſi Iudæi, volentes impiè fugere Sanctiſſimam Divinarum Perſonarum Trinitatem dicunt, quod, ly, *Faciamus*, eſt Verbum Dei ad Angelos. Sed hoc patet falſum; quia Angeli non cooperantur Deo in creatione animæ rationalis, cum creatio ſit infinitæ potentiæ, quia eſt ex nihilò, & perconſequens proprium ipſius Dei. Et ideò dicendum, quod per hæc verba denotatur pluralitas Divinarum Perſonarum. Et quia iſta ſtat cum Vnitate ſimplicis Eſſentiæ, ſubditur in ſingulari. *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Imago autem Dei conſiſtit in anima, quantum ad proprietates naturales, videlicèt Memoriam Intellectum, & Voluntatem. Hæc imago, cum ſit homini naturalis, perdi nequit, niſi perdatur ipſa natura. Similitudo

tudo autem conſiſtit in Gratuitis; & ideò ſimilitudo eſt quędam perfectio imaginis, quia gratia perficit naturam; ſcilicèt, quod ſicut Deus eſt Iuſtus, & Sanctus, ità homo ſit ei ſimilis in Sanctitate, & Iuſtitia. Hinc patet, quod ſimilitudo, cum ponatur in gratuitis, & gratuita ſæpè perdantur, ſæpè etiam perditur in homine ſimilitudo Dei. Vide quid agat in homine peccatum?

Reflexio IX.

POſtquam Deus fecit hominem, dedit etiam illi dominium ſuper omnia animantia, & ſuper totam terram, dum dixit. *Et præſit Piſcibus Maris, & volatilibus Cæli, & beſtijs univerſæque terræ*. Iſta autem dominatio, quantum ad actum, ſolum fuit in homine in ſtatu naturæ conditæ, ſcilicèt antequam caderet ab Originali Iuſtitia; quia talis fuit homo in ſtatu naturæ conditæ, ut quandiù permaneret in obedientia ipſius Dei, inferiora obedirent illi; peccante verò in contrarium verſum eſt; nam animalia omnia repugnant, & adverſantur ad mortem, ut ſicut ipſe non ſtetit ſubditus Deo ſuo, ita nec animalia permanerent ei ſubdita. Quia ergo homo factus eſt ad imaginem Dei, iuſtè obediunt illi inferiora ſecundum naturam inſtitutam; ſed in pœnam peccati, iſta obedientia fuit illi ſubtracta; ſicut & obedientia virium inferiorum reſpectu rationis, & corporis reſpectu animæ. Iſtud dominium eſt homini naturale. Primo, quia imperfecta ſunt propter perfecta, ut plantæ propter animalia, & animalia propter hominem; & ideò ſicut plantæ utuntur terra, & aqua ad ſui nutrimentum, & animalia plantis, & herbis, ità homines animalibus; ideòque iuſtè, & naturaliter præeſt illis. Secundo, quia perfectiora gubernant imperfectiora, ut Angeli homines. Regimen verò ſeù gubernatio eſt per prudentiam, quæ propriè eſt in homine; & ideò animalia omnia ſunt homini naturalitèr ſubiecta; ideòque ius dominandi ſuper omnia animalia Principatu

cipatu diſpotico, & magis quam diſpotico, non fuit homini ſublatum, immò etiam poſt peccatum confirmatum, ut patet infra Cap. IX.

CAP. II. Reflexio X.

Poſtquam deſcripſit Mòyſes hominis formationem, propter quem alia fuerunt producta; hic deſcribit ſtatum, ſeù conditionem illius. Prius tamen dicit, quòd elapſo ſex dierum ſpatio, in quo Dominus produxerat omnia, ſeptimo die requievit; non tàmquam feſſus, quia Deus non eſt virtutis fatigabilis, cum eius virtus ſit infinita; ſed quia ceſſavit novas condere creaturas, & nihil factum eſt poſteà, quod non fuerit factum in operibus ſex dierum, vel in ſuo ſimili ratione ſpeciei, vel in ſuis cauſis. Quod dico proptèr multa genera animalium imperfectorum, quæ paſſim de putredine generantur. Deus enim dedit ſeminarias cauſas iſtorum. Benedixit autem Deus diei ſeptimo; tum quia dedit illi excellentiam inter alios dies applicando ipſum Divino ſuo cultui; tum quia in iſto cunctis rebus univerſalitèr tradidit virtutem multiplicandi. Et inſuper ſanctificavit illum; per quæ verba deſcribitur finis ipſius hominis. Pro quo adverte, quod experientia patet, appetitum hominis non quieſcere in adeptione cuiuslibet boni finiti, ſed ulterius tendit per deſiderium: unde per hoc arguitur, quod finis ultimis ipſius conſiſtit in adeptione boni infiniti, quod eſt ſolus Deus, in quo quieſcit per cognitionem,& amorem ſicut Lapis in centro. Item experimur, quod quantumcumque cognoſcatur Deus ab homine in hac mortali vita per effectus;tamen non terminatur illius deſiderium,donec Deus cognoſcatur per ſeipſum. Ex quo concluditur, quod ultimus finis hominis conſiſtit in viſione Dei; unde Ioan. Cap. 17. dicitur. *Hæc ſt vita æterna,ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Iſta autem beatitudo in præſenti vita quodammodo inchoa-

tur

tur per hoc, quod mens humana elevatur à terrenis, & occupatur in contemplatione ſui Creatoris, in ænigmate tamen. Et ad hoc deputatur ſeptima dies, ut homines vacent à terrenis, & occupentur circa Cœleſtia, contemplantes beneficia creationis, & continuæ conſervationis, ad hoc ut inſurgant deinde in gratiarum actiones pro tantis beneficijs à Divina beneficentia ſibi præſtitis; ut ſic ratio humana, à ſenſualibus cupiditatibus libera, in aula mentis poſſit Divinæ vacare Sapientiæ, ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum in meditationibus ſanctis, & in delicijs lætetur æternis.

Reflexio X I.

FActa mentione de fine hominis ſupernaturali, oſtendit deinde Divina ſcriptura, quod in homine eſt forma non educta de ſemine per generationem; ſed à Deo per creationem, per quam deinde tranſcendit naturam corporalium, & ſic capax eſt ipſius Dei per cognitionem, & amorem: & quia nobilior forma exigit materiam nobiliori modo diſpoſitam, ideò dicitur in Tex. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Hoc autem fuit; tum ad oſtendendum, quod anima hominis eſt ab extrinſeco per creationem, & infuſionem, quia ſimul à Deo creatur, & corpori infunditur; tum quia ſenſus magis apparent in facie, quam in alijs partibus corporis; ſunt enim ibidem omnes quinque ſenſus, ex quorum actibus arguimus animam intrinſecus agentem. Vnde totum quidem corpus animavit; ſed hæc pars ſenſibus magis ornata eſt ad intuenda cœleſtia. Rationali namque animæ naturaliter inditum eſt, ut ſapiat, quæ ſurſum ſunt, hinc quidam dixit.

Pronaque cum ſpectent animalia cœtera terram
Os homini ſublime dedit, Cœlumque videre — Ovid. pr. Metamor.
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Et Cic. 2. de Nat. Deor: ait. Deus homines humo excitatos celſos, & erectos conſtituit, ut Deorum cognitionem, Cœlum intu-

intuentes, habere poſſent. Fuit autem homo formatus de Limo terræ, ad oſtendendum, quod convenit, quantum ad rationem materiæ remotæ, cum aliſs animantibus. Natura verò humana fuit primo producta in uno individuo in ſexu virili tantum, ut ſic eſſet primus homo principium omnium individuorum, & per conſequens totius humanæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius univerſi, ut etiam in hoc eſſet quædam ſimilitudo hominis ad Deum propter dignitatem humanæ naturæ.

Reflexio XII.

FOrmato homine deſcribitur conſequenter illius habitatio pro ſtatu Innocentiæ. Sciendum eſt autem, quod homo factus eſt immortalis nō per naturam, quaſi non potens mori ſicut Angelus, ſed per gratiam, ideſt potens non mori, quia ſervare poterat innocentiam, quam ſi ſervaſſet neceſſitatem moriendi non incurriſſet. Et ideò talis immortalitas non erat per qualitates intrinſecas, quæ redderent illum impaſſibilem, & incorruptibilem, ſicut fiet poſt Reſurrectionem, quando anima communicabit corpori ſuas proprietates, ſcilicèt incorruptibilitatem, & impaſſibilitatem quantum ad electos; ſed erat per remotionem eorum, quæ poterant illum corrumpere; quæ remotio, partim erat ex Divina providentia ſibi aſſiſtente, & præcavente corrumpentia ab extrinſeco, ſcilicèt Vulnerationes, Læſiones, & ſimilia: partim verò virtute animi ſibi divinitus collata, per quam poterat præſervare corpus à diſtemperantia humorum, & ab infirmitatibus inſurgentibus. Inter corrumpentia autem ab extrinſeco unum erat, nempè locus corruptus, ideò Dominus Deus providit illi de convenienti loco quantum ad temperiem aeris, & loci amænitatem aſſignans ei Paradiſum voluptatis; ideſt delicioſitatis. Erat enim ibi omnium bonorum copia, quæ poteſt in terra homini contingere ſecundum corpus; ita ut nihil poſſit optari quod ibi non eſſet. Omnes autem

autem, qui loquuntur de Paradiſo Terreſtri, ponunt illum in partibus Orientis, ſed in qua parte differunt. Dicit autem Ariſt. quod inter duos Tropicos non poteſt eſſe Regio habitabilis propter nimiam caliditatem, nam ibi tranſit Sol bis in anno; ideòque illi, qui ſequuntur hanc poſitionem neceſſe habent dicere, quod Paradiſus Terreſtris ſit extra Tropicos verſus Orientem Æſtivalem, vel Hyemalem. De ſitu autem illius dicendum eſt cum Toſtato hic, & alios D.D., quod Paradiſus terreſtris excedit omnem terræ altitudinem, perveniens uſque ad extremitatem ſuperiorem aeris turbidi, in quo fiunt impreſſiones Metheorologicæ, & ſic ille aer ſuperior valdè ſerenus eſt, cum infra ſe omnia turbida habeat. Ad iſtam altitudinem aquæ Diluvij non pervenerunt; tum quia deſtruxiſſent omnem pulchritudinem Paradiſi; tum quia cum tempore Diluvij iam Enoch tranſlatus eſſet in Paradiſum, illum præfocando interfeciſſent, quod nō licebat. Alij dicunt, quod inter duos Tropicos ſub Æquinoctiali Circulo eſt Regio temperatiſſima; & ſecundum iſtos Paradiſus Terreſtris eſt in Oriente ſub Æquinoctiali. Igitur Adam formatus extra Paradiſum in Campo Damaſceno fuit miniſterio Angelorum in ipſo Paradiſo ductus, ad oſtendendum, quod ille locus non debebatur ſibi ex natura, ſed ex gratia, ſicut & immortalitas prædicta.

Reflexio XIII,

DIcto de Terreſtri Paradiſo explicat ſubſequenter Divina Scriptura conditiones illius magis in particulari dicens: quod Dominus Deus produxit de humo omne Lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, & Lignum etiam Vitæ in medio Paradiſi, ut nimirum fructus arborum eſſent homini ad eſcam, quia habebat vitam animalem cibis indigentem. Lignum autem Vitæ poſitum erat ad impediendam ſenectutem. Pro cuius intelligentia ſciendum, quod ad vitam animalem continuandam prærequiritur cibus,

per quem reſtauratur humidum deperditum per actionem calidi naturalis. Veruntamen iſta reſtauratio non fit per æquivalentiam, ut ait Ariſt. pr. de generat. quia caro generata ex alimento eſt impurior quam prima. Sicut & vinum generatum per aquæ appoſitionem, & converſionem. Nam ſi talis appoſitio continuaretur, vinum fieret aquoſum, & tandem ſpecies vini deficeret. Ita pariter evenit in reſtauratione, quæ fit per alimentum; nam caro generata eſt impurior, & per talem continuationem inducitur ſenectus, in qua carnes ſunt impuriores, undè tandèm deficit vita. Igitur quia homo factus eſt in vita animali, in qua calidum conſumit humidum, indigebat eſu Fructuum de quibus hic dicitur. Sed ad hoc, quod prædicta reſtauratio fieret ſecundum æquivalentiam, & per conſequens impediretur ſenectus indigebat eſu Ligni Vitæ, quod habebat virtutem reducendi ad puritatem carnis primæ totam carnem alimentalem. Rurſus facta nova impuritate per alimentationem, ſumpto de Arbore Vitæ, ſemper reducebatur caro ad priſtinam puritatem. Vndè ſi homo permanſiſſet in ſtatu Innocentiæ, numquam ſenectutem probaſſet. Et quia talis Arbor, per virtutem ſibi divinitùs conceſſam, vitam prolongabat, meritò vocabatur Lignum Vitæ. Hinc Auguſtinus 14. de Civit. ait. Quod in Paradiſo Terreſtri cibus adherat homini ne eſuriret; potus ne ſitiret, & Lignum Vitæ ne illum ſenectus diſſolveret.

Reflexio XIV.

POſt pulchritudinem arborum Paradiſi, deſcribitur conſequentèr copia aquarum; Fluvius enim egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum illum, tùm ad amænitatem loci, tùm ad fructificationem. Dividebatur autèm iſte fluvius in quatuor capita. Nomen uni Phiſon, ſic dictus à fertilitate piſcium, & vocatur iſte fluvius alio nomine Ganges, à Gangete Rege, ſicut dicitur Tyberis fluvius Romanus à Tyberino Rege Hetruſcorum, qui Latium crebris latro-

latrocinijs infeſtans, in eo ſuffocatus eſt, cum antea Abula diceretur. Eſt autem Ganges maximus inter omnia flumina Indiæ, habens in latitudine aliquando quinquaginta ſtadia, & 20. in minori latitudine. Secundus fluvius dicitur Gehon, qui eſt Nilus: diciturque à Nilon, quod eſt limoſum, & ideo totam terram Ægypti, per quam tranſit, multum fœcundat. Tertius eſt Tigris, ſic nominatus à velocitate curſus. Tigris namque eſt animal habens curſum velociſſimum. Quartus eſt Euphrates, diciturque Hebraice, Perath, ideſt fructificatio, quia loca, per quæ tranſit, fructifera reddit. De curſu iſtius fluminis non facit Divina Scriptura ſpecialem mentionem, quia erat unus terminus terræ promiſſionis; & ideo illius curſus erat ſatis notus Hebræis. Sed contra prædicta videtur eſſe: quia origines iſtorum fluviorum inveniuntur extra Paradiſum in regionibus diverſis; ideoque non videtur, quod inde deriventur. Ad quod dicendum, quod frequenter viſum eſt aliqua flumina, licet magna, abſorberi in terræ viſceribus, quæ currentia per terræ meatus per magnum ſpatium, tandem egrediuntur alibi; & ſic videntur ibi primo naſci, cum tamen ipſorum origo ſit aliundè. Hinc Seneca de quæſt. Nat. ponit de Alpheo, flumine Siciliæ, qui à terra abſorbetur, deinde in Græcia renaſcitur, quod ex eo apparet, quia ſi palea, vel Virgæ ſupernatantes in Sicilia ponantur, inveniuntur poſt tractum temporis in Alpheo, in Græcia, ad locum ortus fluminis: & ita dicendum de fluuijs Paradiſi.

Reflexio X V.

PRæparato à Divina beneficentia loco proportionato ſtatui Innocentiæ, poſuit Deus hominem in eo, ut operaretur, & cuſtodiret illum, non opere laborioſo, ſed delectabili, ad experientiam, & exercitium ſuæ virtutis; præcipiens ei ut ederet de omni Ligno, uno tantùm excepto, ſcilicet, Ligno Scientiæ boni, & mali. Per hoc autem præ-

ceptum poſitiuum, Adam tenebatur, ad conſervationem ſui, edere de prædictis arboribus, quia natura animalis conſervatur per cibum; fames autem, & ſitis, pœnalitates ſunt, quæ in ſtatu Innocentiæ non debebant eſſe, ideoque homo debebat cibum ſumere; & cum eſſet valde perfectus in intellectu, poterat cognoſcere, antequam adveniret pœnalitas, quid ei eſſet neceſſarium. Fuit ergo conveniens dari homini præceptum in Paradiſo terreſtri, ut ederet, quia ad hoc non inclinabatur, cum non indigeret. Præceptum autem negatiuum de non comedendo de ligno ſcientiæ, boni, & mali, dedit Deus propter duo. Primo, in recognitionem dominij, ut videlicèt, homo cognoſceret ſe eſſe ſubiectum Deo. Secundo, ut in exercitatione præcepti magis mereretur, per iugem obedientiam Deo præſtitam. Comextio autem fuit prohibita ſub pœna mortis, nam Deus dixit *Inquacumque hora comederis ex eo, morte morieris*, ideſt, incurres neceſſitatem moriendi: unde in Hæbreo dicitur, *Moriens morieris*, quia guſtato Ligno, non ſtatim Adam mortuus eſt, ſed cępit tendere ad mortem; ſtatimque fuit mortalis per neceſſitatem, qui prius erat immortalis per gratiam. Porrò hoc Lignum fuit ſic nominatum ab eventu conſequenti; quia per eſum illius, experimentaliter homo cognovit, quanta diſtantia eſſet, inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ; & inter pœnam quam incurrerat, & bonum quod amiſerat. Licet enim primi parentes ſpeculativè intelligerent malum eſſe non obedire Deo, tamen numquam illud experti ſunt, donec de fructu arboris vetitę comederunt.

Reflexio XVI.

FOrmato homine in individuo, agitur deinde de liberorum procreatione. Ad hanc autem neceſſarium erat habere adiutorium, ideò Dominus dixit: *non eſſe bonum hominem eſſe ſolum*; quia nimirum Adam creatus fuerat, ut multiplicaret per generationem; ideoque non

erat conveniens intentioni Dei, vel ordini Vniverſi, hominem eſſe ſolum; ſed debebat habere adiutorium, cum quo generare poſſet. Prius tamen Dominus adduxit, miniſterio Angelorum, ad Adam omnia animantia, ut per hoc demonſtraretur, quod iſta ſubijciebantur poteſtati illius. Secundo, ut videret, quod in cunctis animantibus, non erat aliquod ſimile ei quod poſſet ſibi dari in adiutorium generationis. Appellavit autem Adam nominibus ſuis cuncta animantia, conſiderando diligenter naturas eorum, de quibus habuit perfectam notitiam, cuius ratio eſt, quia perfectum præcedit naturaliter imperfectum, ſicut principium illius, quia reducit ipſum ad perfectionem: res autem inſtituendæ ſunt non ſolum in ſe ipſis, ſed ut principia ſequentium. Homo verò in mundi exordio, non ſolum erat principium aliorum hominum per generationem, ſed etiam quo ad inſtructionem, in quantum diſcipulus deducitur ad perfectionem Scientiæ per Magiſtrum; & ideo, ſicut in prima productione rerum, Deus produxit alias ſpecies perfectas, potentes ſimilia producere ex ſuis ſeminibus, ita formavit hominem perfectum, non ſolum quantum ad corpus ut poſſet ſtatim generare, ſed etiam quantum ad animam in ſcientia, ad quam poteſt naturaliter attingere, ut ſtatim poſſit docere; ſed illa ad quæ poteſt naturaliter attingere, ſunt omnia illa, quæ continentur in primis principijs per ſe notis, de quibus poteſt intellectus poſſibilis reduci in actum, virtute intellectus agentis; ideo Adam erat in potentia intellectiva perfectus, & ſic cognovit omnia naturalia cum ſuis proprietatibus, & per conſequens, habuit omnem Philoſophiam, Aſtrologiam, cæteraſque Mathematicas diſciplinas. Habuit etiam notitiam omnium animalium, nam appellavit nominibus ſuis cuncta animalia; nomina vero bene impoſita, deſumuntur à proprietatibus rerum. Et quia homo in ſtatu Innocentiæ ordinabatur ad finem ſupernaturalem; ideo habuit cognitionem de ſupernaturalibus, quantum pertinebat ad illum ſtatum.

Reflexio XVII.

SVpra dictum eſt de adiutorio dando Adæ; hìc à Deo formatur, eiuſdem quidem ſpeciei, licet alterius ſexus. Immiſit enim Dominus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit unam de Coſtis eius, & ædificavit Coſtam quam tulerat de Adam, in Mulierem. Adverte autem, quod iſte ſomnus non fuit ex cauſa naturali, nam ſomnus, ſolet accidere ex labore, vel ex repletione cibi, & potus; adeo ùt, non poſſit repletis venis, aſcendere ſpiritus motiuus, multiplicatus de corde per venas ad Cerebrum; tunc enim membra ceſſant à motu, & à ſenſu, & fit ſomnus. Nihil autem horum præceſſerat in Adam, quia nec adhuc comederat, nec biberat, nec laboraverat, ideoque fuit ſupernaturalis. Nec contingit hoc, ut Adam non ſentiret dolorem in ablatione coſtę nam etiam ſi vigilaſſet, non ſenſiſſet dolorem, quia totum fiebat ſupernaturaliter. Sed ſopor iſte fuit in expreſſa figura Chriſti Domini in Cruce dormientis, de cuius latere Eccleſia ſua Sponſa formata fuit, recipiendo Sacramentum redemptionis, & ablutionis in Sanguine, & Aqua: nam per Sanguinem Filij Dei, facta eſt redemptio; in Aqua vero Sacramenta ablutiva ſumpſerunt principium. Etenim in ipſo rerum exordio, fuit etiam principium Myſteriorum. Sed dices: aut illa coſta erat ſuperflua, aut neceſſaria. Si ſuperflua, ergò, primus homo immediatè creatus à Deo fuit monſtruoſus, quod aſſerere eſt inconveniens, cum opera Dei ſint perfecta. Si autem erat neceſſaria, tunc remanſit Adam imperfectus, indigens aliquo ſibi neceſſario, prius habito, poſtea verò amiſſo. Dicendum, quod illa Coſta aliquo modo erat ſuperflua, & aliquo modo neceſſaria. Sicut dicimus, quod ſemen eſt ſuperfluum individuo, ſed eſt neceſſarium reſpectu ſpeciei. Illa enim dicuntur neceſſaria individuo, quæ faciunt ad conſervationem illius in eſſe proprio; & ſic ſemen non eſt neceſſariũ individuo, quia materia ſeminalis,

numquam

nunquam tranſit in ſubſtantiam habentis; imò ſi non emittatur putrefit, & gignit magnos morbos. Quare oportet habentes propoſitum Caſtitatis ſervandæ, abſtinere à multitudine ciborum, generantium materiam ſeminalem. Et quia non poteſt evitari, quin aliquid generetur, laborare oportet, ut per ſudorem emittatur. Eſt tamen ſemen neceſſarium ad conſervationem ſpeciei; ideoque non eſt ſuperfluum, nec reddit monſtruoſum individuum. Sic pariter dicendum, quod coſta illa, Adæ erat ſuperflua, reſpectu conſervationis illius in eſſe proprio; ſed erat neceſſaria reſpectu formationis Hevæ, quia Adam totius humani generis unicum principium erat. Formatio autem Mulieris de Coſta, fuit ſine additione materiæ. Deus enim, qui de nihilo produxit materiam, multo fortius potuit facere de Modica, Magnam, non per additionem materiæ aliunde ſumptæ, ſicut in ſegetibus contingit; ſed per multiplicationem eiuſdem materiæ in ſe ipſam; adeòut ex carne Coſtæ fuit formata Caro, & ex oſſe, oſſa, in tota eorum latitudine: illa enim Coſta, non fuit ſublata de Adam, nuda, ſed cum aliqua carne ſibi adhærente.

Reflexio XVIII.

POſtquam Heva ſumpta eſt de viro, adduxit eam Dominus ad Adam, qui eam videns, ait *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, ex quo patet, quod Adam cognovit ſupernaturaliter formationem Mulieris de Coſta ſua, quia ſopore preſſus, non poterat videre formationem iſtam. Deinde ſubiunxit, *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*: Quod non intelligitur quantum ad dilectionem, ſed quantum ad cohabitationem; quia filius cum eſt uxoratus, ſtatim eſt emancipatus, & habet provideri ſibi, Vxori, & familiæ: deinde ait, *Erunt duo in carne una*, miſcendo, videlicet, ſemen; quia maſculus, & fœmina coniunguntur ad unam carnem prolis procreandam. Inter præcipuas autem cauſas, quare mulier de viro ſumpta eſt

una fuit, ut Vir maximè diligeret Vxorem, quia ut patet 8. *Ethic*: in ordine diligendi; Primus amor, eſt ad ſe ipſum: quapropter, cum homo cognoſceret fœminam ex ſe ipſo ſumptam, diligeret illam, ſicut pater diligit filios ſuos, quia cognoſcit eſſe partes deciſas de ſubſtantia propria. Dilectio autem iſta erat magis neceſſaria in Natura humana, quam in alijs animantibus, inter quæ non aliqua communicatio æconomica, ut patet ex *ſecundo Polit*; & ideo maſculus, & fęmina non commorantur niſi ad generationem, Inter virum autem, & uxorem valde magna communicatio intercedit, & quotidiana; quæ ſuſtineri non poſſet, niſi valde magnus amor eſſet, tollens omnia tædia, quæ naſcuntur in communicatione continuata. Accedit, quod concubitus maris, & fœminæ inter homines, non eſt tantum edere prolem ut ſit, & vivat, ſicut contingit in brutis; ſed ut debita educatione ad perfectum, ſecundum corpus, & animam perducatur; unde *Ariſt.* ait, quod filij à Parentibus tria ſuſcipiunt maximè beneficia, nempe, *eſſe*, *ali*, & *educari*. Iſte autem finis non poteſt modo debito obtineri, niſi per totam vitam Vir, & Vxor arctiſſimo nexu, & amore copulati, vicarias operas ad proles nutriendas, & educandas ſibi invicem præſtent.

CAP. III. Reflexio XIX.

Deſcripta hominis formatione, hic agitur de illius caſu. Dum enim beatam vitam in Tereſtri Paradiſo agerent primi noſtri parentes, inimicus Diabolus ardens invidia conatur eos, non ſolum à temporali, ſed etiam ab æterna deijcere fęlicitate. Igitur mulierem aggreditur, ut per ipſam de Viro triumpharet; & ſerpentem intrat, non quia hoc ipſe elegiſſet, ſed quia ex Divina diſpoſitione, non fuit permiſſus intrare in aliquod animal pulchræ figurę, ſed in uno horribilis ſpeciei, ut ſic

fœmi-

fœmina magis tentationem vitaret. De ſerpente autem dicitur in *Tex*, quod erat *callidior cunctis animantibus terræ*. Sed iſta calliditas principaliter referenda eſt ad Dæmonem, qui in Serpente loquebatur: nam verba ſerpentis, erant verba dæmonis, ut principaliter agentis; ſicut lingua alicuius ſapientis dicitur erudita, quia ab intellectu prudenter movetur. Sciendum eſt autem, quod in ſtatu Innocentiæ non habebat Diabolus poteſtatem tentandi hominem interius, movendo videlicet appetitum ſenſitiuum ad motus illicitos, vel Phantaſiam, per cuius motum, aliquod illicitum proponeret intellectui: quandoquidem, in viribus inferioribus nihil inordinatum contingere poterat, niſi prius deordinata Ratione. Iuſtitia namque Originalis erat quædam ordinatio virium ſubiectarum rationi, nec aliquo modo potentium repugnare, donec ratio repugnaret Deo; & ideo callidus Inſidiator hoc ſciens, incępit ab ipſa ratione. Et quia homo naturaliter eſt multum liber, valdè ei ſervitus repugnat. Servitus autem eſt, quando alicui non licet facere quod vult, & hoc eſt per præceptum maxime negatiuum, quod coarctat imperium voluntatis; ideo quæſivit à Muliere: quare Deus prohibuiſset eis comextionem Ligni, quaſi diceret: Iſtud præceptum non fuit conveniens, cum ſitis liberæ conditionis, & ſuperiores omnibus lignis Paradiſi. Tunc Mulier mota fuit quadam elatione, & inclinata per hoc ad diſplicentiam præcepti, & ulterius ad dubitationem de pœna comminata, quod pertinet ad ſuperbos. Inſuper iudicavit ſe in hoc præcepto gravatam, ideoque reſpondit. *De fructu Lignorum veſcimur, de fructu vero Ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*. Adverte autem quod, ly, *Tangeremus*, addidit mulier de ſuo, ex diſplicentia præcepti; nam ille cui diſplicet mandatum, libenter illud aggravat in referendo. Deus autem non prohibuerat Ligni tactum, ſed guſtum. Similiter illud *ne forte moriamur*, addidit mulier de ſuo, eſt enim adverbium dubitandi; cum tamen Deus aſſer-

tivè mortem comminaſſet. Sed hoc dixit mulier, quia ad diſplicentiam mandati, quod reputatur indebitum, ſequitur dubitatio de pœna pro tranſgreſſione. Tunc Diabolus, cognoſcens Mulierem de morte comminata dubitantem, ſtatim aſſeruit, nullo modo pro illo actu ſecuturam, ſubdens falſam cauſam prohibitionis dicendo, quod Deus ſciebat, quod ſi comederent de Ligno ſcientiæ boni, & mali, aperirentur oculi eorum; ideſt, Intellectus redderetur perſpicacior ad intelligendum, & quod futuri eſſent ſicut Dij. Non dixit autem inſidiator, *Dij*, abſolute; non enim promiſit eis æqualitatem Divinam, quod erat manifeſte erroneum; ſed promiſit quamdam ſimilitudinem, quæ conſiſtit in non ſubijci obedientiæ alterius; & habere quandam excellentiam ſcientiæ in omnibus ſibi expedientibus, ſicut Deus nulli ſubeſt, & omnia dirigit per ſuam ſapientiam. Igitur deordinata ratione in muliere, per ea quæ ſupra dicta ſunt, ſtatim incępit appetitus deordinari, male videlicet appetendo, & ſecundum extimationem, male iudicando, ideoque tulit de fructu Ligni, & comedit. Multipliciter autem Heva peccavit, antequam comederet de fructu vetitę arboris. Primo, in elatione. Secundo, in diſplicentia de Divino mandato. Tertio, dubitando de morte comminata à Deo. Quarto, appetendo inordinatè fructus comextionem. Quinto, eligendo comedere de illo.

Reflexio XX:

HAuſto à Serpente veneno, propinat Heva illud innocenti Marito, imò omnibus filijs futuris. Poſt comextionem namque dedit Viro ſuo de fructu arboris, narrans ei omnia, quæ Serpens locutus fuerat: quæ tamen Adam non credidit: dicitur enim Timoth 2 *Vir non eſt ſeductus, ſed Mulier*, ſeduci autem, eſt, falſa credere, quod fuit in Heva, ſed non in Adam: tamen fuit deceptus aliunde, quia nimirum credidit poſt tranſgreſſionem conſequi veniam, &

ſic

ſic in ſtatu ſuo feliciſſimo remanere. Comedit etiam de Ligno, ne contriſtaret delicias ſuas, videlicèt, Vxorem. Quo perpetrato, aperti ſunt oculi eorum, ſcilicèt mentis, non corporis; prius enim habebant notitiam ſolummodo ſpeculativam boni, & mali; ſed poſt comextionem, habuerunt notitiam experimentalem ſuæ tranſgreſſionis; nam ſubtracta Iuſtitia originali, ſtatim ſenſerunt rebellionem carnis ad ſpiritum, & motum inordinatum membrorum, ideoque cognoverunt, quod ſua nuditas erat verecundabilis, propter partes pudendas. Quapropter *conſueverunt folia Ficus*, ut dicitur in Tex:, ut cooperirent ſuam nuditatem. Et ex hac litera dicunt Rabbini communiter, quod Ficus fuit arbor de cuius fructu comederunt primi noſtri parentes. Cauſa autem huius erubeſcentiæ eſt: quia prædictæ partes magis moventur contra imperium rationis. Anima enim noſtra movet omnes partes corporis ad arbitrium ſuum, quæ non obſtant; pars autem genitalis repugnat imperio voluntatis propter fortem concupiſcentiam veneream: unde voluntas regit omnes alias partes principatu diſpotico, movendo eas ad placitum: partes vero genitales, principatu politico, ideſt, liberali, non qualiter uult, ſed qualiter poteſt, rogando, & ſuadendo. Cum autem anima noſtra ſit valde generoſa, erubeſcit ſe eſſe à tam turpi paſſione devictam; maxime, quia in actu venereo, ceſſat prorſus omnis operatio rationis: teſte Ariſt. 7. *Ethic.* In alijs autem actionibus criminoſis manet aliquis actus rationis, licet non relatus; hic autem tota ratio abſorbetur, & totus homo efficitur caro. Poteſt autem alicui videri non fuiſse conveniens, quod Deus permiſerit hominem tentari, cum ſciret illum eſſe caſurum. Ad quod dicendum eſt: quod Deus ſic adminiſtrat res, quas condidit, ut ſinat illas proprios motus agere; ideòque rationabile, & iuſtiſſimum fuit, hominem dimitti uti libertate arbitrij ſui; maxime cum pro illo ſtatu, poſſet facile tentationem ſuperare. Et ſicut voluit, ipſum per bonos Angelos ad bonum incitari; ita etiam permiſit illum à malis tentari: maxime quia, non habebat

bebat Diabolus poteſtatem tentandi hominem interius, ut ſupra dictum eſt; ſed ſolum exterius, proponendo ſenſui, & ideò in ſpecie ſenſibili apparuit ad hominē tentandum. *Hinc Aug.* 11. *ſuper Geneſim* ait. *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nullus ei malè vivere ſuaderet.*

Reflexio XXI.

SEcuta tranſgreſſione primorum parentum, ſtatim audierunt vocem Domini deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, ut dicitur in Tex. Adverte autem, quod iſta ambulatio non eſt intelligenda in forma Deitatis, quia ſecundum illam, ubique eſt; ſed in aliqua ſimilitudine creata, in qua Dominus Deus apparuit. Per meridiem verò intelligitur determinatio temporis. Et dicunt multi DD. quod hora diei decima, fuerunt primi parentes expulſi de Paradiſo. Aura autem eſt accipienda pro vento præcedente Divinam apparitionem. Sicut Act. 2. dicitur, quod ſonus vehemens præceſſit apparitionem Spiritus Sancti. Et ſimile habetur 3. *Reg.*, quando Deus apparuit Eliæ, & in pluribus alijs locis. Vocavit autem Deus Adam dicens, *Vbi es?* Et quæſtio fuit, ut ex reſponſione Adæ convenientius fieret increpatio. Serpentem autem non interrogavit, quia Diabolus, qui in ſerpente loquebatur, iam pro peccato ſuo fuerat de Cœlo ad Tartara eiectus. Ad Divinam interrogationem reſpondit Adam. *Vocem tuam audivi, & timui, eo quod nudus eſſem*, cui Dominus dixit. *Quis indicavit tibi, quod nudus eſſes?* Quaſi inferret, niſi, quia propter traſgreſſionem præcepti mei, ablata eſt à te Originalis Iuſtitia, per cuius ſubtractionem facta eſt confuſibilis, & erubeſcibilis tua nuditas. Adam namque ante tranſgreſſionem, bene videbat nuditatem carnis ſuæ, ſed hoc non iudicabat ignominioſum: poſt peccatum vero cognovit nuditatem eſſe ignominioſam, & de hoc quæſivit Deus. In Paradiſo autem pri-

mi

mi parentes non habebant veſtes, quia pulchritudo naturalis maior eſt, quam pulchritudo ornatus. Et ex hoc colligitur, quo Beati in Æterna vita non ſunt habituri veſtes, quia iſte propter peccati turpitudinem inventæ ſunt. Ceſſante autem omni culpa, & pœnalitate peccati, ceſſabit veſtis: & Caro mundiſſima Beatorum fulgebit tamquam Sol, inperpetuas æternitates.

Reflexio XXII.

POſito homine ante Tribunal Dei offenſi, ponuntur maledictiones eo ordine, quo peccatum initiatum fuit. Et ideò, primò maledicitur Diabolus in ſerpente, quia primò elegit tentare hominem; unde Deus dixit illi. *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia.* Pro intelligentia autem ſciendum eſt, quod in his verbis maledicitur tam Demon, quam ſerpens: principaliter tamen Demon, quia tentavit; & utrumque, in deteſtationem peccati; non vero, quia diabolus peccaverit, quia tentando non peccat, cum ſit in termino; nec ſerpens, cum non ſit animal rationale, in quo ſolo poteſt eſſe peccatum. Adverte autem, quod omnia, quæ hic ponuntur pro maledictione ſerpentis, erant ipſi naturalia, etiam homine non peccante; tamen iſta fuerunt illi confirmata in pœnam, & ordinata in infamiam. Sic mors homini compoſito ex Elementis contrarijs, eſt illi naturalis; ſed poſt peccatum cæpit eſſe illi pœna peccati. Et Iris ante diluvium fuit naturalis apparitio; poſt diluvium vero cæpit eſſe ſignum pacti, inter Deum, & hominem. Multi vero DD. dicunt, quod iſta maledictio ſerpentis eſt odium innatum, quod habet homo contra illum, quo magis eum deteſtatur, quam cætera animalia, eique maledicit: quod quidem odium non fuiſſet innatum, ſi homo per ſerpentem, tanquam per diaboli inſtrumentum, non peccaſset. Indidit autem Deus nobis iſtud odium naturaliter, ut per hoc redacamur in primi peccati memoriam, quod per ſerpentem habuit originem.

nem. Deinde prædicitur ipſi ſerpenti, quod mulier contereret caput illius: quod exponitur communiter ab omnibus Doctoribus, de Beatiſſima Virgine Deipara, Domina noſtra, quæ eſt infeſta dæmonibus. Semen vero dæmonis ſunt alij Angeli mali, propter ſimilitudinem naturæ, & malitiæ. Semen vero Immaculatæ Virginis Deiparæ, eſt Chriſtus Dominus, eius Filius naturalis, quo mediante contrita eſt poteſtas dæmonis.

Reflexio XXIII.

MAledicto diabolo, maledicitur ſubſequenter fœmina, quæ illi conſenſit his verbis: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Adverte autem, quod ærumnæ ſunt labores oneroſi: quapropter labores Herculis ærumnæ ſunt appellati. Conceptus vero eſt tempus, in quo mulier geſtat fœtum in utero uſque ad partum, in quo multi labores illi eveniunt. Sed dices: Homo, & fœmina ſunt communicativi, in vita æconomica *ex primo Polit.* In omni autem æconomia neceſſe eſt eſſe unum præpoſitum: Vir autem erat naturaliter ſenſatior; ideòque naturaliter præerat Mulieri, & ideò non videtur facta illi iniuria, dum ponitur ſub poteſtate viri. Dicendum, quod in Paradiſo Terreſtri non fuiſſet proprie principatus, vel communicatio æconomica, nec politica, quia Principatus dicit Dominium in ſubiectum ſibi: ſed ſubiectio repugnabat ſtatui illi beató. Item: omnis Politia regitur legibus; Lex autem ponitur peccatori; in Paradiſo autem homines fuiſsent confirmati in bono ſi reſtitiſsent diabolo in principio, unde non indiguiſsent Legibus; ſicut Beati in Cœlo nullam legem habent, quia ibi nulla deordinatio eſſe poteſt. Præterea, non fuiſſet ibi propriè communicatio æconomica, quia hæc dicit neceſſitatem; in Paradiſo autem nulla fuiſſet neceſſitas, nam illa beata tellus ſponte producebat omnia neceſsaria ad

vitam.

vitam. Item, quia vita æconomica conſtituitur eſſentialiter ex Domino, ſervo, & Vxore, ut patet ex *Ariſt. pr. polit*; ſed in Paradiſo non fuiſset ſervitus, quia iſta eſt pœna peccati. Educatio vero filiorum non fuiſſet laborioſa; quia filij nati non contraxiſſent miſerias, & indigentias, quas modo patiuntur. Nunc verò, quia propter peccatum natura noſtra incidit in multas neceſſitates, inter quas eſt victus, & veſtitus, quæ per æconomiam acquiruntur, neceſſaria eſt æconomia, in qua licet naturaliter Mulier ſit ſubiecta Viro, tamquam prudentiori, reſpectu diſpoſitionis domeſticæ: tamen in pœnam fuit illi hoc datum, ut eſſet ſub viri poteſtare, ut illi iuberet id, quod facere debuiſſet, illamque puniret cum erraſſet, intra limites tamen Iuſtitiæ, & æquitatis.

Reflexio XXIV.

ASſignata Mulieris punitione, ponitur pęna Viri ſi his verbis, *quia audiſti vocem Vxoris tuæ, & comediſti de Ligno, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*. Notandum eſt autem, quod ad conſervationem familiæ, Vir eſt æconomus, ideſt, diſpenſativus domus, providens toti familiæ ſuæ de neceſſarijs: & quia iſta acquiruntur de terra, ideò Deus illam maledixit, ut homo in acquirendo ſibi neceſſaria, multum laboraret, & ſic in ſudore vultus ſui veſceretur pane. Antea vero non indigebat terra cultore; nunc autem vix neceſſaria vitæ, licet ſæpius culta, ſubminiſtrat, & ſeneſcente Mundo ſemper minus fertilis efficitur. Si autem homo non decidiſſet à ſtatu Iuſtitiæ originalis, produxiſſet terra ſine ulla cultura, & diligentia fructus convenientes in abundantia omni tempore; & homo illam colviſſet ſolummodo ad recreationem, & virtutis exercitium. Vnde in Hebræo dicitur, *maledicta terra propter te*, ideſt, propter peccatum tuum. Porrò labor iſte ſemper durabit uſque ad mortem, quia omnibus communis eſt: nullus enim mortalium, tam compoſitæ feli-

citatis reperitur, qui vel curarum mole, vel pondere laborum preſſus, unam tranſeat diem ſine dolore, vel ſine aliqua paſſione animi. Quapropter Adam vocavit Vxorem ſuam, Hevam, quod nomen in Hebræo ſignificat, vitam pœnalitatibus ſubiectam. Vnde per hoc deſcripta fuit transfuſio pœnæ, inflictæ à Deo propter transgreſſionem ad omnes poſteros; quia quales facti ſunt primi parentes per peccatum, tales filios genuerunt, miſerijs, & calamitatibus cruciandos.

Reflexio XXV.

AMiſſa per peccatum Iuſtitia originali, privantur conſequenter primi noſtri parentes loco debito Innocentiæ, & puritati deperditæ. Igitur Dominus Deus eiecturus illos de Paradiſo, fecit eis tunicas pelliceas de pellibus animalium mortuorum; tum in ſignum propriæ mortalitatis; tum quia indigebant tegumento contra intemperiem aeris, ad quam erant eiciendi. Clementiſſimus enim Deus, licet hominem propter peccatum puniat, tamen ſemper in ipſa punitione miſeretur. Expulſo autem homine a Beata illa Regione, collocavit Deus ante Paradiſum Cherubim, & flammeum Gladium, quod dupliciter exponitur, ſecundum duplicem opinionem ſupra poſitam de ſitu Paradiſi. Nam in ſententia illorum, qui dicunt Paradiſum eſſe ſub Circulo æquinoctiali: Gladius flammeus eſt zona torrida, inter habitationem noſtram, & Paradiſum. Diciturque Verſatilis, quia Sol appropinquat ad nos in Æſtate, & elongatur in Hyeme. Per Cherubim verò intelligitur Angelica cuſtodia, per quam tota natura corporea adminiſtratur, & maximè, motus Orbium Cœleſtium. Secundum vero illam ſententiam, quæ ponit Paradiſum extra æquinoctiale circa Tropicum Canchri, vel Capricorni, intelligitur per flammeum gladium aliquis ignis materialis ibi factus à Deo, vel oriens è terra, ſicut accidit in Monte Ætna, qui fere continuè ardet. Et ſignificatur nomine gladij, quia ignis ſurſum

aſcen-

aſcendens acuitur in ſuperiori parte ad modum Gladij; per Cherubim autem intelligitur natura Angelica, ut prædictum eſt.

CAP. IV. Reflexio XXVI.

DEſcripta hominis conditione, & tranſgreſſione, hìc agitur de illius propagatione. Expulſo igitur Adam de Paradiſo, cognovit Vxorem ſuam, quæ peperit Caim. Dicunt autem multi DD. quod iſta generatio fuit decimoquinto anno poſt eiectionem de Paradiſo: primi namque parentes egreſſi ſunt virgines; & tanto tempore vacarunt à copula, quia erant dolentes de peccato commiſſo contra Divinam beneficentiam, & de amiſſione illius feliciſſimi ſtatus, non ſolum pro ſe, ſed etiam pro tota eorum poſteritate. Rurſus Heva peperit alium filium, nempe Abel, qui interpretatur *luctus*, *& nihil*. *Luctus*, ab eventu, nam propter illius mortem, luxerunt Adam, & Heva centum annis in quadam Valle apud Hebron, quæ dicta fuit Vallis Lacrymarum, ut patet in lib. de diviſione Terræ Sanctæ. *Nibil* vero, quia de illo nullum ſemen erat naſciturum. Porrò iſti duo fratres fuerunt multum differentes in moribus: nam Caim fuit Agricola, ex cultura terræ ſemper quærens lucra. Abel vero fuit Paſtor ovium; congregavit enim oves, quæ manſuetæ erant, & factus eſt curam gerens illarum. Licèt enim homines in illa ætate non veſcerentur carnibus, tamen lacte pecorum, & pellibus animalium utebantur pro vitæ ſubſtentatione, & pro tegumento contra intemperiem aeris. Sanctus autem adoleſcens ſuſcepit hoc officium ad exercitationem continuam, ut à ſe removeret otium, non ut ſublevaret neceſſitatem, recipiendo aliquid ab ovibus. Forſan in figura illius Prælati Eccleſiaſtici, qui Gregem ſibi à Spiritu Sancto commiſſum, curat, tribuens potius ovibus, quam recipiens ab eis. Porrò Caim fuit caput Civitatis diaboli. Abel verò fuit primus in Civitate Dei: ideòque frater carnalis perſe-

perſequebatur ſpiritualem, quia Civitas Dei à membris Satanæ, dum vivit, multa ſuſtinet adverſa in hac mortali vita.

Reflexio XXVII.

NAtis parvulis, & ad iuvenilem ætatem perductis, uterque offerebat munera Domino; docuerat enim Adam filios ſuos colere Deum in Sacrificijs, & oblationibus: iſtud enim maxime pertinet ad actum Latriæ: quia licet adoratio, reverentia, & laudes fiant Deo, tamen exhibentur etiam hominibus: ſed Sacrificia nulli umquam exhibita fuerunt, niſi eſset Deus, vel exiſtimaretur Deus. Caim igitur obtulit de fructibus terræ; ſed de peioribus, & corroſis, imò ſecundum DD., de putrefactis: ideòque illius oblatio non fuit accepta; quia licet Deo non adveniat aliquod malum, ſi de peioribus offeramus, vel bonum ſi de melioribus: tamen eſt magna irreverentia, exhibere Deo ſordida. Abel vero obtulit de primogenitis Gregis ſui, quia regulariter primogenita ſunt pinguiora, & gratioſiora. *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, ut dicitur in Tex. Et ponitur prius Abel, quam munera; quia Deus magis acceptat intentionem offerentis, quam oblationem. Operatio autem dicitur bona ſecundum quod eſt virtuoſa. Virtus autem ex Philoſopho, eſt habitus electivus; ideòque electio eſt actus virtutis. Et in iſta interiori operatione eſt bonitas, vel malitia moralis. Exterior verò operatio habet aliquid de bonitate, vel malitia ſecundum quod eſt imperata ab ipſa voluntate; & propter hoc electio Abel interior fuit magis accepta, quam munera, quia omnia exteriora ſunt Dei; ſolam voluntatem reliquit noſtræ poteſtati, quam vult ut ſubdamus in obſequium ſum. Signum autem Divinæ acceptationis in Sacrificio Abel fuit per Ignem immiſſum à Deo conſumantem ſancti iuvenis oblationem. Iſte autem ignis non cecidit ſuper oblationem Cain; quia cum Deus non reſpicit ad perſonam, nec ad id, quod extra geritur, reſpicit;

nam

nam illa, quæ extra ſunt, habent bonitatem ab interioribus. Videns ergo Cain oblationem fratris fuiſſe Deo acceptam non verò ſuam, inflammatus invidia, concidit vultus eius; non enim poterat reſpicere rectis oculis, & vultu placido fratrem innocentem; triſtitia enim mentis apparet ex deiectione vultus. Tunc Deus benignè correxit Cain, ne malum, quod conceperat, perpetraret; & propoſuit illi admonitionem, ut daretur iniquo germano occaſio penitentiæ. Sed ex clementiſsima Dei monitione non fuit motus ad ſui ſceleris deteſtationem; ſed rabiem, furoremque magis augens, & ad mortem innocentiſſimi fratris atrocius inhians, ſanctum Iuvenem verbis blandis alloquitur; ſuadens ei, ut ſimul exirent in agrum, quibus Abel credit. Sancta namque ſimplicitas, nunquam in verbis præſumit latere fraudem. Sic igitur Cain, factus, de fratre, proditor, occidit innocentem Iuvenem lapide, vel ligno, non autem ferro, cum non eſſet in illa ætate tale mortis inſtrumentum.

Reflexio XXVIII.

PErpetrato ſcelere, ſtatìm ſubſequitur Divina ultio. Vocavit enim Dominus Cain, ipſumque interrogavit de Abel fratre ſuo. Quæ quidem interrogatio ſecundum DD. facta fuit ut daretur forma procedendi Iudicibus contra reos. Pœna namque non debet inferri, niſi convicto de crimine. Reſpondit autem Cain Domino, ſe nihil ſcire de fratre ſuo; addens fratricidio mendacium, & falſam excuſationem, dicens, *nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quaſi diceret *non*; cum tamen ex lege naturæ ad hoc obligaretur. Tunc Dominus videns illum obſtinatum in malo, protulit contra eum ſententiam, dicens. *Maledictus eris ſuper terram. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.* Per hoc autem patet, quod magis laboravit Cain in acquirendo cibos, quam poſteritas Adæ per Seth: etenim Terra habebat duas Maledictiones: primam

quam incurrerat per Adam; ſecundam, quam incurrerat per Cain. Prima extendebatur ad totam naturam, quia Adam illam in ſe continebat. Secunda, reſpiciebat particulariter Cain, ratione peccati ſui ſpecialis; & hæc non extendebatur ad omnes homines, quia Cain non erat primus Parens. Fuit autem Cain vagus non habens certum locum habitationis; ſed ſemper fugiebat ad diverſa loca, timidus ſemper, & pavidus. Fuit vero maledictus; tum quia omnes ei maledicebant; tum quia, Deus reddebat illum in omnibus infortunatum.

CAP. V. Reflexio XXIX.

AVdita Divina ſententia, non fudit impius germanus lacrymas; non conteritur ut indulgentiam impetraret; ſed addens ſcelus ſceleri, dixit (*Maior eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*) Quibus in verbis, deſperavit de Divina miſericordia. Cupiens autem liberari, non à culpa, ſed à pœna, ſubiunxit. *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*: Dicunt autem DD. quod per hæc verba deſideravit citò mori, ut ſua miſeria finiret: Sed Deus noluit hoc illi concedere, ideoque dixit. *Nequaquam ità erit, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*. Pro intelligentia autem Tex. adverte, quod iſta littera videtur ſonare quod ille, qui Cain occideret, magìs puniretur, quam Cain. Sed hoc non videtur rationabile; quia maior pœna correſpondet maiori delicto: Sed magìs peccavit Cain, qui occidit innocentem quem cognoſcebat, quam Lamech, qui occidit impium quem non agnovit. Iſta autem diminuunt de ratione demeriti; ideoque dicendum, quod iſta litera eſt obſcura propter punctationem. In Hebræo enim ſic punctatur, *Omnis qui occiderit Cain*: Et eſt una ſententia, cui debet ſubintelligi, *graviter punietur*, licet non exprimatur modus punitionis. Deindè ſubſequitur. *Septuplum punietur* Et hoc refertur

refertur

refertur ad Cain: ideſt, punietur Cain in ſeptima generatione, undè in Hebræo dicitur *Septennis punietur*, quia in fine ſeptem generationum, poſt multas tribulationes, & miſerias interfectus eſt à Lamech, in ultionem ſanguinis innocentiſſimi fratris. Nolens igitur Dominus Deus, quod Cain tàm citò migraret ex hac vita, poſuit in eo ſignum, & fuit tremor horribilis omnium membrorum, quo mediante cognoſcebatur, ut vir peſſimus, & fratricida. Prolixa autem eius vita fuit, non ſolùm ut diù cruciaretur, ſed etiam propter correctionem aliorum, ut nimirum homines aſpicientes hanc gravem pœnam, caverent ab homicidio. Mandavit ergo Deus, quod nullus occideret Cain: quod præceptum ſtatim fuit divulgatum; quapropter homines, licet eum abominarentur, tamen ab occiſione illius abſtinebant.

Reflexio XXX.

ACcepta iuſta Sententia, iniuſtus, & ſemper deteſtabilis Germanus, egreſſus eſt à facie Domini; videlicèt, à conſpectu illius ſimilitudinis, in qua loquebatur ei Deus, non potens ſuſtinere vultum Dei loquentis, & irati. Et quia verecundatus eſt coram patre ſuo Adam comparere, fugit in longinquas terras verſus Orientem; cognovitque uxorem ſuam, quæ erat etiam Soror. Dicunt enim communitèr DD. quod Hæva in quolibet partu geminos pariebat, nempè maſculum, & fœminam; & iſti poſteà erant Vir, & Vxor: Hoc enim exigebat ratio temporis, ad genus humanum multiplicandum; quo multiplicato, numquam licuit ducere Sororem in uxorem. De Sorore autem Abel dicendum, quod nondum ei copulata fuerat; undè vel procedente tempore tradita eſt in matrimonium alteri viro; vel perpetua verginitate permanſit. De fœminis autem non fit mentio regularitèr in Sacra Scriptura. Porrò Cain ædificavit Civitatem, denominans illam à filio ſuo primogenito Henoch. Tempore enim huius ædificationis erant multi de

 filijs

filijs, & deſcendentibus Cain, qui ſufficiebant ad conſtruendam, non ſolum unam Civitatem, ſed multas: fuit enim iſta ædificatio circa annum quadragenteſimum ætatis Cain, ut refert Ioſephus. Congregavit præterea multos ad ſe; tum quia ſemper erat in timore, ac tremore; tum ut exerceret rapinas, & latrocinia: mutavit enim ſimplicitatem hominum illius primi Sæculi ad malitiam.

Reflexio XXXI.

Ponitur deinde in Tex., ſucceſſio Cain: habuit enim multos filios, & nepotes, inter quos fuit Lamech, qui accepit duas Vxores; & ſic introduxit Bigamiam, contra naturæ inſtitutionem, quæ fuit unius cum una. Poſt diluvium vero licuit in veteri teſtamento ſanctis Patribus, ad multiplicandum populum Dei. Ex iſto Lamech deſcendit Iabel, qui fuit Pater habitantium in Tentorijs, atque Paſtorum. Inſtituit enim tentoria portabilia, in quibus habitarent Paſtores ad diverſa loca paſcuorum: & dicitur, *eorum pater*, quia illos inſtruxit, & in hoc fuit inter eos principium. Iubal vero eius frater, fuit pater canentium Cithara, & Organo; invenit enim artem muſicam, & pulſativam, qua Cithariſtæ, & Organiſtæ utuntur, ut otioſa tædia Paſtorum, delectatione muſica tollerentur. Tubalcain verò, invenit Artem ferrariam, & ut refert Ioſephus, bellicas res docuit. Inſuper ſculpturas operum in metallis, ad libidinem oculorum formavit, quo percutiente Iubal eius frater, Malleorum ſono delectatus, ex ponderibus eorum, proportiones, & conſonantias, quæ ex his naſcuntur, excogitavit; & inventa Muſica, reliquit præcepta in Columnis marmoreis. Homines enim illius temporis, audientes ab Adam futurum diluvium Aquæ, & Ignis, labores inventionum ſuarum, Columnis marmoreis conſignabant, ut ſic poſteris documenta relinquerent permanentia. Modus autem inveniendi Metalla, talis fuit. Dum homines illius primi ſæculi ſuccenderent

fruti-

frutices in paſcuis, Venæ Metallorum, quæ ſupeꝛficie tenus eminebant, fluxerunt in rivulos, & ſublatæ Laminæ, figuras locorum, in quibus iacuerant, referebant: ex quo Tubalcain cognovit, quod in varias figuras poſſent Metalla reſolvi, & ideò factus eſt Compoſitor ferri; Quod, cum de terra extrahitur, per ignem, & malleationem depuratur. Aliæ autem ſpecies Metallorum, ut Aurum, & Argentum non fuerunt à principio inventæ; ſed poſt, per magnum laborem, & cupiditatem hominum; hinc quidam dixit.

Effodiuntur Opes, irritamenta malorum. Ovid. lib. pr. metamorſ.

Iamque nocens Ferrum; & Ferro nocentius Aurum.

Ponitur deinde in Tex: Noema ob virtutem ſuam; quia iſta adinvenit lanificium, ad faciendum veſtes, cum prius homines pellibus animalium uterentur.

Reflexio XXXII.

DEſcripta generatione Cain delenda, conſequenter deſcribitur generatio Adæ permanenda, & eligenda; quia de iſta natus fuit Noe, qui reparavit Sæculum. Currebat igitur prima Etas repleta malis hominibus deſcendentibus de perfido Cain: nec Adam habebat aliam immediatam ſucceſſionem: Dicunt enim DD. communiter, quod interfecto ſancto, & prædilecto filio ſuo Abel propoſuit contineri de cœtero; & diu continuit, lugens centum annos mortem innocentiſſimæ ſuæ prolis; ſed poſtea ex Dei revelatione admonitus, cognovit Vxorem ſuam, hoc Deo iubente, ut nimirum per iſtam Lineam naſceɩetur Chriſtus Dominus, & non per Caim, qui erat à Domino maledictus. Peperit igitur Heva tertium filium, cui Adam nomen impoſuit *Seth*, qui interpretatur *poſitio*: quandoquidem accepit hunc à Deo pro Abel. Decurrente autem tempore, Seth genuit Enos; & iſte cœpit invocare Nomen Domini. Inſtructus enim à Patre iuſto, multum profecit in cultu Divino; Et adinvenit quædam verba devota, ad humiliter deprecan-

candum Dominum . Inſuper inſtruxit alios homines , ut erga Deum devoti , & humiles eſſent ; ideoque dicitur quod ambulavit cum Deo , iuſtè videlicet , & piè vivendo ; quapropter ob excellentiam ſuæ virtutis , aſſumptus fuit à Deo & poſitus in Paradiſo Terreſtri , ubi , & Elias poſtea raptus fuit , ut habetur 4. *Reg.* & inde exituri ſimul ſunt ad prædicandum in fine Mundi , contra Antichriſtum .

CAP. VI. Reflexio XXXIII.

Ponitur in hoc Capitulo generationis Adæ recapitulatio, ut illa deducatur, de qua Chriſtus Dominus erat naſciturus, & quia in Tex. ponuntur homines illius temporis perveniſſe ad longiſſimam ætatem , meritò quæri poteſt de cauſa. Et dicendum, hoc accidiſſe, primo , ex bonitate complexionis . Secundo , ex modo vivendi , quia homines illius primi ſæculi ſobriè , & temperatè vivebant . Tertio , ex bonitate nutrimenti ; quia ante Diluvium , terræ naſcentia meliora erant , quam poſt ; nam aquæ Diluvij propter ſalſedinem, reddiderunt terram minus aptam ad producendum fructus tàm ſubſtantiales . Quarto , ex ſcientia Adæ : cognovit enim virtutes herbarum , quæ conferunt ad ſanitatem conſervandam , & vitam prolongandam , docuitque de omnibus poſteros ſuos . Quinto , ex bono aſpectu ſyderum ; talis enim aſpectus multum facit ad longitudinem vitæ : iſte autem mutatus eſt , tempore procedente , per continuum motum Cœli . Sexto , ex Divina diſpoſitione , ſic ordinante, ut per longam hominum vitam, multiplicaretur genus humanum . Septimo , ut homines illius temporis ex longitudine vitæ, poſſent habere experientias de motu Cœli , & effectibus Syderum , aliarumque rerum ; quæ quidem experientiæ ſunt principia artis, & ſcientiæ, ut habetur *pr. Metaph.* Ponitur autem hic in fine generationum

tionum Lamech, qui genuit filium; vocavitque nomen eius *Noë*, dicens. *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum*. Homines enim ante tempus Noe; multum laborabant in agricultura; quandoquidem proprijs manibus terram colebant. Noe vero adinvenit ruſticalia inſtrumenta, & artem arandi, in qua plus laborant animalia, quam homines, & ideo dicitur requiem mortalibus dediſſe.

CAP. VII. Reflexio XXXIV.

POſita multiplicatione hominum, hic agitur de eorum peccatis; & perconſequens de pœna a Deo illis inflicta. Dicitur ergo in Tex. *Videntes filij Dei filias hominum quod eſsent pulchræ, acceperunt ſibi Vxores*. Sciendum eſt autem, quod hic, *filij Dei*, intelliguntur illi, qui deſcenderunt de Seth, qui à patre ſuo fuerunt inſtructi in vero cultu Divino. Vnde in pluribus locis Sacræ Scripturæ, fideles vocantur Filij Dei. Per filias autem hominum, intelliguntur Mulieres deſcendentes de Cain; quæ erant diſſolutæ, & lubricæ ad libidinem, de quibus præceperat Seth filijs ſuis, de voluntate Domini, quod non contraherent Matrimonia cum illis, ſed procedente tempore, tranſgreſſi fuerunt mandatum ſibi impoſitum. Hinc Deus provocatus ad iracundiam, ait. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*. Ideſt, indignatio mea, non permanebit in æternum contra hominem, quia non iraſcar contra ipſum irrevocabiliter, ſicut contra Angelum malum, cuius peccatum eſt irremediabile; Homo vero habet pronitatem ad peccandum ex corpore, animam aggravante; propter quod eſt magis ſibi parcendum, puniendo illum temporali tantum pœna, non æterna, dummodò tamen vera ſequatur pœnitentia; ideoque ſubiunxit Dominus. *Eruntque dies eius centum viginti annorum*. Per quæ verba non poteſt dici, quod determinetur tempus humanæ

Digitized by Google

vitæ per diluvium, quia multi diutius poſtea vixerunt, ut patet infra; ſed determinatur tempus, à prolatione Sententiæ Divinæ uſque ad executionem, in quo poterant homines pœnitere. At depravatum illud Sæculum, nullam egit pœnitentiam, ſed auxit magis culpam. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, dum homines quaſi univerſaliter, non ſolum peccatis fornicationis, ſtupri, & adulterij ſe contaminaverunt, ſed etiam peccato Sodomiæ. Licet autem in quolibet carnali vitio, homo corrumpatur, quia ordo rectæ rationis deſtruitur; tamen in hoc ſemper abominabili vitio, reperitur maior perverſio Ordinis, & modi; adeout meritò dicatur contra naturam.

Reflexio XXXV.

VIdens igitur Deus tam magnam, & continuatam ſcelerum multiplicationem, *pœnituit eum*, ut dicitur in Tex. *quod hominem feciſſet in terra*. Adverte autem, quod pœnitentia, & dolor, cœteræque paſſiones, quæ hic exprimuntur, nullo modo ſunt in Deo ſecundum rem, ſed ſecundum modum. Quapropter dicitur pœnituiſſe, & doluiſſe, quia ad modum pœnitentis, & dolentis ſe habuit, deſignans deſtruere quod prius fecerat; & ſic videbatur pœnitere, voluntate tamen, ac diſpoſitione immutabili permanente. Porrò in hac iniquorum congerie, accedebat multitudo Gigantum. Et ſic dicebantur, quia erant multum excedentes alios homines in ſtatura: erantque robuſti viribus, & incompoſiti moribus, & ab antiquo malæ famæ, quia erant raptores, & luxurioſi. Magnitudini autem corporis, correſpondebat animorum ſuperbia, & audacia. Cum ergo omne mortalium genus meruiſſet vindictam Omnipotentis Dei, ſolus Noe invenit gratiam coram Domino; placuit enim Deo in operationibus ſuis. Et iſta vocatur gratia, gratum faciens, dum Deus acceptat opera noſtra, tamquam

quam ſibi placentia. Sicut famulus dicitur eſſe in gratia Domini ſui, quando gaudet de illius ſervitio. Dicitur autem Noe vir iuſtus, quia non receſſit à præceptis iuris naturalis, & à ſanctis inſtitutionibus Adæ,& Seth progenitoribus ſuis. Vocatur verò perfectus; quia vixit irrepræhenſibilis, etiam inter ſceleratos, qui quotidie nitebantur trahere illum ad peccatum: inter malos autem non prævaricari, ſed eſſe ſicut Lilium inter ſpinas, ſumma perfectio eſt, & opus valde mirabile.

Reflexio XXXVI.

PVniturus igitur Deus Mundum impœnitentem, iuſſit ſervo ſuo Noe conſtructionem Arcæ, ut in ea ſalvaretur cum filijs ſuis, & uxoribus, & animantibus. Non vocatur autem hoc Lignum, Navis, ſed Arca, quia non erat in ſuperiori parte aperta, ſed undique clauſa; nec erat in parte inferiori, ita acuta, ut in aquis dirigi poſſet, more aliarum Navium, ſed ampla, & talis, qualem magis Divina Providentia, quam ars humana dirigeret. Præſcripſit autem Deus ordinem Noe, tum in Arcæ longitudine; tum in latitudine, dicens. *Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ; quinquaginta cubitorum latitudo; & triginta cubitorum altitudo illius.* Sciendum eſt autem, quod ratio cubiti diverſimodè aſſignatur a Doctoribus. Sanctus enim Auguſtinus, & Origenes tenent, fuiſſe cubitos geometricos; talis autem cubitus continet ſex de noſtris; & ſic vaſtiſſimum fuiſset Arcæ ædificium. Suppoſita verò iſta ſententia, omnia animalia, quæ ingreſsa ſunt in Arcam, non ſtrictè, ſed valde late degere poterant. Alij dicunt quod fuerunt cubiti uſuales. Iſte autem cubitus tenet pedem, & dimidium pedis; ideſt tantam longitudinem, quanta eſt à cubito brachij, uſque ad manum. Secundum vero alios, tenet cubitus, duos pedes, ideſt tantum ſpatium, quantum eſt à cubito brachij uſque ad ſummitatem digitorum; & hæc poſitio magis

magis veriſimilis reputatur. Sedes autem temporis illius erant multo maiores quam nunc; ſicut & homines erant maioris quantitatis in mole. Hinc ſequitur Arcæ capacitatem fuiſſe quadragintorum, & quinquaginta millium cubitorum uſualium: nàm ſi multiplices 300.cubitos longitudinis Arcæ per 50. latitudinis eiuſdem, habebis cubitos quadratos quindecim millia; quæ ſi rurſum multiplices per triginta cubitos altitudinis Arcæ, habebis prædicta 450. millia cubitorum ſolidorum. Ex quo ſequitur tale ædificium fuiſse ſufficiens omnibus animalibus, & rebus ibidem repoſitis; maxime quia ex Genſerico, & alijs, qui ſpecies animalium ſcrutati ſunt, habetur, quod vix centum, & triginta ſpecies animalium quadrupedum reperiuntur; Reptilium vero triginta; ſed iſta perexiguo loco indigebant, cum in foraminibus lignorum, & tabulis excavatis contineri poſsent; unde reliquum ſpatium Arcæ, pertinens ad habitationem animalium quadrupedum, non ſolum erat capax pro habitatione eorum, ſed ſuperflua: maxime ſic diſponente Deo, cuius providentiæ non eſt numerus. Hic autem adverte, quod longitudo in Arca conſiderabatur ſecundum lineam iacentem in plano; & iſta eſt ſexcupla ad latitudinem, ſcilicet 300. ad 50. nam ſex 50. faciunt 300. Altitudo vero, eſt decupla ad longitudinem, ſcilicet 30. ad 300. nam decies 30. faciunt 300. Et iſta proportio reperitur in corpore humano bene formato. Nam longitudo, quæ eſt à vertice uſque ad plantas pedis, eſt ſexcupla ad latitudinem, quæ eſt, à latere in latus mediante toto pectore; & eſt decupla ad altitudinem, quæ eſt linea recta menſurans profunditatem pectoris, iacente corpore humano in planitiæ terræ. Hinc Sanctus Auguſtinus de Civitate Dei, ait. Iſtam Arcam magna ſignificaſſe Myſteria.

Re-

Reflexio XXXVII.

ACcepto Noe Divino Mandato de Arcæ fabricatione, ſtatim ſe accinxit ad ipſam conſtruendam; in qua non ſolum ipſe cum tribus filijs ſuis laboravit, ſed etiam cum alijs hominibus mercede conductis. Dicunt autem communiter DD., quod Arca fuit conſtructa ſpatio centum, & plus annorum; ſemperque ſanctus Patriarca hortabatur homines illius corrupti ſæculi, ad relinquenda peccata, & ad pœnitentiam agendam de commiſſis. Clementiſſimus enim Deus, licet tam graviter, & multipliciter offenſus, tamen dedit ſpatium prædicti temporis ſceleratiſſimis illis hominibus, ut reſipiſcerent. Quo tranſacto, iuſſit Dominus Noe, quod ex omnibus animantibus mundis tolleret ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam: & de volatilibus Cœli pariter ſeptena, & ſeptena: quapropter de animalibus mundis fuerunt ſeptem individua; ſex ad multiplicandum per generationem, ſcilicet, tres maſculi, & tres fęmellæ; ſeptimum vero quod erat maſculum, intravit, ut haberet Noe, quod offerret Deo in Sacrificium, in exitu de Arca. De animalibus autem immundis, duo, & duo, maſculum, & fœminam; quia de iſtis non erat facienda oblatio Deo. Dicitur autem in Tex. *bina, & bina*, ad deſignandum, quod non poneret Noe maſculum, ſive fæmellam ſolam, ſive duas fęmellas, & poſt, duos maſculos; ſed maſculum, & fœminam de una ſpecie, & maſculum, & fœminam de alia ſpecie: binus enim, non dicit hic principaliter numerum, ſed ordinem. Si enim ſignificaret numerum, eſſet ſenſus; quod de qualibet ſpecie intraſſent duo ſolum; ſed hoc falſum eſt, quia de volucribus, & animalibus mundis intraverunt ſeptem, de immundis autem ſolum duo. Voluit autem Deus, ut plura Animalia de mundis, conſervarentur, quam de immundis, ut facilius ſpecies animalium mundorum multiplicarentur, tum in Sacrificiorum, tum in huma-

næ

næ vitæ uſum. Porrò in Arcam non intraverunt illa animalia, quæ naſcuntur ex corruptione, quia non erat neceſse iſta conſervari, cum rurſus poſſent ex corrupta materia generari. Et ſimiliter illa, quæ ex æquivoco generantur, cum poſt Diluvium gigni poſſent ex individuis aliarum ſpecierum conſervatarum.

CAP. VIII. Reflexio XXXVIII.

DEſcripto ſtatu Noe ante Diluvium, hic deſcribitur eius ſtatus in Diluvio, exeunte ſuper terram: nam conſtructa Arca, ingreſſus eſt Noe cum filijs, & uxoribus, & animantibus eo ordine, quo præceperat illi Deus. Dicitur autem in Tex. *In Articulo diei illius ingreſſus eſt Noe in Arcam*. Pro quo ſciendum, quod Articulus importat rem diſtinctam, & manifeſtam: homines autem illius depravati Sæculi, aſpicientes Arcam totaliter completam, dicebant, quod ſi vidiſſent Noe illam ingredi, ſtatim ipſum interficerent, ne ipſis morientibus, ille remaneret illæſus. Quapropter Dominus Deus fecit ingredi Noe in Arcam die clara; ad oſtendendum futuris generationibus, quod nihil poteſt humana perverſitas, contrà ſervos Dei. Animalia vero fuerunt adducta, etiam de remotiſſimis partibus Mundi, miniſterio Angelorum. Alij dicunt, quod ſponte ſua venerunt, Divinoque inſtinctu, & depoſita prorſus omni feritate, Servatorem ſuum Noe ſecuti ſunt. Soli homines, licet ratione præditi, & etiam a brutis edocti, remanſerunt obſtinati, & non tutò in Arca, ſed in cœno vitiorum ſuper terram involuti, turpiter iacuerunt. Conſervabatur autem in Arca magna pax inter animalia; adeout Leo non noceret Vnicorni; nec Draco Elephanti, nec Accipiter Columbæ, Deo ſic iubente. Inſuper omnia animalia, etiam rapaciſſima, modico cibo fuerunt contenta. Nec

fuit

fuit in Arca coitus hominum, nec iumentorum, ut communiter dicunt DD. & hoc propter univerſalem Mundi ruinam. In Arca vero erant tres Manſiones, una ſuper aliam; itaquod infima vocabatur, ſentina, vel ſtercoraria, ubi deijciebantur per Noe feces, ne computreſcerent animalia in ſtercore ſuo. Et credendum eſt, quod miraculosè tolleretur fœtor ſtercorum, ne corrumperetur Aer. Secunda, vocabatur Apotheca, quia ibidem repoſita erant victualia. Tertia, erat diſtincta duabus interclusionibus; unde ibi erant tria ſpatia: medium erat pro hominibus, & avibus; duo autem lateralia pro animalibus mundis, & immundis. Tandem erat in Arca, feneſtra, quam vocant Hebræi, Lucernam; & multi DD. tenent, quod fuerit Lapis pretioſus, illuſtrans ſuo lumine totam Arcam ſicut carbunculus. Alij dicunt, quod fuit feneſtra cryſtallina, ut lumen reciperet, & aquas prohiberet. Alij tenent, fuiſſe in Arca plures alias feneſtras; ſed quia una erat principalior, ideo de illa ſolum fit mentio in littera.

Reflexio XXXIX.

INgreſſo igitur Noe cum tota ſua familia, & animalibus in Arcam, miſit Dominus Deus ſuper terram univerſale Diluvium: rupti ſunt enim, ut dicitur in Tex., *omnes fontes Abyſſi magnæ*; ideſt tota concavitas terræ, in qua latent aquæ: ad denotandum, quod non ſolum Oceanus, ſed tota aqua, quæ manet ſub terræ viſceribus, eruperat ad illius ſuperficiem. Et utitur Divina Scriptura nomine ruptionis, ad oſtendendum, quod iſta aquarum inundatio, non fuit ex cauſa naturali, ſed ſupernaturali. Deinde, *Cataractæ Cœli apertæ ſunt*: ideſt *fæneſtræ*: & eſt Metaphorica locutio. Nec loquitur Scriptura de Cælo ſtellato, ſed aereo, ubi generantur Nubes, & Pluviæ. Cadebant autem pluviæ illæ, tam magnæ, quaſi de Cœlo orirentur flumina, velociter currentia ad ultionem inimicorum Æterni Numinis. Igitur aquæ

fluen-

fluentes de Cœlo, ſimulque erumpentes de viſceribus terræ, & Oceano, ita creverunt, ut ſupereminerent quindecim cubitis Cacumina Montium. Et ſic, tam homines, quam cuncta animalia extra Arcam, perierunt. Peccata enim hominum perpetrata fuerant in terra, ideo, ad deteſtationem criminis deleta ſunt animalia terreſtria. Piſces autem non ſunt mortui in Diluvio, quia adhuc peccata hominum non fuerant commiſſa in aquis, cum nondum eſſet uſus Navium. In ſecundo vero Diluvio, quod erit per ignem, non ſolum purgabitur terra, ſed etiam Mare, quia multa ſcelera, poſt inventam navigationem, commiſſa ſunt in aquis. Cum hominibus autem, etiam terra diſperſa eſt; quatenus virtus illius germinativa, valdè diminuta fuit per ſalſedinem aquarum Oceani, relictam in ſuperficie illius. Iſta ruptio aquarum, ſicut dicitur infra, accidit anno 600. vitæ Noe, menſe ſecundo, decimoſeptimo die menſis ſecundi. Eſt autem October, ſecundus menſis, quia Mundus ſecundum ſententiam magis communem, creatus fuit in Septembri. Non poteſt tamen nobis eſſe notum, quo die Octobris noſtri hoc contigerit, quia Iudæi non incipiunt menſes ſicut nos, ſed per Lunationes. Lunatio verò, quæ eſt propinquior Æquinoctio autumnali, quod fit, intrante ſole primum gradum Libræ, & eſt quaſi in medio Septembris noſtri, eſt principium Septembris illorum, ſive illa Lunatio ſit ante æquinoctium, ſive poſt. Igitur, ſi September eorum coinciderit cum Septembri noſtro; tunc Diluvium accidit (ut loquar cohærenter ad noſtra tempora) circa feſtum Sancti Lucæ. Si autem fuerit valde ſerotinus, accidit quaſi in medio Novembris noſtri. Porrò, Diluvium, multum rationabile fuit; quia ſicut ſe habet Puer ad puerilia deliramenta, ſic ſe habebat Mundus ad prima vitia. Tota autem rectitudo diſciplinæ in tali ætate eſt, quod pueri doceantur rectè lætari, & rectè triſtari: cum vero à paſſione fortiter inclinentur ad malum, ſevere corrigendi ſunt, ut timor pœnæ, & dolor, devincat paſſionales motus; tunc enim aſſueti paſſiones devincere, generatur in illis habitus

bitus ad virtutes. Igitur cum Mundus eſſet adhuc puer, & ad ſcelera totaliter deditus, ſevere puniendus erat, ut qui remanebant, & poſteri eorum, timore pœnæ iam à Deo incuſsæ, caverent vitia, & ſcelera in tota eorum vita.

CAP. IX Reflexio XL.

DEſcripto ſtatu Noe in Diluvio creſcente, & ſtante, hìc deſcribitur illius ſtatus in Diluvio deficiente. Clementiſſimus enim Deus, non eſt paſſus Servum ſuum inter vehementiſſimas aquas amplius fluctuare, & ideo adduxit ſuper illas Spiritum, nempe ventum ſiccum, diminuentem illas; Divinoque Imperio clauſi ſunt fontes abyſſi: ſicut enim ad præceptum Domini egreſſæ fuerant aquæ, tum de Oceano, tum de terræ viſceribus, ità peracta ultione Divina, regreſſæ ſunt illuc. Similiter, aquæ de Cœlo prohibitæ ſunt cadere ſuper terram, requievitque Arca menſe ſeptimo ſuper Montes Armeniæ. Intelligitur autem hæc quies in ſeptimo menſe anni illius; non enim accipitur computatio ab ingreſſu Noe in Arcam; ſed à principio anni currentis; & ſic in Martio quievit Arca in Montibus prædictis circa finem, vel in principio Aprilis noſtri. Mirabile autem fuit, quod iſta Arca in uno anno, quo duravit in aquis per diverſas partes, inter Valles, & Montes ſine humano Rectore fluitans, fracta non fuerit ex aliqua alliſione. Quid autem factum ſit de illa poſt Diluvium, non apparet ex Tex. ſed Ioſephus dicit, quod Armeni demonſtrant partes illius in Montibus, ubi reſedit. Et qui Barbarorum hiſtorias conſcripſerunt, faciunt mentionem huius Arcæ: unde Beroſus Chaldæus ſic ait. *Dicitur magna Navis eſſe, quæ in Armeniam venit, circa Montem Cordicum, & aliquas eius partes adhuc ſupereſſe; & quoddam genus bituminis ex illa accipi, quo homines utuntur ad emundationem.*

Re-

Digitized by Google

Reflexio XLI.

AQuæ igitur ibant, & decreſcebant, uſque ad decimum menſem, in cuius prima die apparuerunt Cacumina Montium: cumque tranſiſſent quadraginta dies ab iſta apparitione Montium, aperiens Noe feneſtram Arcæ, dimiſit Corvum, qui non revertebatur. Emiſit quoque Columbam poſt eum, ut videret ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ; quæ cum non inveniſſet, ubi requieſceret, reverſa eſt ad Arcam. Licèt enim Cacumina Montium eſſent diſcooperta, tamen terra ipſorum, ex diuturna mora aquarum, erat quaſi lutum, in quo non quieſcit Columba, ideoque redijt ad Arcam. Expectatis autem ultrà ſeptem alijs diebus, rurſum dimiſit Columbam. At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ; quapropter Noe intellexit, quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram. Expectavit nihilominus ſeptem alios dies, & emiſit Columbam, quæ non eſt reverſa ultrà ad eum. Sed hic quæri poteſt: quare Noe expectabat inter unam miſſionem, & alteram, ſeptem dies, & non plures, nec pauciores? Dicendum, quod intendebat ſcire, utrum aquæ ceſſaſſent; aquæ autem regulantur à Luna, quæ eſt mater humidorum. Luna vero, quando eſt in coniunctione, & maximè quando eſt in directa oppoſitione, habet magnam virtutem in humidis, multiplicando illa; unde in his temporibus reperiuntur Oſtreæ marinæ, & Conchilia, & Canchri pleni humiditate: quando vero eſt in quadraturis, ſcilicet, quando diſtat à Sole per gradus 90. habet virtutem diſiccativam; & tunc prædicta, vacua ſunt. Sic humana cerebra, quando ſunt multum humida, in coniunctione, & oppoſitione benè ſe habent, quia ſunt plena: quando vero Luna eſt in quadraturis, in tantum diminuitur naturalis humiditas cerebri, quod aliqui homines efficiuntur amentes. Quia igitur in iſtis quatuor punctis, nempe, coniunctione, oppoſitione, & duabus quadraturis, fit

muta-

mutatio in aquis per multiplicationem, vel diminutionem; ideo Noe conſideravit iſtos quatuor punctos. Et cum Oppoſitio, & una Quadratura diſtent ſeptem diebus, & ab illa Quadratura uſque ad Coniunctionem ſint alij ſeptem dies;& à Coniunctione ad aliam Quadraturam, ſint alij ſeptem; ideo Noe miſit aves terminatis ſeptem diebus. Deus tamen voluit, quod non obſtante actione Lunæ, aquæ æqualiter, & continuè diminuerentur; ut ſicut ſupernaturaliter venerant, ita ſine actione Agentis naturalis disſiccarentur.

Reflexio XLII.

DIsſiccata ergo perfectè terra, & reddita apta ad uſum, tam hominum, quam animalium; iuſſit Dominus Noe, ut egrederetur de Arca. Licet enim ſervus Dei cognoviſſet in reditu Columbæ, quod ceſſaſſent aquæ; tamen ſicut ingreſſus fuerat in Arcam de mandato Domini, ita ad egrediendum expectavit humiliter Divinum imperium. Egreſſus eſt autem anno revoluto, eadem die, qua intravit; ſtatimque ad gratias reddendas de ſua, & familiæ liberatione, ædificavit Altare, offerens Holocauſta, & ut dicitur in Tex. *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, ideſt, placuit Deo illud ſacrificium, ſicut placet homini aliqua res boni odoris. Et eſt figura, quæ vocatur *Antropaſpathos*; quando humana paſſio attribuitur Deo. Nam Deus non odorat, cum non ſit corporeus; & dato quod adoraret, talis odor non eſſet ſuavis, ſed magis infeſtus, utpotè carnium combuſtarum cum adipibus ſuis. Et per hoc oſtenditur, quod oblationes, quæ antiquitus fiebant, non erant Deo acceptæ, niſi ex fide, & devotione offerentium. Placatus igitur Dominus Deus ſacrificio Noe, quia à ſancto, & bono corde fiebat, promiſit non delere amplius per Diluvium homines: & compatiens humanæ fragilitati, ait, *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, ideſt, poſt pueritiam, quando incipit advenire pubertas.

In prima enim ætate, ſcilicet, Infantia, & in ſecunda, quæ eſt Pueritia, propter inexperientiam, & imperfectionem Naturæ, nondum inclinamur ad malum; licet in aliquibus malitia ſuppleat ætatem; in fine autem pueritiæ, incipit carnalis concupiſcentia, & conſequenter, aliæ paſſiones. Appetitus vero ſenſitivus, eſt pronus in malum; quia licet Intellectus, & Ratio ſemper deprecentur ad optima, *ut ait Ariſt. 2. Ethic*, tamen dictus appetitus multum repugnat rationi: corrupto autem appetitu ſenſitivo, ſequitur prava cogitatio; deinde, pravum Iudicium, & poſt, mala operatio; ideoque cum homines ſæpe peccent, ſæpe etiam tota terra eſſet aquis ſubmergenda: hinc quidam dixit:

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Reflexio 43.

DEſcripto ſtatu Noè in diluvio, conſequenter deſcribitur ſtatus illius poſt diluvium; & ſpecialiter quantum ad illius exercitium. Igitur poſt oblatum ſacrificium benedixit Dominus Noe, & filijs eius. Adverte autem, quod benedictio in divinis ſcripturis, importat multiplicationem, vel in temporalibus, vel in ſpiritualibus: utrumque autem potuit eſſe hìc; quia Noe, & eius filij erant iuſti, & obtulerant Sacrificium; ideoque in hoc actu Charitatis merebantur gratiam ſibi augeri. Si vero intelligatur de bonis temporalibus, fuit fœcunditas prolis illis conceſsa in generando; & ideo Dominus poſt benedictionem dixit eis. *Creſcite, & multiplicamini*. Quæ verba tunc temporis ſonabant præceptum, obligans ſub mortali. Nunquam enim reperitur Deus iſta præcipiens, niſi cum temporis neceſſitas hoc exigebat, ſcilicet, in primordio conditionis humanæ, & poſt Diluvium; tunc enim perierant omnes excepto Noe, & filijs, & uxoribus. Deinde dixit Deus. *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta terræ animalia*. Per hoc autem non

non eſt intelligendum, quod *D*ominus dederit Noe, & filijs ſuis, illud dominium ſuper animalia, quod datum fuit Adæ manenti in ſtatu originalis Iuſtitiæ, in quo cuncta animantia obediebant ei ad nutum, nec ullo modo poterant illi nocere; ſed intelligitur quantum ad quædam animalia, quæ ſunt per artem domeſticabilia: vel, quod omnia animalia naturaliter timent faciem hominis, cum factus ſit ad imaginem Dei, licet aliqua eum invadant timore cogente, vel fame. Deinde dedit Dominus eis poteſtatem comedendi carnes. Ante diluvium namquè non erat uſus carnium, nec vini; poſt diluvium verò, quia terra fuit peiorata, etiam terræ naſcentia non fuerunt ita nutritiva. Inſuper natura humana facta eſt fragilior; ideoque indigebat cibo magis ſubſtantiali, cuiuſmodi eſt caro, & vinum, quæ multum conveniunt humanæ complexioni. Prohibuit tamen Deus hominibus ne comederent carnem cum ſanguine. Et aliqui DD. dicunt; quod per hoc prohibita fuit abſciſſio membri animalis viventis, & comextio talis membri, quia adhuc manet ſanguis diffuſus per venas; & magna crudelitas videbatur ſic trucidare animalia; maxime quia intendebat Deus revocare homines à crudelitate. Alij tenent hoc præceptum ſe extendere ſolum ad animalia ſuffocata, vel alio modo per ſe mortua, quorum ſanguis manet in illis. Alij volunt, quod per tale præceptum prohibitus fuerit eſus ſanguinis per ſe. Adverte autem, quod nos non obligamur ad tale præceptum; quia in nova lege non manent, niſi præcepta moralia, ideſt illa, quæ ſunt de iure naturæ, & illa, quæ Chriſtus *D*ominus iuſſit: comedere autem carnem cum ſanguine, vel ipſum ſanguinem, per ſe non eſt de lege naturæ, ſed purè cerimoniale, ad quod non tenemur.

Reflexio 44.

POſt egreſſionem Noe de Arca, & oblationem ſacrificij promiſit *D*ominus *D*eus non amplius percutere genera-

litèr genus humanum aquis Diluvij, dicens. *Non ultra percutiam omnem animam, ſicut feci: cunctis diebus terræ ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas, & hijems, nox, & dies non requieſcent.* Adverte autem, quod hic diſtinguntur ſex tempora, & ſecundum Hebreos, cuilibet tempori duo menſes attribuuntur. Tempori ſementis, attribuitur medietas Septembris; totus October; & medietas Novembris. Tempori frigoris aſſignatur reliqua medietas Novembris; totus December; & medietas Ianuarij. Tempori hyemis reliqua medietas Ianuarij; totus Februarius, & medietas Martij, & ſecundum eos, gravius eſt tempus frigoris, quam hyemis. Tempori meſſis attribuitur altera medietas Martij; totus Aprilis; & medietas Maij. In terris enim calidis aliqua tempeſtiva incipiunt colligi circa finem Martij; et maximè ſecundum menſem ipſorum Hæbreorum: Quia primus menſis illorum, cui correſpondet Martius noſter, ſemper concurrit cum aliqua parte Aprilis, & aliquando fere totus Aprilis noſter includitur in eorum Martio. Tempori æſtatis attribuitur altera medietas Maij; totus Iunius; & medietas Iulij. Tempori æſtus attribuitur alia medietas Iulij; totus Auguſtus; & prima medietas Septembris. Eſt autem tempus æſtus gravius in calore, quam tempus æſtatis; & ideò ſic nominatur ſicuti de frigore, & hyeme dictum eſt in contraria qualitate. Placuit deindè Domino aſſecurare etiam per ſenſibile ſignum Servum ſuum Noe, eiuſquè deſcendentes, quod deinceps numquam futurum eſſet Diluvium aquæ ſuper terram & ad hoc denotandum, ſtatim fecit apparere Iridem, quam declaravit ſignum Divini ſui pacti. Sed circà hoc quæri poteſt: Quomodo Iris ſit verè ſignum prædicti fœderis, cum procedat ex cauſa naturali? Ad hoc reſpondent aliqui Doctores, dicendo, quod uſque ad Diluvium non fuerat pluvia ſuper terram, & per conſequens, numquam apparuerat Iris; Vel ſi fuerant nubes, & pluviæ, tamen non fuerant in tali diſpoſitione, quod ibi generaretur Iris, ad cuius generationem prærequiritur nubes denſa, ſeù conſtipata,

pata, & deindè, antè iſtam, neceſſaria eſt nubes rorida, ut habetur 3. *Metheor*. Quandoquidèm Iris generatur in nube per modum ſpeculi, ubi prærequiritur receptio in Roratione, & terminatio in denſitate nubis: ſicut in ſpeculo requiritur perſpicacitas Vitri, & denſitas Plumbi terminans. Dicunt igitur iſti Auctores, quod facta fuit talis diſpoſitio ſolummodò, quando Dominus Deus oſtendit Noè Iridem. Sed hæc ſententia non videtur probabilis; Nam pluvia fit ex diſpoſitione aeris, & ex motu corporum cœleſtium; cum autem iſtæ cauſæ præceſſerint tanto tempore Diluvium, nempè mille, & ferè ſeptingentis annis, quibus duravit prima ætas, non eſt veriſimile, quod multis vicibus non fuerit ſecutus effectus. Ideò cum communi ſententia dicendum eſt, quod Iris apparuit etiam antè Diluvium, ſed non fuit in ſignum fœderis, cum non eſſet adhuc inſtitutum pactum, quo facto, Iris fuit in ſignum fœderis. Sicut contingit in humanis, quod lapis magnus, qui diù ſtetit in aliquo loco immobilis, ſtatuitur in ſignum diſtinctionis Regnorum, vel hæreditatum.

Reflexio 45.

VIdens intereà Sanctus Noè terram eſſe peioratam per diluvium præcedentem, & per conſequens indigere diligentiori cultura, cępit ipſam colere, arando, & fodiendo; Sic enim melius diſponitur ad pluviam, & Cœli influentiam recipiendam. Deinde plantavit Vineam, abſcindens palmites de Vite ſilveſtri, quos traſplantavit: ſicut nunc ponuntur noviter vineæ, & fiunt Vvæ optimi ſaporis. Bibens autem de fructu vineæ, inebriatus eſt, & nudatus iacuit in Tabernaculo; multum enim bibit de vino, putans bibendum de illo eſſe ſicut de aqua, ignorabat enim fortitudinem illius. Quare, cum Cerebrum Noe eſſet debile, propter continuam aſſuefactionem ad aquam, ſtatim conturbatum eſt à vini vehementia. Experientia enim coſtat, quod

illi, qui nón ſunt aſſueti ad vinum bibendum citò inebriantur, ſi de illo bibant. Videns igitur Cham Verenda patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus ſuis, ut illos incitaret ad irriſionem patris. Et ex hoc patet, quod homines adhùc non utebantur femoralibus, quæ fuerunt inventa à Semiramide, Regina Ninivæ. Tunc modeſtiſſimi adoleſcentes pallium impoſuerunt humeris ſuis; & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris. Vndè ex hoc valdè ſatis inſtruimur circà Superiorum reverentiam, nè defectus illorum curiosè aſpiciamus, ſed quantum poſſumus contegamus. Evigilans autem Noe, cum cognoviſset per relationem filiorum veritatem facti, dixit, *Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Sed queritur, quare maledicitur Chanaam, cum peccaverit Cham? Dicunt aliqui: quod Chanaam primo vidit verenda Noe diſcooperta, & ſtatim indicavit patri ſuo Cham, ideoque maledicitur. Vel, ut per hoc intelligatur, non ſolum Cham meruiſſe in ſe ipſo maledici, propter irreverentiam erga patrem, ſed etiam in ſuis filijs. Alij melius dicunt: quod iam Deus benedixerat filijs Noe exeuntibus de Arca; ideoque Noè non fuit auſus alicui eorum maledicere; ſed maledixit Nepoti. E contrario autem, benedixit Sem, & Iapheth: Et de Sem dixit *Benedictus Dominus Deus Sem*: Vidit enim in ſpiritu, quod Cultus unius veri Dei remanſurus erat in filijs Sem, alijs ad Idolatriam declinantibus. De Iapheth vero, ait, *dilatet Deus Iapheth, & habitet in Tabernaculis Sem*. Et eſt ſenſus: quod quamvis Iapheth ſit dilatandus in multitudine Gentium, ab eo deſcendentium; tamen aliqui eius poſteri habitent in Tabernaculo Sem; ideſt, in Templo. Aliqui enim Gentiles aſcenſuri erant cauſa orationis in Templum, Divino cultui deputatum, ut patet *Ioan*: 12. Vel melius dic; Quod in adventu Chriſti Domini, plenitudo Gentium, quæ deſcendit de Iapheth, intravit Eccleſiam per ſuſceptionem fidei; & ſic habitavit in Tabernaculo Sem, per cultum unius veri Dei.

CAP.

CAP. X. Reflexio 46.

DEſcripta generatione Noe, qui erat Truncus in ſecundo ordine, conſequenter hìc deſcribitur ſuæ generationis multiplicatio: à tribus enim filijs illius, totum humanum genus poſt diluvium propagatum fuit. Et dicunt *D*octores, quod filij Sem tenuerunt Aſiam. filij Iapheth, Europam; & filij Cham, Africam; relinquentes nomina ſua locis, & gentibus ab ipſis deſcendentibus; ex quibus aliqua manent in ſe, vel in aliquo ſimili; aliqua vero, procedente tempore, prorſus deleta ſunt. Vnde multi populi, qui hic in Tex. exprimuntur, ſunt nobis prorſus ignoti, vel propter antiquas mutationes nominum, vel propter bella; vel ſi extant, ignorant ſuam originem: unde multi populi dicuntur Aborigines; quaſi non habentes cognitam originem ſuam. A' filijs Iapheth, quos primo ponit Sacra Scriptura, diviſæ ſunt Inſulæ gentium in regionibus ſuis; habitaverunt enim in diverſis Inſulis, & inſuper, multas terras occupaverunt. *D*eſcendit autem ab iſto ſtipite *Magog*, à quo duxerunt originem Scythæ, ſecundum *D*iuum Hieronymum, & ab ipſis, Reges Gothorum, qui magnalia per Orbem geſſerunt, & Hiſpaniam populaverunt. Sequitur *Iauam*, à quo deſcendant Greci. *D*einde, *Tubal*, a quo deſcendunt Hiſpani: iſte namque Tubal, ſedem poſuit in deſcenſu Montis Pirinæi, apud locum, qui nunc dicitur Pampilona; & cum multiplicati fuiſſent ſui Comites, extenderunt ſe ad plana Hiſpaniæ; et tunc illa terra, à Cetu, ideſt, comitiva Tubal, dicta eſt Cetubalia. Deinde cum ſe extendiſſent uſque ad flumen, qui dicitur Iber, vocaverunt terram illam Celtiberiam. Sed quia videbant ſub Iugibus terræ illius quandam Stellam, quæ dicitur Heſperus, in noctium principijs occultari, vocaverunt terram Heſperiam, à nomine prædictæ Stellæ. Sequitur *Tiras*, à quo deſcendunt Thraces; ſic dicti quia erant truces: fuerunt enim ſemper inter omnes gen-

tes, feriſſimi; unde multa de illis fabuloſa à Poetis memorantur: ſcilicet, quod Dijs ſuis litarent ſanguinem illorum hominum, quos recipiebant hoſpitio; & quod ſanguinem humanum, in oſſibus capitum potare ſoliti eſsent, de quibus Poeta cecinit

Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.

Eſt autem Thracia, Regio coniuncta Greciæ, habens pro Metropoli Conſtantinopolim, olim ſedes Imperij Orientis; nunc Ottomanni Tyrannis Regia, propter Chriſtianorum Principum deplorabiles diſcordias. Habuit autem Iapheth quindecim filios mediate, & immediate, ut patet, in littera; ideoque quindecim Idiomata ex illo deſcenderunt.

Reflexio 47.

DIcto de filijs Iapheth, ſequitur dicendum de filijs Cham, ex quibus unus fuit *Chus*, à quo deſcenderunt Ethiopes; unde in Hebræo, Ethiopia vocatur *Chus*. Deinde *Meſraim*, à quo veniunt Egyptij, & ideo in Hebræo, Ægyptus dicitur *Meſraim*. Sequitur *Chanaam*, à quo deſcenderunt illæ Gentes, quæ Paleſtinam, & Arabiam tenuerunt. Deinde *Nembrot*, de quo dicitur in littera, *quod cœpit eſſe potens in terra; eratque robuſtus venator coram Domino*. Pro quo ſciendum, quod iſte fuit Gigas corpore; audax mẽte; robuſtus viribus; conſilio diſcretus; & libidine dominandi avidus: ideòque rudem illam Gentem, quibuſdam artificioſis perſuaſionibus ad ſe applicuit, ut ſic dominaretur multis, & paulatim omnibus. Vocatur autem *robuſtus venator coram Domino*; quia per violentiam opprimebat homines, tanquam animalia capta in venatione. Et ſi aliquis nolebat ſubijci illius dominio, occidebat illum publicè, quod erat facere coram Domino, cui omnia ſunt nota; ſicut dicuntur fieri in oculis Solis ea, quæ publicè fiunt. Principium autem Regni illius fuit Babylon in terra Sennaar, de qua egreſſus eſt Aſſur, ut dicitur in Tex. Hoc autem interponitur

acci-

accidentaliter; nam Aſſur, non fuit de filijs Cham, ſed de filijs Sem, ut patet infra; Sed quia noluit rebellare contra Deum in ædificatione Turris, fugit de terra prædicta, ad aliam regionem inhabitatam, quæ ex nomine ſuo vocata eſt *Aſſyria*; ibique ædificavit Civitatem, quæ poſtea per longum tempus, vocata fuit Ninive, à Nino primo Rege Aſſyriorum; qui libidine dominandi, per quinquaginta duos annos contra diverſas Gentes bella movit, ſubijciens multos in ſuam ditionem, donec in bello cecidit, interfectus à Sagittarijs in obſidione cuiuſdam Civitatis. Duravit autem iſtud Regnum per annos mille, & quadringentos, uſque ad Sardanapalum. Dicunt vero DD. de Nembrot, ipſum ſub anno à creatione Mundi ferè milleſimo noningenteſimo, inveniſse Aſtrologiam, & Orbis dimenſiones. Sed *Methodius Martyr in lib. Cicliadum*, refert: quod Noe centeſimo anno Cicliadis, ideſt, centum annos poſt Diluvium, genuit Ionicum, cui fecit multas donationes, illumque miſit in terram Etham: qui intravit uſque ad Mare, quod dicitur Liocora, ideſt, Solis Regio, quo in loco accepit à Deo donum Sapientiæ, & invenit Aſtronomiam; ad quem deinde perrexit Nembrot, accepitque ab eo conſilium, in quibus terris regnare deberet; eumque docuit Aſtronomiam, prædicens ei quoſdam eventus, de Ortu, Occaſu, & ſucceſſione Regnorum. Habuit Chus triginta filios, ideoque ab illo orta ſunt triginta Idiomata.

Reflexio 48.

Ponuntur tertio generationes Sem; licet enim eſset maior dignitate alijs duobus fratribus, quia erat primogenitus; tamen poſtponitur, quia intendit Legislator tenere in narrando lineam Sem; unde ſi illam præpoſuiſset, oportebat interrumpere; ideo alias lineas præpoſuit, ut iſtis dimiſſis, latius proſequeretur lineam principalitèr intentam. Adverte autem, quod Sem eſt ille, qui infra vo-

catur Melchiſedech, & ſub iſto nomine Sem, legimus de eo omnia ſupradicta. At ſub nomine Melchiſedech, non legitur habuiſse patrem, nec matrem, nec Genealogiam, nec principium, nec finem vitæ, ſed ſolum quod fuerit Rex Salem, ideſt, Ieruſalem, & Sacerdos Dei Altiſſimi. Et iſto modo loquitur Apoſtolus *ad Heb.* 7. *Aſſimilans Sacerdotium Chriſti Domini, Sacerdotio Melchiſedech.* Fuit autem dictus *Melchidech*, propter bonitatem ſui Regiminis, quia Melchiſedech interpretatur Rex Iuſtitiæ; & vixit uſque ad quinquageſimum annum vitæ Iacob, ut tradunt DD. Ex filijs Sem, unus fuit *Aſſur* à quo deſcendunt Aſſyrij, de quo ſupradictum eſt. Deinde ſequitur *Arphaxad*, à quo deſcendunt Chaldæi, & *Aram*, à quo veniunt Syrij; unde in hebræo Syria, vocatur Aram, cuius Metropolis eſt Damaſcus. Et *Hus*, qui tenuit Principatum Traconitidis, de qua terra natum fuiſſe Iob tenent multi DD.. Et *Mes*, à quo denominati ſunt *Meones*, populi in Græcia, de quibus natus eſt Homerus, qui ideo dicitur Meonius Vates. Et *Heber*, qui fuit principium populi Dei, & ab iſto denominationem receperunt Iſraelitæ. Iſte Heber impoſuit filio ſuo nomen *Phaleg* ex diviſione terræ, quæ tunc erat futura; ideoque dicunt Hebræi, habuiſſe Spiritum Prophetiæ, quia impoſuit nomen filio ſuo, ab eventu futuro. Habuit Sem viginti ſeptem filios, ideoque ab illo orta ſunt viginti ſeptem Idiomata.

CAP. XI. Reflexio 49.

POſtquam deſcripta eſt multiplicatio generationis Noe, conſequenter deſcribitur unius partis electio. *Erat igitur terra Labij unius*; nam omnes homines habebant unicum Idioma, & hoc erat hebraicum. Quod patet, quia Adam impoſuit nomina rebus ſecundum illud Idioma, quod tunc erat; ſed nomina ibi impoſita, non inveniuntur in aliquo alio idiomate, niſi in hebræo: etenim Adam, Heva, Cain,

Cain, Abel, ſignificant aliquod in hæbreo, videlicet, perſonas prædictas, ſed non ſignificant in aliqua alia lingua; ideoque patet, quod primum Idioma fuit hebræum. Non manſit tamen Lingua Hebraica niſi in ſtirpe Heber, & in illis qui erant in recta Linea, ideoque dicitur lingua hebraica *ab Heber*. Homines igitur concordes in lingua, elegerunt unanimiter relinquere Armeniam, in qua poſt diluvium geniti fuerant, quærentes locum, ubi commodè poſſent manere, nam Armenia valde montuoſa eſt. Cumque proficiſcerentur de Oriente, invenerunt Campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo; erat enim terra valde magna, & plana, quæ nunc dicitur Chaldæa, ſive Babylonica. In hac ergo regione quieſcentes, dixerunt ad invicem: *Venite faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum: & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras*. Advertendum tamen eſt, quod eorum intentio erat, conſtruere edificium ita altum, ut excederet omnem altitudinem Montium, ne poſſet illùc attingere Diluvium, non vero, quod perveniret uſque ad ſummitatem Cœli, cum ſcirent hoc eſſe impoſſibile; maxime cum eſſet inter eos Nembrot, qui erat Aſtrologus, ſciens diſtantiam magnam, Cœli à terra, & Sphęram Ignis, in qua nullus vivere poſſet; ideo Hyperbole eſt, ſicut cum dicitur, *Aſtra ferit clamor*. Non ſolum autem timore diluvij, ſed ex ſuperbia fuerunt tales homines moti ad conſtruendum tale ædificium: inordinatè enim appetierunt proprij nominis gloriam, & famæ dilatationem: tunc enim fama alicuius extenditur, cum opera magna, & memorabilia agit. Peccaverunt etiam infidelitate, dum timebant Diluvium, licet Deus promiſiſſet Noe non amplius diſpergere terram aquis.

Reffe-

Reflexio 50.

INcepto igitur Turris ædificio, dicitur in Tex: *deſcendit autem Dominus ut videret Ciuitatem, & Turrim quam ædificabant filij Adam.* Hoc autem dicitur, non quod Deus indigeat deſcenſu ad videndum illa quæ fiunt in terra, cum ubique ſit; nihil enim in omnibus entibus magis intimum eſt, quam Deus; ſed ut per hoc inſtruantur Iudices, ne procedant ad ſententiam contrà Reum, donec cauſam illius clarè videant, & maturè examinent. Deindè Deus loquens ad Angelos, qui ſunt executores Divinæ Iuſtitiæ, ait *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Dicunt autem aliqui DD., quod unus Angelus ſtatim proſtravit ad ad terram Turrim inceptam; & tunc Deus confudit linguam eorum, turbando ipſorum intellectum; fecitque eos obliviſci Idioma, quod ante cognoverant, radendo videlicet ab intellectu habitum illum cognoſcitiuum verborum, & ſignificatorum; & cauſavit in eis quoſdam habitus cognoſcitivos novorum verborum, quatenus ſunt ſigna rerum. Qua propter, non amplius ſe intelligebant ad invicem, & ideo ceſſaverunt ædificare, quia quando unus petebat lapides, alter portabat cementum, & ſic credebat unus ab alio irrideri; propter quod mota fuit inter illos rixa, & contentio; & ſic diviſit illos Dominus ex illo loco in univerſas terras. Vnuſquiſque enim iungebat ſe illis, quos intelligebat; tales autem erant illi quibus contigerat unum Idioma, & sic divina providentia factum eſt, ut in varia loca, variaſque Inſulas receſſerint. Aſſur, videlicet, in Aſſyriam; Meſraim, in Ægyptum; Chus, in Ethiopiam; Tubal, in Hiſpaniam, & ſic de alijs. Obſtupeſce ergo Chriſtiane lector de ordine, & modo divinæ Sapientiæ, tùm in regendo res humanas; tùm in puniendo hominum ſcelera; & ſcias, quod modus, per quem Dominus Deus iſta inferiora gubernat, à nullo intelligitur, niſi à Beatis Spiritibus, clarè in Patria Deum videntibus. Quot

autem

autem Linguę in hac confuſione datæ fuerint, non apparet, ex textu; Sed quia conſtat ſupra Cap. X., quod filij filiorum Noe, habebant ſinguli linguas ſuas; quod procul dubio dictum fuit per anticipationem; communiter tenetur, quod fuerint 72. Idiomata; nam ſupradicti filij fuerunt ſeptuaginta duo. Vtrum autem aliquod idioma de datis hìc perierit, gente pereunte per bellicas clades, ignoratur; & an omnia Idiomata, quæ modo ſunt, in prædicta confuſione data fuerint; vel aliqua eorum humana voluntas, & induſtria excogitaverit, incertum prorſus eſt.

CAP. XII. Reflexio ſ1.

POſtquam Moyſes deſcripſit multiplicationem humani generis per duos ſtipites primos, nempe Adam, & Noe; hìc conſequenter idem facit per tertium ſtipitem, nempe Abram, qui deſcendit de Sem per Thare. Manebat autem Abram in Chaldæa, ubi traxit originem. Et dicunt DD. quod Nembrot, poſt diviſionem Linguarum, dominatus fuit ſuper Chaldæos; & quia cognovit homines illius temporis timere deſtructionem futuram per Ignem, docuit rudem illam plebem colere ipſum Ignem, affirmans; quod exhibita illi veneratione iſta, non eos incenderet quando omnes alios conſumeret. Sic poſtea Gentiles colebant Febrim, Timorem, Diſcordiam, & ſimilia, ne illis nocerent. Inter deceptos autem ab impio Nembrot, unus etiam fuit, ſcilicet *Thare* Pater Abram. Tradunt enim Hebræi, quod colebat Ignem, & inſuper in Domo ſua conſervabat Idola; quæ quodam die cernens Abram, Divino ardens zelo, ſtatim illa in fruſta concidit. Quapropter Thare accuſavit proprium filium apud Nembrot; unde ſtatim Abram, de mandato illius, fuit proiectus in Ignem, ſed Divina virtute exivit totaliter illæſus. Deinde Dominus, volens Abram ſegregatum ab Idolatris,

dixit

dixit ei: *Egredere de terra tua, & veni in terram quam monſtravero tibi; faciamque te in Gentem magnam, & benedicam tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ*. Ideſt, in ſemine de te naſcituro, quod eſt Chriſtus Dominus, in quo omnes Cognationes terræ, quæ erant morti æternæ obligatæ ratione peccati, liberatæ fuerunt, & redemptæ à miſera ſervitute Diaboli, pretioſiſſimo ſuo Sanguine. Deus enim non ſolum promiſit benedictionem Abrahæ, quæ reſpiciebat propriam perſonam, & particularem populum; ſed etiam illam, quæ ſe extendebat ad omne genus humanum.

Reflexio 52.

Accepto igitur Divino Mandato, ſtatim Abram reliquit Patriam, neſciens quò iret. Deus enim adhuc non revelauerat illi terram, ad quam erat iturus, ut magis appareret Abrahæ obedientia exeuntis ad præceptum Domini etiam ad locum indeterminatum. Cum eo autem ivit Lot, magis eligens eſſe cum Auunculo fideli, & iuſto, quàm remanere cum Conſanguineis ſceleratis. Venit ergo Abram in terram Chanaam cum Sara uxore ſua, omnique familia, ibique promiſit Deus poſteris ſuis ipſam terram; ideoque Abram ſtatim ædificavit Altare, ut per ſacrificia redderet gratias Deo de beneficijs acceptis. Dum igitur moratur tanquam peregrinus in prædicta terra, facta eſt fames in illa. Hoc autem permiſit Dominus ad experimentum ſervi ſui; & ut demonſtraretur futuris generationibus fides illius, & conſtantia in adverſis: magnus enim labor, & afflictio ſibi erat in tanta penuria, cum multam familiam haberet. Sciens verò, quod in Ægypto magna fertilitas erat, deſcendit ibi cum Vxore ſua; admonens illam, ut in Ægypto affirmaret ſolummodò ſe eſse ſororem ſuam, non vero Vxorem. Sciebat enim nefas eſſe apud ægyptios Adulterium, & morte plectendum; minuſque reputabant homicidium Viri, quam accedere ad illius Vxorem; ideoque Abram ut præcaveret vitæ

vitæ ſuæ, adhibuit hoc temperamentum; in quo tamen non docuit Saram mentiri, ſed veritatem cautè occultare, erant enim filij eiuſdem patris, licet non immediatè. Secundum autem morem Sacræ Scripturæ, omnes qui ſunt de eadem Cognatione, vocantur fratres. Sed dices: quomodo homo tantæ Sanctitatis, expoſuit Vxorem ſuam periculo adulterij? Dicendum, quod Abram habebat familiam magnam, nec poterat eam commode ſuſtentare in terra Chanaam, cum non haberet ſufficentem pecuniam in tanta penuria, ideoque debuit occurrere tali periculo. Ex alia vero parte, videbat quidem quod Vxor ſua poterat pati periculum violatæ Caſtitatis, ſed ſemper quando ſunt duo pericula ſimul, tunc ſecundum humanam prudentiam, urgentiſſimum vitandum eſt. At periculum famis erat imminens, periculum autem Caſtitatis Vxoris erat ſolum probabiliter futurum; ideoque potius Abram debuit ſuccurrere periculo famis, quam periculo Caſtitatis; cum primum eſſet certum; ſecundum vero ſolummodo præſumptum. Præterea exiſtimabat, quod Vxor ſua conſervaretur Regi propter ſuam pulchritudinem. Sciebat autem quod tempore illo, Reges non accedebant ad Vxores ſuas de novo acceptas, niſi poſt anni circulum, ſicut patet *in l. Eſther. Cap.* 2. Primis enim ſex menſibus, ungebantur oleo Myrtino, & in alijs ſex, quibuſdam pigmentis, ut deinde tranſirent ad Regis cubiculum. Infra autem tanti temporis ſpatium, ſperabat Abram de divino adiutorio Vxori ſuæ futuro. Hinc Sanctus Auguſtinus, ait de Abram: *Fecit quod potuit, quod non potuit Deo dereliquit.*

Reflexio 53.

INgreſſo Abram cum Vxore ſua Ægyptum, videntes Servi Regis tam decoram Mulierem, & exiſtimantes gratiam Principis ſe conſecuturos, ſtatim ingreſſi ſunt ad Pharaonem, commendantes pulchritudinem illius; & ex hoc inferentes, quod talis Mulier ad ſolum Regem pertinere debebat;

bebat; quapropter caſtiſſima Sara ſublata eſt in Domu m Principis: *Abram vero bene uſi ſunt propter illam*, recepitq ue multa dona. Aliqui tamen DD. dicunt, quod Abram fuit multum honoratus ab ægyptijs, quia eos docuit Aritmeticam, & Aſtrologiam, ut refert Ioſephus, quod quidem eſt ſatis probabile; quia Aſtrologia, & Geometria, & Aritmetica fuerunt inventæ in terra Chaldæorum; quare Abra m cum eſset origine Chaldæus, potuit ibidem perfecte addiſcere has ſcientias, quas deinde alios doceret. Poſtea vero ex ægyptijs delatæ fuerunt iſtæ ſcientiæ ad Grecos. Cœterum ſi Abram docuit in Ægypto, hoc fuit per modicum tempus, quia non manſit ibi, niſi per annum. Veruntamèn hoc modicum fuit ægyptijs principium ad excogitandum multa, tum in Aſtronomia, tum in alijs ſcientijs, quod ſatis concordat Ariſtoteli, dicenti *pr. Metaph*: quod propter nimium admirari, Sacerdotes in Egypto cæperunt philoſophari. Sublata igitur Sara in Palatio Regis, flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum totam illius. Et dicunt DD. Cattholici, quod fuit concluſio Vulvæ Vxorum Regis, & ſervorum ſuorum, itaquod parere non poterant. Hebræi autem dicunt, quod fuit fluxus ſeminis, itaquod concubitus carnalis erat non ſolum gravis, ſed intolerabilis, tum Regi, tum Principibus illius. Quia ergo Abram fideliter fecerat, quantum poterat via humana, & reſiduum commiſerat providentiæ Divinæ, Deus qui eſt protector omnium in ſe ſperantium, pudicitiam Saræ, etiam in Aula Regia, conſervauit illæſam.

CAP.

CAP. XIII. Reflexio 54.

DEſcripto qualiter Abram ſe habuit ad Deum, hìc deſcribitur qualiter ſe habuit ad proximum. Relicto igitur Ægypto, & ceſſata penuria, redijt in terram Chanaam cum tota familia, per iter quò venerat, ut dicitur *in tex.* Sed in hebræo habetur: P*er manſiones, quibus venerat*. Et cauſa fuit, quia quando perrexit in Ægyptum, nòn habebat ſufficientem pecuniam prò ſolvendis expenſis, & ideo contraxit in hoſpitijs aliqua debita: quapropter ſanctus Vir redijt per eaſdem manſiones, ad illa exactiſſimè ſolvenda. Deinde acceſſit ad locum, ubi prius erexerat Altare, ibique gratias egit Deo, qui ipſum, & Vxorem, totamque familiam conſervaverat, & in bonis multiplicaverat. Cum vero tam Abrhaæ, quam Lot, eſſent greges ovium, & multa ſubſtantia, facta eſt rixa inter Paſtores utriuſque: quia tam iſti, quam illi, volebant ſibi præoccupare meliora Paſcua, & meliores Aquas. Ex hoc patet, quod divitiæ plerumque ſunt cauſæ inimicitiæ, non ſolum inter amicos, ſed etiam inter conſanguineos. Tunc Abram dixit ad Lot: *Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, fratres enim ſumus: recede à me obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo*. Sanctus enim Vir, magis elegit recedere à Nepote ſuo, licet eſſet ſibi hoc delectabile, quam inter diſcordias vivere; & ne propter iſtas moveretur lis coram Iudicibus Infidelibus. Pertinet enim àd virum prudentem, & ſuperiorem, viſa occaſione mali futuri, ſtatim providere, unde quidam dixit

Principijs obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala, perlongas convaluere Moras,

Igitur diviſi ſunt alterutrum; & Abram habitavit in terra Chanaam, nempè in illa parte, pertinente ad populum,

qui ſpecialiter vocabatur Chananeus. Lot vero habitavit in Sodomis: tamen inter ſceleratos retinuit ſemper puritatem, & intactam cuſtodivit innocentiam. Poſt hanc ſeparationem locutus eſt Dominus Abrahæ, promittens ei terram, & multiplicationem prolis. Divinæ namque revelationes ſolent fieri mentibus à perturbationibus ſæculi totaliter purgatis. Societas autem Lot, propter rixam Paſtorum, erat Abrahæ cauſa perturbationis, qua remota, ſecuta fuit Divina apparitio.

CAP. XIV. Reflexio 55.

Poſtquam Moyſes deſcripſit, qualiter Abram ſe bene habuit ad proximum in proſperis; hìc deſcribit, quomodo ſe habuit ad illum in adverſis. Dum ergo Abram domeſticis litigijs à ſe abdicatis in pace quieſcit, ecce bellum inſurgit. Cauſa fuit, quia Bara, Rex Sodomorum; & Berſa, Rex Gomorrhæ; Sennaab, Rex Adamæ; Semeber, Rex Seboim; & Rex Balæ, ſervierunt duodecim annis Chodorlahomor Regi Elemitarum, reddentes ei annuum tributum. In tertio decimo autem anno noluerunt hoc præſtare; quapropter Chodorlahomor inijt fœdus cum tribus Regibus, ſcilicet, cum Amraphel, Rege Sennaar, qui fuit Nembrot qui regnabat in Babylone, quæ eſt in terra Sennaar; & cum Arioch Rege Ponti; & cum Thedal, Rege Gentium, ſic dictus, quia in Regno ſuo erant multi de diverſis Nationibus. Cum auxilio igitur iſtorum trium Regum, direxit bellum Chodorlahomor, percutiens primò Gigantes, & alios ſuos inimicos. Tunc prædicti quinque Reges exierunt contra illum in pugnam; ſed inito certamine ſuperati fuerunt; quare cōfæderati Reges victores exiſtentes, tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum, & vinctum etiam Lot duxerunt captiuum. Ex ſocietate namque

que

que malorum incurrunt aliquando Iuſti pœnam temporalem, licèt non ſint ullo modo participes criminis. Vnus autem, qui de pugna evaſerat, nunciavit Abrhaæ belli eventum,& captivitatem nepotis ſui;unde,nulla interpoſita mora, numeravit expeditos Vernaculos ſuos, videlicet ſervos natos in domo ſua. Et quia habebat fœdus cum Aner, & cum Eſchol, ut orta occaſione ſe invicem adiuvarent,iunxit ſe illis, & diviſis ſocijs fecit diverſas Turmas, ut inimicis maiorem incuteret terrorem. Deinde totaliter ſperans de Divino adiutorio ſibi adſuturo, inſequitur hoſtes; pervenit ad illos; committit bellum; & cum paucis ſervis glorioſum de quatuor Regibus, cum omnibus ſuis exercitibus, reportat triumphum. Sciendum eſt tamen, quod quilibet prædictorum Regum erat Dominus unius tantum Civitatis; licet forte aliquos viculos, vel ſuburbana circumquaque haberet: tantum enim in illo ſæculo creverat libido dominandi, ut non ſolum in Civitatibus, ſed etiam in parvis oppidis Reges inſurgere vellent.

Reflexio 56.

Redeunte autem Abram de prælio, dicit Divina Scriptura: *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi, benedixit ei, & ait: benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit Cœlum, & Terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus ſuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus*. Advertendum eſt autem, quod ſceleſtiſſimi Iudæi, adverſarij Fidei, nituntur ſemper depravare ſcripturas, quæ expreſsè loquuntur de Chriſto Domino, inter quas eſt iſta. Dicunt igitur aliqui Rabbini: quod Melchiſedech protulit panem, & vinum non in Sacrificium, ſed ad reficiendum Abram, & populum eius redeuntem de prælio. Sed terrena hæc expoſitio, propria eſt terreæ mentis; & cum habeat pro obiecto cibum, carnali populo digna eſt. Falſitas autem il-

lius, expreſsè patet per litteram antecedentem: dictum eſt enim ſupra, quod illi quatuor Reges aſportaverant de Sodomis univerſa, quæ pertinent ad cibum; non poterant autem in tam brevi tempore omnia conſumpſiſſe, & ideo Abram ſatis ibi invenit de victualibus pro ſe, & pro populo ſuo. Item falſitas patet per litteram ſubſequentem, ubi Abram nihil voluit de præda, exceptis illis, quæ comederant pueri, ideſt, bellatores, qui ſecum fuerant. Accedit quod poſt illa verba *proferens panem, & vinum*, immediate ſubditur, pro qua cauſa, dum dicitur: *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*. Ex quo patet, quod obtulit panem, & vinum ad offerendum Sacrificium; hoc enim pertinet ad officium Sacerdotis. Alij Rabbini dicunt: quod Melchiſedech protulit quidem panem, & vinum pro Sacrificio offerendo, ſed non per ſeipſum, quia non erat Sacerdos; ſed per Abram, qui tanquam Sacerdos legitur pluries Deo Sacrificium obtuliſſe; & ideo illud quod in Tex. ſequitur: *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*: non referunt ad Melchiſedech, ſed ad Abram. Item illud: *& dedit ei decimas ex omnibus*, referunt ad Melchiſedech, quaſi iſte dederit decimas de omnibus ipſi Abrahæ. Sed falſitas huius perverſæ, & diſtortæ expoſitionis apparet ex hoc, quod Melchiſedech benedixit Abrahæ, dicens, *Benedictus Abram Deo Excelſo*, ſed benedicere pertinet ad Sacerdotem, quia quod minus eſt, ſine contradictione à meliori benedicitur, ut habetur ad *Hebr. cap*, 7. Item, quod Melchiſedech daret decimas de omnibus reportatis Abrahæ, patet erroneum: quia res in præda acceptæ non erant in poteſtate ipſius Melchiſedech, nec ab ipſo acquiſitæ in bello, ſed ab Abram qui pugnaverat, & victor exiſtens prædam habebat apud ſe. Tandem, ad illud quod dicunt, ſcilicet, Abram fuiſse Sacerdotem, quia pluries ſacrificavit, non valet illatio. Nam Abram ſacrificabat, quia non erat hoc ſibi prohibitum, cum adhuc non eſſet aſſignatum à Deo officium particulari perſonæ. Nam quod Sacerdotes ſoli hoc facerent, determinatum fuit poſtea per Legem. Melchiſedech

vero

vero dicitur Sacerdos Dei Altiſſimi, quia habebat officium offerendi,& immolandi potius quam alij. Ante legem enim datam, erant aliqui Sacerdotes, qui ſacra facerent; tamen quia lex non prohibebat, poterat unuſquiſque offerre. Et dato quod ſoli Primogeniti eſſent Sacerdotes, tamen hoc non tollebat, quod alij non poſſent in Lege Naturæ ſacrificare. Hoc autem patet: nam Caim, qui fuit primogentius, offerebat Sacrificium, & idem faciebat Abel, qui erat ſecundo genitus. Relictis igitur Iudæorum deliramentis, & perfidijs, dicendum eſt: quod Melchiſedech erat Sem primogenitus Noe, qui vixit etiam ultra nativitatem Iacob; eratque Rex Salem, ideſt, Ieruſalem, quam ipſe primò fundavit, licet Chananæi tunc illam violenter detinerent; & erat Sacerdos Dei Altiſſimi; tum quia habebat officium immolandi, ut prædictum eſt; tum quia erat pater illorum, qui remanſerant in cultu unius veri Dei. Audita igitur Victoria Abrahæ, facta divina virtute, protulit panem, & vinum in Sacrificium, reddendo gratias Deo, & benedicendo Abram, apud quem erant omnia acquiſita in bello; ideoque ſtatim Abram dedit decimas de omnibus ipſi Melchiſedech, tanquam Sacerdoti Dei Altiſſimi; ut per hoc confiteretur, ſe iſta habuiſse à Deo, dum exhibebat decimas ſuo Miniſtro.

CAP. XV. Reflexio 57.

Dicto qualiter ſe habuit Abram ad Deum, & proximum, hìc deſcribitur, qualiter ſe habuit ad ſeipſum,& hoc fuit in petenda prole, quæ reputatur una perſona cum illo cuius eſt; vivente enim filio dicitur vivere etiam pater, ut patet *Eccleſ.* 30. Sciendum eſt autem, quod Abram ex victoria tam ſolemni, quam Dominus illi dederat, timuit ne in hoc accepiſset totam mercedem

Iuſtitiæ ſuæ, & ideo Dominus aſſecuravit eum de alia magna, & vera mercede, dicens illi: *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Quaſi diceret, parum eſt, quod tibi dederim præcedentem victoriam, nam maior adhuc merces tibi futura eſt. Ex hoc verbo Domini, ſumpſit Abram occaſionem petendi prolem. Secundum enim naturale deſiderium, quodlibet Animal cupit ſe conſervare per generationem in ſuo ſimili, & maxime homo, qui in filio ſuo recognoſcit imaginem ſuam, cum ſit rationis capax. Tunc Deus eduxit Abram foras, & dixit ei: *Suſpice Cœlum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum*. His auditis *credidit*, ut ait Tex. *Abram Deo, & reputatum eſt illi ad Iuſtitiam*; nam Deus reputavit ei hoc ad magnam bonitatem, quia promiſerat Abrahæ aliquod, quod non poterat fieri curſu naturæ, cum ipſe haberet centum annos, & Sara eius Vxor ſterilis prorſus eſſet. Eſt autem Fides virtus ſecundum quam aſſentimur veritatibus à Deo revelatis; & dicitur iuſtificare, quia in Abram erat Charitate formata: Fides vero informis non iuſtificat, quia non facit hominem Deo acceptum. Deinde Dominus promiſit etiam Abrahæ terram Chanaam. Adverte autem quod terra iſta fuit data Abrahæ quantum ad proprietatem, quam Deus tranſtulit in illum, ſed non quantum ad poſſeſſionem. Etenim ſanctus Vir habitavit ſemper in illa tamquam peregrinus: Poſteri tamen ſui illam poſſederunt. Audita ergo promiſſione Divina humiliter dixit Domino: *Vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam*? Sed dices: ſi Abram credidit, cur ſignum petijt? Dicendum, quod hoc fuit duplici de cauſa. Prima, quia licet in nullo de facto dubitaret, tamen modum neſciebat; & ideo de iſto quæſivit. Sicut Beatiſſima Virgo Deipara, aſſentiens verbis Archangeli, ſed neſciens modum adimpletionis, percunctata eſt, dicens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Secunda fuit; quia Abram ſciebat, quod promiſſa Dei ſunt conditionalia, ſcilicet, ſi ille cui fiunt non mutetur ad oppoſitum; & quia ſciebat ſe poſſe

poſſe peccare, cum eſset circundatuş infirmitate, timebat ne mutaretur à ſtatu gratiæ, & ſic promiſſum ob ſuam culpam non adimpleretur; ideo petijt de hoc certificari per ſignum ſenſibile.

Reflexio 58.

VOlens igitur Deus conſolari ſeruum ſuum, dedit ei ſignum quod eius ſemen poſſeſſurus eſſet terram, dicens: *Sume mihi Vaccam triennem, & Capram trimam, & Arietem annorum trium, Turturem quoque, & Columbam*. Pro intelligentia autem Tex: conſiderandum eſt: quod quandiu filij Iſrael ſteterunt in cultu unius veri Dei, poſſederunt pacificè terram promiſſionis; quando vero declinaverunt ad idolatriam, fuerunt ab inimicis devicti, ut patet *in Libris Iudicum, & Regum*. Et quando nimis abundavit eorum malitia, captivati tunc fuerunt per Chaldeos; & tandem per Romanos, eo quod Auctorem fidei, & Redemptorem Chriſtum Dominum negauerunt, & occiderunt: ex quo manifeſte ſequitur, quod cultus unius veri Dei, erat illud per quod poſſideri poterat terra illa. Iſte autem cultus, licet principaliter ſit in actibus interioribus mentis, tamen requiritur etiam cultus exterior, qui eſt proteſtatio interioris. At in Lege veteri cultus exterior erat per Sacrificia; ideoque de talibus Dominus inſtruxit hìc Abram, dum præcepit ei, quod ſumeret Vaccam triennem, & Capram, & Arietem annorum trium, nam de iſtis tribus ſpeciebus erant fienda Sacrificia. Et quia de qualibet ſpecie prædicta fiebat in lege triplex Sacrificium, nempè Holocauſtum; Hoſtia pro peccato; & Hoſtia pacifica, ideo iuſſit Dominus hìc, ut quodlibet prædictorum individuorum eſſet trium annorum. De volatilibus autem non fiebat Sacrificium, niſi de duabus ſpeciebus, Turturis, videlicet, & Columbæ; ideo iſtæ duæ ſpecies pariter hìc iubentur. Licet autem in mundatione Leproſi fieret oblatio de Paſſeribus, tamen non fit hic mentio

de tali ſpecie, quia non erat communis oblatio. Tollens igitur Abram univerſa hæc, diviſit illa per medium, & poſuit utraſque partes contra ſe: Aves autem non diviſit. Tunc deſcenderunt Volucres ſuper Cadavera, & Abram abigebat eas. Cauſa autem huius partitionis fuit: quia tunc temporis, quando hominem adinvicem faciebant pacta, interficiebant unum animal, ipſumque dividebant in duas partes; ad deſignandum, quod contrahentes digni erant morte, ſi pactum illud transgrederentur. Et uterque tranſibat inter partes animalis occiſi. Dominus autem pepigit hìc fœdus cum Abram; ideoque animalia prædicta fuerunt diviſa in duas partes, & ſic diſpoſitæ, ut inter illas poſſet eſſe tranſitus. Aves vero non diviſit, quia in confirmatione pacti, non dividebantur. Alia eſt cauſa myſtica, quia per animalia prius dicta deſignatur vita Activa, quæ dividit hominem circa multa: per Aves autem deſignatur vita contemplativa, quæ non dividit, ſed unit hominem ad Deum per aſcenſum mentis in ipſum.

Reflexio 59.

HIs ergo diſpoſitis, cùm ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abrã, & horror magnus, & tenebroſus invaſit eum. Fuit enim paſſio multum formidoloſa, quia talis horror venit in tenebris; res autem ſunt magis terribiles in tenebris, quam in die. Per hoc autem deſignabantur afflictiones, quas paſſuri erant filij eius, antequam obtinerent terram promiſſionis. Principaliter vero ſignabantur per hoc, tribulationes quas oportet ſuſtinere fideles antequam perveniant ad cœleſtem patriam. Deinde Dominus dixit Abrahæ: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis. Generatione autem quarta revertentur hùc.* Sciendum eſt autem, quod iſti anni non ſunt cumputandi à primo anno quo intraverunt Iſraelitæ in Ægyptum, quia non

non manſerunt ibi 400. anni, ſed ſolummodo 210., ut tradunt Hebræi ex ſuis Chronicis; ideo iſti 400. anni deducendi ſunt à nativitate Iſaac, in qua vocatum eſt ſemen Abrahæ, ut patet infra Cap. 21., à qua nativitate uſquequò genuit Iacob, fluxerunt anni 60., ut habetur infra Cap. 25. Iacob autem erat annorum 130. quando deſcendit in Ægyptum, ut habetur infra Cap. 47. & ſic, à nativitate Iſaac uſque ad deſcenſum in Ægyptum, fluxerunt anni 190., quibus ſi iungantur anni 210. quibus ſteterunt filij Iſrael in Ægyptum, habentur preciſè anni 400. in quibus ſemen Abrahæ fuit peregrinum in terra non ſua, ſcilicet, partim in terra Chanaã, in qua tam Iſaac, quam Iacob, habitaverunt ut peregrini; & eorum filij in Ægypto, ubi ſuſtinuerunt tot afflictiones. Generatione autem quarta reverterunt Iſraelitæ ad terram promiſſionis. Sed adverte quod iſtæ quatuor generationes non ſunt accipiendæ ab Abram, ſed à Iacob qui deſcendit in Ægyptum. Nam Iacob genuit Iudam, Iudas autem genuit Phares; Phares autem genuit Eſron; Eſron autem genuit Caleb, ut habetur *primo Paralip: Cap.* 2., & iſte Caleb, in quo completa fuit quarta generatio, intravit cum alijs in terram promiſſionis, ut habetur *Num* 14., *&* *Ioſue* 14. Interea, dum conſumaretur Abrahæ ſacrificium, apparuit Clibanus fumãs, & Lampas ignis trãnſiens inter diviſiones. Signabat autem iſte Clibanus duram ſervitutem Iſraelitarum in Egypto; & erat ardens ad denotandas paſſiones, & anguſtias, quas hæbræi debebant ibìdem ſuſtinere; nam ignis eſt maxime afflictiuus; & erat fumans, ad deſignandum fletum, quem in Ægypto paſſuri erant: fumus enim excitat lacrymas. Lampas vero ignis tranſiens inter diviſiones animalium, denotabat qualiter pactum erat confirmatum; quia ſicut prædictũ eſt, iniens pactum cum aliquo, tranſibat inter partes animalis occiſi; Deus autem fecerat pactum cum Abram: at Divinitas oculis ſenſibilibus videri non poteſt, ideo apparuit Ignis repreſentans præſentiam Dei. Et quia Deus non poterat tranſire per diviſiones, cum ubique ſit, faciebat lo-

co ſui

ëo ſui tranſire flammam inter ipſas, ad oſtendendam firmitatem pacti. Sicut in confirmatione Legis, populus quidem fuit aſperſus ſanguine, ſed loco Dei, qui non poterat aſpergi, fuit aſperſum Altare, quod Divinam ſuam Maieſtatem repreſentabat.

CAP. XVI. Reflexio 60.

OStento qualiter ſe habuit Abram in deſiderio prolis, hìc oſtenditur qualiter bene ſe habuit reſpectu Vxoris. Sciens ergo Sara per Divinam revelationem, vel à Marito, quod Dominus promiſerat Abrahæ multiplicationem ſui Seminis, & videns ſe ineptam ad concipiendum, rogavit Maritum ut gigneret ex Ancilla: tunc Abram acquievit deprecanti. Non acceſſit vero ad Agar, tanquam ad concubinam, ſed tamquam ad Vxorem. Semper enim actus carnalis, extra propriam Vxorem, fuit peccatum. Nec repræhenditur Abram de Bigamia ſicut Lamech, quia non accepit ſecundam uxorem libidine ductus, ſed amore prolis; nec abſque conſenſu primæ uxoris, ſed ipſa ſupplicante. Dicunt autem multi DD., quod iſta Agar fuit filia Regis Ægypti. Vna enim de Vxoribus Pharaonis, videns ſanctitatem Saræ, tradidit ei in ancillam unam de filiabus ſuis. Ad hanc igitur ingreſſus eſt Abram; quæ concepto fętu, ſtatim deſpexit dominam ſuam. Exiſtimavit enim, quod omnia bona à Deo promiſſa Arahæ adimplerentur in ſua prole; & ideo prorupit in elationem, contempſitque Saram tamquam excluſam à Divino promiſſo. Quapropter Sara afflixit illam, quæ fugam arripuit; reputans ex ſuperbia correctionem Dominæ intollerabilem. Dum autem erraret per Deſertum, Angelus Domini vocavit eam quærens quò tenderet; quæ reſpondit, fugere à facie Saræ Dominæ ſuæ. In qua reſponſione humilitatem exhibuit, manifeſtè recognoſcens Saram pro Domina ſua.

Digitized by Google

na ſua. Vnde Angelus cernens illius humiliationem promiſit ei bona futura, dicens: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum*. Et loquitur in perſona Dei, quia Angelus non poteſt multiplicare ſua virtute filios, cum non ſit Dominus naturæ. Dicunt autem DD., quod Angelus ſic apparebat in ſimilitudine aſſumpta, quaſi habens faciem averſam ab Agar; ideoque dixit Agar: *Profectò hic vidi poſteriora videntis me*. Et per hoc deſignabatur, quod de Angelis non habemus cognitionem niſi valde longinquam, non vero propriam, & determinatam. Addunt aliqui, quod Agar in ſolitudine paſſa fuerat Abortum, in pœnam Dominæ ſuæ contemptæ; ſed quia acquievit Angelo monenti reditum, & humiliata fuit, Deus vivificavit in utero filium. Valde autem Agar affligebatur de tali Abortu; quapropter Angelus dixit ei, quod vocaret nomen pueri naſcituri Iſmael, eoquod audierit Dominus afflictionem ſuam.

CAP. XVII. Reflexio 61.

DEſcripto ſtatu Abrahæ in quantum fuit incipiens, hic deſcribitur ſtatus in quo fuit proficiens. Et quia ſuprà Deo adhæſerat per fidem, hic adhæret per Circuncifionem, quæ erat ſignum diſtinctivum populi Dei à cœteris Gentibus. Dixit igitur Dominus ad illum: *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Iſtud enim eſt præcipuum, quod tollit hominem à peccato, continua videlicet meditatio de præſentia Dei in omnibus operationibus ſuis. Deinde explicavit pactum dicens: *Circumcidetur ex vobis omne Maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. Sciendum eſt autem, quod in Circunciſione tria neceſſario requirebantur. Primum erat, ſexus maſculinus, cuius ratio erat, quia Circunciſio fuit ſignum diſtinguens Iſraelitas à reli-

quis Gentibus, inquantum habebant veram fidem, & cultum unius veri Dei; & cum datum fuerit tempore Legis naturæ, debuit dari in ſexu per ſe intento à natura: talis autem eſt ſexus maſculinus, nam ſecundum Philoſophum, fœmina eſt mas occaſionatus. Item fides illa, & cultus Divinus tunc temporis derivabatur ad alios per generationem carnalem, in quantum patres docebant filios de talibus: in maſculo autem eſt principium generationis activum. Secundum fuit, determinata pars, nempe præputium, propter duas rationes. Prima, ad debilitationem concupiſcentiæ carnalis, quæ magis viget in illa parte. Secunda, ad deteſtationem Idolatriæ, quia Gentiles in ſacris nefandiſſimis Priapi, honorabant pudendam illam partem, & per modum cuiuſdam augumenti aliqua addebant; ideo voluit Deus, quod in tali membro fieret reciſio. Tertium, fuit tempus octo dierum, quod non poterat anticipari, quia ante octavam diem Puer eſt valde tener, ideoque in circumciſione poterat incurrere vitæ periculum; nec poterat differri ultrà prædictum tempus à parentibus Infantis, vel Tutoribus ſub pœna mortis; quam etiam pœnam incurrebat adultus negligens circumcìdi. Vocatur vero hìc circumciſio fœdus æternum. Sed adverte quod iſte terminus, non accipitur hìc proprie ſecundum quod dicimus Cœlum æternum, vel anima rationalis; ſed accipitur pro magno quodam tempore: ſicut in pſalmis, montes vocantur æterni, videlicet propter eorum longam durationem. Similiter hìc etiam dicitur: *Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ in poſſeſſionem æternam*. Et tamen Iſraelitæ poſſederunt ſolummodò illam ad longum tempus.

Reflexio 62.

POſt præſcriptam Circunciſionem, ne putaret Abram quod promiſſiones Divinæ eſſent adimplendæ in Iſmaele, ſuiſque deſcendentibus, promiſit Deus illi filium ex Sara; in cuius ſemine, quod eſt Chriſtus Domi-

nus,

mus, benedicerentur omnes Gentes. Quo audito Abram riſit, præ cordis, videlicet, exultatione; non enim fuit irriſio diffidentis, ſed exultatio congaudentis, & ſimiliter cum dixit: *putas ne centenario naſcetur filius?* Non fuerunt verba dubitantis, ſed admirantis divinum beneficium. Et quia certus erat, ſtante divina promiſſione, de alio filio, timuit ne Dominus vellet abreviare vitam Iſmaelis, & ideo rogavit Dominum pro ipſo dicens: *Vtinam Iſmael vivat coram te*: ideſt, faciens ſemper tuam voluntatem. Quapropter Dominus dixit ei: *Super Iſmael quoque exaudivi te*: Et ex hoc dicunt multi DD., quod Iſmael finivit in bono vitam, quia de tali fine, qui ſolus eſt ſumma rerum, rogavit Abram Deum. Promiſit etiam Dominus multiplicare Iſmael valdè, & quod duodecim Duces generaret. Sed pactum de poſſidenda terra, reſpiciebat ſolummodo Iſaac, eo quod in ſemine illius, quod eſt Chriſtus Dominus, benedicerentur omnes Gentes. Dicit autem Methodius Martyr, quod in quibuſdam Arcanis ſæculorum reperitur ſcriptum, quod de genere Iſmael quatuor Principes futuri ſunt, qui vocantur ibidem *filij Vinea*, ideſt, pro Veſania, ebrij. Dicit etiam, quod filij Iſmael ſemel exeant, & obtineant Orbem per octo Hebdomadas annorum, ideſt 54. annos, & tunc vocabitur via illorum via anguſtiæ: nam in ſacris locis interficient Sacerdotes, & ad ſepulchra Sanctorum relegabunt Iumenta ſua, ibique cum Mulieribus dormient; poſt elapſum vero tempus prædictorum annorum deficient.

Reflexio 63.

Accepto igitur Abram à Domino, circumciſionis mandato, tulit Iſmael filium ſuum, & omnes Vernaculos, univerſoſque ſervos quos emerat, & circumcidit carnem preputij eorum ſtatim in ipſa die. In quo patet magna ipſius obedientia: verus namque obediens moras neſcit; ſicut verus moralis, nihil in agendo moratur,

poſtquam

poſtquam conſiliatus fuerit, ut ait *Ariſt. 6. Ethic:* quia poſt perfectum conſilium, nihil remanet niſi operatio: ita propoſito præcepto obedienti, nihil reſtat niſi executio. Patet etiam obedientia Iſmaelis; qui licet eſſet quatuordecim annorum, non recuſavit ſubire dolores acerbiſſimos circumciſionis, & ſimiliter totius familiæ maſculinæ. Et ſi quæras, quare non fiebat aliquod ſignum in mulieribus Hebræis, per quod diſtinguerentur à mulieribus Gentilibus: Dico: quod non erat hoc neceſſarium, quia cum Viri earum eſſent principales, & Vxores ſequerentur ritum Virorum ſuorum, facta in illis diſtinctione, ſatis apparebat facta in fęminis. Adverte autem, quod hæc Lex non obligabat niſi Hebræos, cum non eſſet data niſi illis; licet Gentiles, ſi vellent circumcidi, conſequerentur eumdem effectum, videlicet, remiſſionem peccati Originalis. Sed iſti poterant bene ſalvari ſine Circumciſione, ſcilicet, non peccantes contrà præcepta Decalogi, & non colentes Idola, ſed credentes unum Deum verum, remuneratorem bonorum operum; & tales morientes, ſi nullum peccatum haberent puniendum, recipiebantur in ſinum Abrahæ, ubi nullus dolor, vel ſenſitiva paſſio eſt. Si vero habuiſſent peccata contra præcepta Decalogi, tunc ſi vere pœniterent, ducebantur in Purgatorio, ut inexpletam ſatisfactionem ſcelerum, ſuſtinendo illas pœnas, complerent. Contritio namque, non fuit ullo tempore minoris virtutis, quam nunc. Accedit, quod feminæ hebreæ per fidem unius Veri Dei, & bona opera abſolvebantur à peccato originali, & ab actualibus; & idem erat de Gentibus viventibus ſecundum legem Naturæ, ad quam ſolum tunc temporis tenebantur.

CAP. XVIII. Reflexio 64.

Viſo qualiter Abram proficiens ſe habuit ad Deum; hic demonſtratur, qualiter ſe habuit ad proximum in operibus charitatis. Manebat igitur ſanctus Vir in Convalle Mambre, ſedens in Oſtio Tabernaculi in ipſo fervore diei; & hoc erat ad videndum si tranſirent Viatores, quos poſſet recipere ad menſam: quando enim incipit ferveſcere dies in meridie, tunc eſt hora in qua Peregrini ſolent ad hoſpitia declinare cauſa refectionis. Expectabat ergo cum vehementi deſiderio ut aliqui venirent, quibus pietatis obſequia exhiberet. Tunc Deus videns affectum ſervi ſui ad opus charitatis, fecit apparere tres Angelos in ſpecie Virorum, ut Abram exhiberet illis hoſpitalitatem; quos ut vidit ſtatim ſurrexit in eorum occurſum: Peregrini namque non ſolum ſunt invitandi, ſed etiam trahendi. Deinde humiliter precatus eſt eos, ut dignarentur ſecum manere; & licet eſſent tres, tamen ſic apparebant quaſi unus eſſet principalis inter eos. Dicunt autem Hebræi, quod unus Angelus veniebat ad nunciandum Saræ conceptum; alius ad ſubvertendam Sodomam, & quatuor alias Civitates; tertius verò ad ſanandum Abram, qui erat de novo circumciſus, & ad liberandum Lot de Sodomis. Et addunt, quod tres iſti Angeli fuerunt Michael, Gabriel, & Raphael; ita quod Michael erat in medio, quia venerat ad nunciandum Saræ conceptum: hoc autem erat principale negocium, eoquod inde naſciturus erat Chriſtus Dominus: & interpretatio nominis conſonat prædictis tribus Angelis; Michael namque interpretatur, *quis ut Deus*? Gabriel vero, *fortitudo Dei*, & Raphael, *medicina Dei*.

Reflexio. 65.

CVm igitur Angeli acquieſcerent Abrahæ deprecanti, cucurrit ad Armentum, & tulit inde Vitulum tenerrimum, & optimum, deditque illum puero, qui feſtinavit, & coxit illum. Dicunt autem aliqui DD. quod iſte puer fuit Iſmael, cui Abram, ut illum aſſuefaceret operibus charitatis in tenera ætate, tradidit cibum parandum. Tulit quoque butyrum, & lac, & poſuit omnia coram Angelis; ipſe vero ſtabat iuxſta illos ſub Arbore, ut obſervaret, ſi aliquid deficeret illis. Iſta autem Arbor eſt quę vocatur Ilex Mambre, quæ valde magna & umbroſa erat. Cumque comediſſent, dixit Angelus ad Abram: *Revertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara Vxor tua*: Loquebatur autem Angelus more humano, quia putabatur homo ab his, quibus loquebatur, nam certum erat, quod Angelus victurus erat, quia ſpiritus eſt, & non poteſt deficere per naturam, cum non conſtet ex contrarijs. Sed hìc occvrrit dubium. Quomodo verè comederunt Angeli cum animalia non eſſent? dicendum: quod illum cibum reſolvebant in aerem, ſicut ignis reſolvit oleum, vel lignum, quæ ſunt ſua alimenta. Et idem fuit de Chriſto Domino, quando poſt reſurrectionem comedit partem piſicis aſſi, & fauum mellis. Corpora enim glorificata poſt reſurrectionem, nec cibo indigent, nec tranſmutant in ſe, ſed deſtruunt reſolvendo. Aliter tamen erat de Chriſto Domino, & de iſtis Angelis, quia Salvator Deus comedere proprie poterat, cum haberet potentiam nutritivam, convertentem cibum in ſubſtantiam corpoream, licèt tali converſione non indigeret. Angelus autem non habet corpoream ſubſtantiam in quam naturaliter cibus converti poſſit, nec vim nutritivam convertentem, ſed ſolum eſt in eo quædam vis conſumptiva, vel tranſmutativa cibi in alteram ſpeciem: ſicuti ignis tranſmutat lignum, nullam habens vim nutritivam, ſed ſolum conſumptivam.

Re-

Reflexio 66.

TErminato convivio, ſurrexerunt Angeli aſpicientes Sodomam, & incipientes ire verſus illam partem; quapropter Abram ex urbanitate conducebat eos per aliquod ſpatium, demonſtrans illis viam. Etenim adhuc credebat eos eſſe homines itinerantes, quoadùſque revelaverunt ei veritatem; & maximè quando ille qui apparebat quaſi principalis dixit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* Sciendū eſt autem, quod iſtæ Civitates peccaverunt vitio peſſimo contra naturam; quod quidem dicebatur clamare; quia valdè publicum erat. Potiſſima autem cauſa tanti ſceleris fuit naturalis copia illius terræ: parvo enim labore, propter irrigationem aquarum, habebat omnem abundantiam, ideoque habitatores otiantes, & continuis dediti delicijs, non ſolum ad illicita, ſed etiam ad nefanda defluxerunt. Tria verò genera peccatorum leguntur in ſcripturis Sanctis clamare ad Deum. Primum, eſt occiſio innocentis; ideo dixit Dominus ad Cain: *Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Secundum, eſt peccatum contra naturam, ut patet hìc. Tertium, eſt defraudatio pauperum laborantium, unde dicitur *Iacob* 5. *Merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat.* Porrò peccatum Sodomorum dicitur hìc aggravatum nimis, quæ aggravatio ſecundùm multos Doctores fuit, quia, (horreſco referens) occiderunt morte acerbiſſima, & inſolita quandam Puellam, eo quod dederat alimentum pauperi petenti eleemoſynam. Et hoc dictum conſonat *Ezechiel.* 16., ubi dicitur *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ; Superbia, Saturitas panis, & otium: & manum Egeno non porrigebant.* Demum, dum ſtaret Abram coram Domino, rogavit ut non perderet Iuſtum cum impio; maximè ſi invenirentur in Civitate quinquaginta, vel quadragintaquinque: vel quadraginta, vel tri-

ginta, vel viginti, vel decem. Et notandum eſt, quod iſta petitio à principio uſque ad finem, fuit pro omnibus quinque Civitatibus; quando vero Abram unam gratiam à Domino obtinuerat, rurſus petebat aliam maiorem deſcendendo uſque ad decem: infra autem deſcendere non eſt auſus; quia decem homines faciunt populum, pauciores autem non. Quod autem peteret liberationem maioris populi pro merito minoris, non erat irrationabile; ſed quod peteret liberationem quinque populorum pro tam paucis, qui non conſtituerent populum, videbatur indiſcretum.

CAP. XIX. Reflexio 67.

DEſcripta Abrahæ oratione, hìc ponitur eius exauditio quantum ad liberationem Lot. Qui duobus Angelis venientibus Sodomam occurrit, exiſtimans eſse Peregrinos; edoctus enim fuerat ab Abram de officio charitatis illis exhibendo. Introductis igitur in domum ſuam Angelis, ſtatim perverſa Turba currens ad domum Lot, petivit ut traderet eis peregrinos ingreſſos in illam, vallaveruntque domum a parvo uſque ad Senem: licet enim in ſenibus calor naturalis, & venereus ferè extinguatur; tamen quia erant ſecundum habitum intemperatiſſimi, cupiebant facere etiam id quod ipſa natura negabat. Tunc Lot cupiens ſalvare hoſpites ſuos ab inaudita Sodomorum libidine, exhibuit illis proprias filias dicens: *Habeo duas filias, quæ non dum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis*. Sciebat enim quod iniqua gens, non naturali modo, ſed in vaſe indebito eas cognoviſset. Sciendum eſt autem, quod in iſta oblatione Lot peccavit, & ratio ea eſt: quia charitas debet eſſe ordinata; ideoque nullus debet committere aliquod inordinatum quo ad ſe, ut præcaveat maiori peccato alterius; Lot autem, non poterat offerre filias quin

quin conſentiret in rem, quæ erat de genere ſuo peccatum mortale, ut eſt ſtuprum, vel peccatum contra naturam: excuſatus tamen fuit à tanto, licet non à toto; tum quia mentem habebat perturbatam; tum quia violentiæ in ſuis hoſpitibus occurrere intendebat. Nec valet ſi dicatur, ipſum non peccaſse, quia de iure naturæ eſt conſervare hoſpites ſuos: Nam dico, quod quilibet ad hoc tenetur in quantum poteſt bono modo, & licito, non autem prevertendo ordinem charitatis, ut prædictum eſt.

Reflexio 68.

INterea non eſt paſſus Deus hanc petulantem libidinem Sodomorum remanere inultam; nam Angeli ſtatim percuſſerunt populum cęcitate, quæ vocatur *Achriſia*, per quam non perdiderunt totaliter viſum; ſed non videbant diſtinctè illa, quæ querebant. Deinde ſalvato Lot in montem cum tota ſua domo, ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham pluens de Cęlo Ignem cũ ſulphure ad denotandum execrabile vitium Sodomorum. Ignem quidem, quia denti fervore infamis concupiſcientiæ ad invicem ferebantur. Sulphur vero, quia dum ardet, fætet; tale autem vitium fœtidum, imo omni fœtore fœtidius eſt. Submerſis ergo Civitatibus, locus ille factus eſt lacus magnus ſalſiſſimus, & valde ſpiſſus, itaquod veſtimenta ibi proiecta non abluuntur, ſed ſordidantur; necullus piſcis, ut refert *Ariſt.* 2. *Metheor.* poteſt ibi vivere. Quod totum factum eſt diſpoſitione Divina, ut nimirum conſumptis ſceleratiſſimis hominibus, etiam eorum quondam Regio per omnia Sæcula infœcunda, & infamis remaneret. Interea dum arderent Civitates cum ſuburbanis eorum, accidit ut Vxor Lot reſpiceret retrò, dolens nimis de rebus quas in Civitate reliquerat, contra præceptum Angeli dicentis ad Lot in egreſſu Civitatis: *Noli reſpicere retrò*. Videlicet, per inordinatum affectum ad illa, quæ remanſerant in Civitate; quod qui-

dem erat repugnare Divinæ Iuſtitiæ, quæ exigebat, ut illa totaliter perirent. Quod præceptum non fuit datum ſoli Lot, ſed etiam filiabus, & Vxori; ideo quia iſta inobediens fuit, converſa eſt in ſtatuam Salis. Quod totum factum eſt in figura, Deus enim aliquando verbis, aliquando factis res deſignat. Vnde Ieremias portabat ad collum catenaſ, ut deſignaret futuram captivitatem Babylonicam: et Iſaias captivitatem Egypti, & Ethiopiæ. Igitur, quia Sal eſt condimentum ciborum, denotat ſapientiam; & ideo punitio Vxoris Lot, dat condimentum ſapientiæ pœnitentibus, ne redeant ad priſtina ſcelera; nec deſiſtant à bono incepto, ne peior exitus illos ſequatur: hinc filius Dei dixit *Luc.* 17. *Memores eſtote Vxoris Lot.*

Reflexio 69.

MAnebat interea Lot in Segor, videnſque quatuor Civitates igne conſumptas, timuit ne ſubverteretur etiam Segor; ideoque aſcendit in Montem, cum duabus filiabus ſuis. Civitas autem Segor poſt eius receſſum ſubverſa eſt, ſicut propter illius merita ſalvata prius fuerat. Filiæ vero illius putaverunt, quod ſicut per Diluvium aquarum omnes mortui fuerant, excepto Noe, & eius familia; ita in prædicto incendio perijſſent generaliter omnes homines: maximè quia audierant à patre Mundum incendio periturum in futuro, ſicut per aquas perierant in præterito. Putaverunt etiam, quod ſicut Deus reſervaverat Noe, eiuſque filios, & uxores ad reſtaurandum genus humanum, ita ipſæ reſervatæ fuiſsent cum patre ad idem propagandum: quapropter, falſa pietate deluſæ, ut haberent generationem dormierunt cum Patre. Et dicunt DD., quod miſcuerunt in vino aliqua, quæ habebant virtutem non ſolum inebriandi, ſed etiam provocandi ad coitum. Igitur inebriato patre, & ſecuta copula, de illo conceperunt. Sed hic oritur difficultas, occaſione Textus dicentis: quod

Lot non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quando ſurrexit. Videtur enim impoſſibile, ipſum cognoviſſe carnaliter filias, quæ erant Virgines, & non advertiſſe ad concubitum: quandoquidem requirebatur intentio dirigens organa executiva, cum deberet fieri clauſtrorum ruptio. Sed dicendum, quod Lot advertit quidem Mulierem eſſe iuxta ſe, & quod illam carnaliter cognoſcebat, ſed quod eſſet filia, vel Virgo non advertit, calefactus vino; putabat enim ſe eſſe cum Vxore ſua, nihil reminiſcens de morte illius: Vinum enim tollit prorſus reminiſcentiam.

CAP. XX. Reflexio 70.

DEſcripto qualiter Abram ſe habuit proficiens ad proximum, hic deſcribitur qualiter ſe habuit ad propriam domum. Conſumptis igitur incendio impijs Civitatibus, reliquit Abram locum ubi manebat, ideſt Convallem Mambre, quæ non multum diſtabat à Sodomis. Cauſa mutationis domicilij fuit; quia per hanc Vallem tranſibant multi Viatores ad Civitates prædictas, ut emerent varias merces, quia terra illa in omnibus erat abundantiſſima; tunc autem non erat amplius ullus tranſitus, & perconſequens, nec ulla occaſio exercendi hoſpitalitatem, ideo tranſivit ad aliam terram ubi poſſet hanc virtutem colere. Venit ergo in Geraris, cuius Rex videns Saram, & intelligens à ſuis Aulicis, quod eſſet Soror Abrahæ, miſit ſervos ſuos, & accepit illam, ut eſſet eius Vxor. Licet enim Sara eſſet vetula, nam erat nonagenaria, tamen uſque ad finem vitæ ſuæ remanſit in ea carnis teneritudo, ſicut erat in iuventute, & vivacitas coloris, quæ omnia conſervata fuerunt à Deo propter illius ſanctitatem. Dicit autem Ioſephus, quod ſtatim Abimelech infirmatus eſt, & deſperantibus Medicis de vita illius, apparuit ei Dominus in viſione dicens.

En morieris propter Mulierem quam tuliſti, habet enim virum. Non fuit autem hìc determinatio Divinæ voluntatis; ſed oſtenſio eius, quod cauſa particularis requirebat. Intendebat enim Deus dicere, quod certe moreretur ſub tali conditione, nempe ſi non reſtitueret Saram; quia peccatum ſuum, ſuppoſita tali detentione, merebatur mortem. Igitur Rex de nocte conſurgens reſtituit Saram. Non enim diſtulit exequi quod ſibi fuerat à Deo imperatum; ſed ſtatim ac evigilavit, tradidit executioni præceptum. Deinde dedit munera Abrahæ, & mille argenteos in velamen oculorum Saræ, ut videlicet emeret unum Velamen, quia Mulieres honeſtæ velant vultum ſuum ne videantur; ideoque vocatur hìc in *Tex. Velamen oculorum.*

CAP. XXI. Reflexio 71.

Viſo qualiter ſe habuit Abram ad domum, hìc deſcribitur qualiter ſe habuit reſpectu prolis. Igitur cum eſſet centum annorum naſcitur ei filius ex Sara ſterili, quem Mater vocavit Iſaac, dicens: *Riſum fecit mihi Deus.* Ideſt, materiam exultationis in partu prolis, conceptæ ſupra virtutem naturæ. Creſcente autem puero animadvertit Sara quod Iſmael pronus erat ad idolatriam, & libidinem; unde timens ne ad hæc induceret prædilectum filium ſuum, dixit Marito, ut dimitteret Iſmaelem. Hoc autem durè accepit Abram; ſed certificatus de voluntate Divina, ſtatim dimiſit Ancillam Agar cum puero; non enim poterat filius convenienter dimitti ſine matre: cui dedit panem, & Vtrem aquæ; etenim terra illa per quam tranſire debebat, nec fluminibus, nec fontibus abundabat; forte etiam dedit ei aurum, & argentum, & aliqua alia bona, licet hìc non exprimantur. Adde, quod Abram habitabat in Berſabee, & Iſmael in deſertum Pharam, unde propter propinquita-

quita-

pinquitatem poterat pater miniſtrare filio omnia neceſſaria. Errabat intereà Agar per deſertum cum filio ſuo Iſmaele, qui iam habebat vigintos annos, ut tradunt DD.; cumque defeciſſet aqua infirmatus fuit valde; & videns ſe in periculo mortis, vehementer doluit de peccatis ſuis, rogavitque Dominum pro ſua ſalute. Vnde Deus reſpexit pœnitentiam, quam tunc exibuit, condonans ei malitiam, quam temporibus preteritis exercuerat. Dicunt tamen multi DD. quod licet pœnituerit in infirmitate, tamen recuperata ſalute redijt ad priſtina ſcelera, exercens latrocinia, & prædas à tranſeuntibus per Deſertum. Hoc eodem tempore habitabat Abram in Berſabee, ibique plantavit nemus; vel ut alij volunt, Hortum plenum fructiferis Arboribus, propter hoſpites tranſeuntes per illam partem, quos continuè in domum ſuam recipiebat, ut fructibus, & amænitate loci magis recrearentur, quos poſt refectionem incitabat ad reddendas Deo gratias pro beneficijs receptis.

CAP. XXII. Reflexio 72.

DEſcripto qualiter ſe habuit Abram proficiens, hìc ſubiungitur qualiter ſe habuit perfectus exiſtens. Tentavit ergo Deus Abram, & dixit ei: *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in Holocauſtum ſuper unum Montium, quem monſtravero tibi*. Sciendum eſt autem, quod tentare eſt accipere experimentum de re quam ignoramus. Sic dicimus aliquem tentare amicum, ut ſciat quid ſibi poſſit de eo promittere. Deus autem omnia cognoſcens, de nullo dubitat, & ſic proprie non tentat, ut capiat experimentum de re ignota, ſed ſolummodo, ut alijs, qui ignorant, detur experimentum de aliquo. In hoc ergo ſenſu tentavit Deus Abram, præcipiendo illi immolationem

filij, ut nimirum oſtenderetur alijs eius obedientia erga Deum. Conſiderandum eſt autem, quod in unico præcepto multa proponuntur pertinentia ad amorem paternum. Non enim mandavit Dominus, quod immolaret filium ſuum propè locum ubi manebat, ſed in terram viſionis, quæ eſt mons Moria, valde ab eo diſtans, quia Mandato Dei concepto, antequam alia contraria cogitatio ſubintraret, exequi facilius potuiſset; ſed perambulando per tres dies, ut communiter dicunt DD., multæ contrariæ cogitationes occurrebant, quæ animum teneri patris à recto propoſito diſtrahere valebant: nempe naturalis amor filij, qui erat conſolatio ſuæ ſenectutis; & tamen de ipſo non debebant remanere, ratione holocauſti, niſi cineres vento diſpergendi. Accedebat inconſolabilis triſtitia Matris, & ut multi DD. affirmant, continuæ tentationes Dęmonis, dicentis: O inſenſate ſenex: neſcis quod immolatio iſta repugnat voluntati Divinæ, nam Dominus dixit tibi, quod ex prædilecto filio tuo futuri ſunt Reges, & Populi? Non ergo habes mandatum Dei de immolando filio, ſed tua impietas, & inſania hoc tibi ſuggerit. In his omnibus Abram vultum immotum tenere potuit per tres dies itineris cum proprio filio ſemper ſibi præſente, quod quidem difficile valde eſt: unde *Ariſt* 3. *Ethic*: ait. *Difficile eſt immorari cognitis*: ideſt quando aliquis cognoſcit dura, difficile eſt immorari in actuali conſideratione, & non mutare propoſitum. Sed quia Abram erat invictus Dei miles, hæc omnia non ſolum ſuſtinuit, ſed generoſe contempſit. Charitate Dei armatus ſuperavit omnia incitamenta naturæ; & fide ſemper ſtabilis, omnes inſidias Diaboli repreſſit.

Reflexio 73.

ACcepto Abram Divino mandato, de nocte conſurgens ſtravit Aſinum ſuum, ad portandum videlicet Ligna neceſſaria pro Sacrificio; non expectans alicuius

cuius ſervi famulatum, ut iuſſa Dei celerius exequeretur: nec aliud reſtabat, niſi videre locum immolationis fiendæ, quando Dominus hunc demonſtravit per Columnam ignis celitùs miſſam ſuper montem Moria, ut tradunt communiter DD. Viſo igitur loco determinato, relìquit Abram ſervos ad radices montis: timebat enim ne per iſtos impediretur eius obedientia, ſi fuiſſent præſentes ad immolationem filij, dixitque eis: *Expectate hic cum Aſino: ego & puer illuc properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*. Hoc autem prophæticè dixit, ſed non advertit ad quid diceret; ideoque non fuit prophætia proprie dicta, ad quam requiritur intelligentia, ut patet *Daniel* 10., ſed large ſumpta; quia Spiritu Sancto dictante, & movente ſic protulit, ut ſignificaret illud, quod erat futurum. Deinde poſuit ligna Holocauſti ſuper filium, in expreſſa figura Chriſti Domini, qui baiulans ſibi Crucem, exivit in montem Calvariæ, ut eſſet ibi Victima ſalutaris pro totius Mundi delictis. Porrò Abram portabat ignem, & gladium in manibus. Gladium, ad immolandum filium. Ignem vero, ad incendendum, & incinerandum ipſum immolatum. Igitur aſcenſo montis vertice, alligavit filium, non invitum, alioquin potuiſſet fugere cum fortior eſſet ipſo patre, erat enim annorum triginta quinque, ut dicit Ioſephus; ſed audito à patre mandato Dei, humiliter, & voluntarie ſe obtulit ad immolandum.

Reflexio 74.

DIſpoſitis igitur omnibus, Abram invicta fortitudine elevat gladium, ut filium prædilectum immolaret. Et ecce Angelus Domini de Cœlo clamavit dicens: *Per memetipſum iuravi dicit Dominus: quia feciſti rem hanc, & non pepercìſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cœli, & velut arenam quæ eſt in littore Maris; & benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes*.

Adver-

Adverte autem quod omnes *per maiorem* iurant, ut patet *6. ad Hebræ.* non poteſt autem aliquid eſſe maius Deo, & ideo Deus per ſemetipſum iuravit. Licet autem promiſſio Dei, quomodocunque fiat, firma ſit; tamen ex natura verborum, firmior videtur eſſe promiſſio iuramento firmata, quam ſine iuramento. Et ad maiorem intelligentiam ſciendum eſt: quod Deus aliquando dicit aliqua ſecundum quod ipſe determinavit in ſe; & tunc ſunt ſimpliciter immutabilia. Aliquando vero dicit aliqua ſecundum quod eſt in cauſa inferiori; & tunc ad mutationem predictæ cauſæ mutantur. Illa autem, quæ cum iuramento à *D*eo dicuntur, ſemper pronunciantur ſecundum quod à *D*eo determinata ſunt; & ideo ſunt immobilia, ſive dicantur conditionaliter, ſive non: quia ſi pronunciantur conditionaliter, faciet *D*eus ſtare conditionem, quam etiam cognovit futuram. Hìc autem ponitur revocatio præcepti, quia hoc ſolum factum fuerat ad oſtenſionem obedientiæ Abrahæ; & ideo ipſa futuris generationibus declarata, revocandum etiam erat mandatum. Quia vero Abram non recuſavit, ut *D*eo obediret, immolationem proprij filij, meruit per hoc audire multiplicationem ſui ſeminis; & quod in eo conſequerentur omnes Gentes benedictionem. Quod fuit impletum in Chriſto *D*omino, qui fuit de ſemine illius, ſecundum carnem aſſumptam, Nam in Chriſto Domino fuerunt benedictæ omnes Gentes; quandoquidem æterna ſalus non habetur niſi per illum; cum non ſit aliud nomen ſub Cœlo datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri, ut patet *Act.* 4. Comparantur deinde filij Habrahæ ſtellis Cœli, & arenæ Maris; tum quia prædicta ſunt nobis innumerabilia, licet in ſe habeant certum numerum cum tot ſint, & non plura; tum ad denotandum, quod ſi boni eſſent, nullus eis nocere potuiſſet, ſicut nullus nocere valet ſtellis, in ſublime poſitis. Si vero mali, deprimerentur ab omnibus, ſicut pulvis pedibus conculcatur.

CAP.

CAP. XXIII. Reflexio 75.

DEſcripta vita Abrahæ cum Vxore, hìc deſcribitur qualiter ſe habuit ad illam ſepeliendam. Cum perveniſſet igitur Sara ad annos 127. migravit ex hac mortali vita. Abram vero nolens eam ſepelire cum infidelibus, recuſavit omnia eorum Sepulchra ſibi exhibita, emens ab Ephron pretio 400. Siclorum Agrum, in quo erat ſpelunca duplex. Sciendum eſt autem, quod licet Abram emerit agrum, non tamen emit ius ſepeliendi, quia Res Sacræ vendi nequeunt. Ius autem ſepeliendi eſt aliquod ſacrum: qua propter Abram petijt gratis ius ſepeliendi, ſed emit locum ſepulturæ: empto autem Agro, dabatur ei ex conſequenti poteſtas ſepeliendi. Sicut ſi aliquis habens Iuſpatronatum in una Villa, vendat illam cum omnibus, quas ibi habet, tranſit Iuſpatronatus cum Villa; non tamquam aliquod emptum, ſed tamquam aliquod fundatum in rebus emptis, & conſequens illas; niſi fiat expreſſa mentio, quod Ius patronatus non tranſeat, ut patet *in Cap. ex literis de Iur. patron:* Generaliter ergo dicendum eſt, quod Ius ſepulturæ non poteſt vendi; locus vero in quo eſt ſepultura, aliquando vendi poteſt, aliquando non. Si enim locus ante non erat ſacer per ſepulturam alicuius mortui ibi poſiti, poteſt vendi tanquam locus profanus; ſecus vero ſi fuiſſet ibidem ſepultus aliquis. Sic eſt nunc in Cemeterijs noſtris, quæ ſunt loca ſacra per mortuorum ſepulturam, & benedictionem: ideoque terra illa vendi nequit. Et licet ab antiquo habeant ibi homines diſtincta loca ſepulturæ ſecundum cognationes, & familias; hoc tamen non eſt, quia emerint; ſed quia gratis à principio illis donatum fuit à Prælatis, vel Superioribus illius Eccleſiæ. Et ſi dicas, quod quando aliquis intra Eccleſiam ſepelitur, dat etiam ipſi Eccleſiæ certam pecuniam, vel Miniſtris eiuſdem Eccleſiæ, alias

non,

Digitized by Google

non reciperetur: Reſpondeò, quod locus ſepulturæ conceditur gratis ab illo qui adminiſtrat Eccleſiam; ſed ille qui accipit Sepulchrum, dat Eccleſiæ aliquid, non tanquam debitum, vel ex pacto, ſed in eleemoſynam; & ſi hanc dare nollet, compelli poteſt per Iudicem Eccleſiaſticum ad ſolvendum; non virtute alicuius præcedentis contractus, ſed vigore laudabilis conſuetudinis. Sicuti quando Clerici faciunt exequias mortuorum, non poſſunt convenire heredem pro certa pecunia; tamen ſi illi ad quos ſpectat ſolvere renuant, compelli poſſunt ad dandum id, quod eſt de conſuetudine laudabili; ut patet *extrau. de Simonia Cap. Suam nobis, & ibi Gloſſ.* Demum adverte, quod locus ſepulturæ emptus ab Abraham non erat Sacer: licet enim factæ ibidem fuiſſet ſpeluncæ, tamen numquam in illis ſpultus fuerat Mortuus: fundus autem non efficitur Sacer per defoſſionem Sepulchrorum, ſed per actualem mortui repoſitionem.

CAP. XXIV. Reflexio 76.

DEſcripto qualiter ſe habuit Abraham ad tumulandam Vxorem, hìc ponitur qualiter ſe habuit ad filium matrimonio copulandum. Quia vero filiæ Chananæorum erant idolatræ, noluit pro filio ſuo ullam earum eligere, ne traherent nepotes ſuos ad Idolatriam. Filius enim ſemper converſatur cum Matre dum tener eſt; quo tempore fiunt in puero fortes impreſſiones, unde *Ariſt. pr. polit.*: ait. Quod ordinantem politiam non modicum attendere oportet ad mulieres, *quia Mater dimidium filiorum eſt*. Ideo miſit Abraham ſervum ſuum in Meſopotamiam, ut acciperet filio ſuo Vxorem de Cognatione ſua. Et fecit ſeruum iurare ſubter femur ſuum, ut non acciperet Vxorem filio ſuo niſi de dicta ſua cognatione. Hoc autem erat iurare in nomine Chriſti Domini, tunc naſcituri de ſe-

mine

nine Abrahæ. Et tali modo loquendi utitur Sacra Scriptura *Exod. pr.* ubi dicitur: *Omnes animæ quæ egreſſæ ſunt de ſæmore Iacob*. Perrexit ergo ſervus in Meſopotamiam, & quieſcens cum Camelis iuxtà Puteum aquæ Vrbis Nachor, recurſum habuit humiliter ad Deum pro fine ſuo obtinendo. Et ut ſciret, quænam verè eſſet Puella electa à Deo pro Domino ſuo, poſuit hoc ſignum, videlicet: ſi ipſe petens ab illa aquam, exhiberet eam non ſolum ſibi, ſed & Camelis. Ex hoc namque ſatis ſufficienter manifeſtabatur Divina prærordinatio. Nam quod aliqua Puella daret potum Eliezer homini ignoto, & ulteriùs, libenter ſe exhiberet ſubminiſtrare aquam Camelis ſine ulla inſtantia ſibi facta, magna valdè bonitas videbatur, ad quam nulla puella inclinaretur, niſi illa quam Deus ſpecialiter elegiſset. In hoc autem Eliezer non tentavit Deum, quia non quæſivit ſignum per modum augurij, vel divinationis, quod ſemper eſt illicitum, ſed in magno dubio, & præmiſſa oratione; immo inſpiratus à Deo, ut communiter dicunt Doctores. Quapropter non erat imponere Deo legem. Igitur Deus, qui moverat ſervum ad petendum ſignum, movit etiam eodem tempore Rebeccam ut veniret ad fontem; cui ſervus petivit aquam pro ſe. At illa non ſolum pro ſe dedit, ſed ulterius generosè ſe obtulit ad exibendam aquam omnibus etiam Camelis; effundenſque Hydriam in canalibus recurrit ad puteum, ut hauriret aquam pro Camelis. Deinde requiſita, indicavit ſuam cognationem. Tunc Eliezer adoravit Dominum, gratias agens quod proſperum feciſset iter ſuum. Et ingreſſus domum Bathuelis, patris Rebeccæ, narravit omnia, quæ ſibi occurrerant: quibus auditis cognoſcentes voluntatem Dei eſſe, ut Rebecca fieret Vxor Iſaac, dimiſerunt illam, imprecantes ei proſpera. Pergebat ergo Rebecca aſcenſis Camelis, cum Puellis ſibi aſſignatis à ſuis Maioribus; & pervenit ad locum habitationis Abrahæ eo tempore, quo Iſaac egreſſus fuerat ad meditandum in Agro. Et aliqui Doctores dicunt, quod egreſſus fuerat ad orandum circa tempus Veſpertinum;

tinum; & ad reddendas gratias de beneficijs in illa die à Deo receptis; & ad cogitandum, tum de Deo, tum de vita æterna. Quæ quidem cogitationes valde lætificant animam, & confortant nos in huius vitæ miſerijs: prædicta autem, melius in agro, quam in Civitate fiunt, quia prorſus mentem liberam à Curis ſæculi prerequirunt. Alij dicunt, quod egreſſus fuerat ad videndum diſpoſitionem Cœli, & aliquarum ſtellarum, quæ incipiebant apparère: edoctus namque fuerat à Patre in Aſtronomia.

CAP. XXV. Reflexio 77.

POſtquàm Moyſes deſcripſit electionem Populi fidelis, deducendo per Abraham, hìc idem facit per Iſaac: Fit tamen prius mentio de alijs filijs Abrahæ, qui aliam duxit uxorem nempè Ceturam, non propter libidinem explendam, vel compeſcendam, quandoquidem ætas utrumque removebat, ſed Deo ſic diſponente, propter ſignificationem futuri. Etenim ſicut Agar, & Iſmael ſignificabant carnales Veteris Teſtamenti; ita Cetura, & filij eius denotabant hæreticos, qui ſe iactant pertinere ad novum Teſtamentum; ſed non pertinent, quia Eccleſia, per Saram ſignificata, una manet. Dicunt autem Doctores, quod iſta Cetura fuit iuvencula de Chananeis; & ideò naturaliter potuit Abraham ex ea habere filios propter caliditatem ſeminis ipſius Puellæ, contemperantis ſemen ſenile, quod eſt frigidum, & per conſequens ineptum ad conceptum. Licet autem Abraham habuerit ex Cetura multos filios, qui hìc recenſentur; tamen dedit cuncta, quæ poſſidebat filio ſuo Iſaac: filijs autem concubinarum largitus eſt munera; & ſeparavit illos ab Iſaac, dum adhuc viveret; cognovit enim in ſpiritu, quod ſi ſimul manſiſſent, magnæ riſſæ ſecutæ fuiſſent. Adverte autem quod filij Ceturæ, & Agar vocantur *in tex. filij concubi-*

cubi-

cubinarum, non quia iſtæ fuerit concubinæ; nam ſupra *cap.* 16. dicitur quod Abraham accepit Agar in Vxorem, & hic in principio dicitur pariter, quod accepit Ceturam in Vxorem. Sanctus enim Vir non accepiſſet concubinam, cum ſciret hoc eſſe mortale peccatum. Vocantur tamen concubinæ, quia ſola Sara erat eius uxor principalis; prædictæ autem erant uxores ſecundo loco acceptæ. Vnde alibi in Sacra Scriptura, uxor vocatur concubina ut patet *Iud.* 19. ubi dicitur: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam.* Certum autem eſt, quod erat eius uxor, ut patet ibidem. Si autem quæras, cur Abraham aſſumpſit mulierem de Chananeis, cùm noluerit filium ſuum accipere uxorem de illis? Dico, quod totus Populus Dei derivandus erat per Iſaac; quapropter, ſi iſte accepiſset uxorem de Chananæis, Populus Dei fuiſset coniunctus Gentibus; quod non decebat propter Chriſtum Dominum tunc naſciturum de ſemine Iſaac. Abraham vero non intendebat in hac tertia uxore augere Populum Dei: ſciebat enim quod benedictiones complendæ erant in Iſaac; ideo cum filij naſcituri non pertinerent ad Populum Dei, non referebat accipere uxorem de cognatione propria, vel de Chananæis.

Reflexio 78.

SEparatis igitur filijs, & aſſignata hereditate Iſaac, cum eſſet Abraham centum ſeptuaginta quinque annorum, deficiens mortuus eſt, ut dicitur in *Tex.* Adverte autem, quod aliquis dicitur deficere, quando non moritur morte violenta, nec ex aliqua magna corporis ęgritudine, ſed paulatim deficiente calore naturali, per conſumptionem humidi radicalis, donec homo remanet quaſi diſiccatus: unde omnis, qui deficit, moritur; ſed non omnis qui moritur, deficit; cum deficere ſignet mortem manſuetam, ſicut accidit in Abraham, qui defecit in ſenectute bona, nempe manſuetè, & in Divina gratia, quæ ſola reddit bonam ſenectutem, & appo-

appoſitus eſt ad Populum ſuum; nam eius anima migravit ad illos iuſtos, qui erant in Lymbo: etenim Porta Paradiſi pro peccato primi Parentis fuit ſemper clauſa uſque ad Chriſti Domini mortem. Sepelierunt autem eum Iſaac, & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, ubi ſepulta eſt Sara eius Vxor. Non ſolum autem filij convenerunt ad exequias ſancti Patris, ſed etiam Populi circumſtantes: fuit enim ſemper Abraham amabilis, & reverendus, adeo ut tamquam Princeps à Deo poſitus haberetur; & ſic vocabatur ab Ethæis, adeo ut, quando aliqua cauſa valde dubia erat inter illos, recurrebant ad illum, ut per Divinum oraculum de cauſa reſponderet. Notandum eſt etiam, quod anni Abrahæ, qui fuerunt 175., ponuntur in hebræo diſtincti numericè ſic, 100. anni, 70. anni, 5. anni: ad denotandum, quod Abraham fuit ita mundus à peccato in ætate 100. annorum, & in 70. annorum, ſicut in ætate 5. annorum: idemque eſt in numero annorum Saræ; nam ibi pariter ponuntur numeri diſtincti, ad deſignandum eius bonitatem omni tempore.

Reflexio. 79.

MOrtuo Abraham, manebat Iſaac cum Vxore ſua, quæ ſterilis erat: quamvis enim facta illi fuiſset promiſſio de multiplicatione ſui ſeminis, tamen precibus erat complenda præfinitio. Et ſimile accidit in prædeſtinatione, quæ licet ſit imputabilis, tamen Deus prædeſtinans alicui Gloriam, prædeſtinat etiam ei illa, quæ ſunt ad Gloriam conſequendam: quapropter, ſicut ab æterno aliquem prædeſtinavit ad vitam; ita eum prædeſtinavit, ut cum ſanctorum precibus vel cum talibus laboribus, patienter toleratis, adipiſceretur ſalutem. Igitur ſanctus Patriarcha, antequam Rebecca pareret, deprecatus eſt Dominum per ſpatium viginti annorum, quod patet manifeſtè: nam ut hìc dicitur, erat quadraginta annorum, quando accepit uxorem; quando vero Rebecca peperit, erat ſexaginta annorum.

Sed

Sed hic quæri poteſt: quare Iſaac cum videret Vxorem ſterilem eſſe, non duxit aliam Vxorem minus principalem, ſicut fecit Abraham pater ſuus, qui poſtquam ſtetit decem annos cum Sara, accepit Agar, ut ex illa filios haberet? Dicunt communiter Doctores: quod ex tempore quo Iſaac voluntarie ſe obtulit Deo ut immolaretur, fuit per hoc conſecratus Domino; ideoque non erat ei licitum accipere niſi unicam Vxorem. Et hoc conſonat dicto Apoſtoli *ad Timoth.* 3. dicentis de Epiſcopo, qui eſt Deo conſecratus, quod debet eſſe *unius Vxoris Vir*. Elapſis ergo viginti annis exaudivit Dominus preces ſervi ſui, deditque conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in utero Parvuli, nam mutuo ſe impellebant: in ſignum videlicet contentionis futuræ inter illos, & inter Populos ab eis derivandos; nempe Iudæos, & Idumæos. Deus enim oſtendit futura aliquando verbis, aliquando factis. Tunc Rebecca perrexit ut conſuleret Dominum. Et dicunt Doctores, quod ſe contulit ad Montem Moria, ubi Abraham voluit immolare filium; reputabat enim talem locum ſanctum. Igitur factis ibi Victimis in Holocauſtum, poſuit ſe ad dormiendum ſuper pelles Sacrificiorum, ut in ſomno audiret à Deo veritatem. Alij dicunt, quod perrexit ad Melchiſedech, qui erat Sacerdos Dei Altiſſimi, ut per Dei Sacerdotem conſuleret Dominum. Vel acceſſit, ſecundùm alios, ad Heber, qui habebat ſpiritum prophetiæ. Deus ergo, vel per ſe ipſum, vel per unum de prædictis ſervis ſuis reſpondit ei dicens: *Duæ gentes ſunt in utero tuo*, videlicet capita duarum gentium. *Populuſque Populum ſuperabit, & maior ſerviet minori*. Hoc autem impletum eſt tempore David, qui fecit Idumœos ſibi tributarios, ut habetur 2. *Reg. Cap.* 8. ſed perfectius impletum eſt in Chriſto Domino, cui colla gentium, & Principum terræ ſubdita ſunt; & maxime Romanum Imperium, quod Iudæi dicunt ſignificari per Eſaù.

Reflexio 80.

TEmpus interea pariendi advenerat, & ecce gemini in utero reperti ſunt. Qui prior egreſſus eſt Rufus erat, & totus in morem pellis Hiſpidus; homines vero habent pilos in ætate aliqualiter perfecta, quando ex calore invaleſcente digeruntur humores ſicci; & cum emittantur per ſtrictiſſima loca pororum, in pilos formantur; Eſaù autem, cum de Matris utero naſceretur, totus apparuit pilis coopertus: unde hoc fuit, vel quaſi monſtrum, vel miraculum. Alter vero protinus egrediens, tenebat manu plantam fratris, & ideo vocatus fuit Iacob. Procedente autem tempore, apparuit Indoles utriuſque: nam Eſaù factus eſt vir gnarus venandi; invenit enim multos modos fallendi aves; & vir agricola. Ex quo patet, quod tota ſua occupatio erat circa terrena. Iacob vero fuit vir ſimplex, ſcilicet ſine plica doloſitatis; non autem quaſi haberet defectum induſtriæ, & prudentiæ: & habitabat in Tabernaculis, quæ erant loca Scolarum, in quibus addiſcebat ſapientiam, & timorem Divinum. Erat autem unum Tabernaculum Melchiſedech, ubi cultus Dei vigebat. Aliud erat Heber, qui erat Propheta, & docebat de rebus Divinis. Dicunt autem Hebræi, quod Iacob in Tabernaculo Heber manſit quatuordecim annos, ut res Divinas addiſceret. Porrò Iſaac diligebat Eſaù, eo quod de venatione illius veſceretur, nam ſenex erat; homines autem in tali ætate optant, & exigunt delicata cibaria, cuiuſmodi ſunt Animalia venatica, quæ teneriora ſunt, & perconſequens digeſtibiliora. Rebecca vero diligebat Iacob; tum propter ſingulares virtutes, quæ in ipſo erant; tum quia per Divinam revelationem cognoverat, quod Iacob debebat præferri fratri ſuo maiori.

Re-

Reflexio 81.

ACcidit autem quadam die, ut rediret Eſaù de agro laſſus; Iacob vero coxerat pulmentum, quod videns Eſaù dixit ei: *Dà mihi de coctione hac rufa.* Erant enim lenticulæ, quæ naturaliter rubeæ ſunt; non verò quia ſic fuiſſent confectæ: nondum enim guloſa aviditas, curioſitatem, & delicias in cibis invenerat. Dicunt autem Hebræi, quod eadem die mortuus fuerat Abraham; ideoque in domo Iſaac omnes comedebant Lentes: hinc generaliter Iudæi in die mortis patris familias, & in die exequiarum parant Lenticulas in cibum. Tunc Iacob reſpondit fratri: *Vende mihi primogenita tua.* Quæ ſtatim Eſau vendidit, firmans iuramento venditionem. Sed hic quæritur: quomodo Iacob, qui erat vir tam eximiæ ſanctitatis, petijt ſibi vendi Primogenituram? nam tempore legis naturæ, Pimogeniti erant Sacerdotes: at Sacerdotium ſemper fuit reputatum aliquod ſacrum, & ideo videtur commiſiſſe ſimoniam. Item de Iure Primogenituræ erat duplex portio hæreditatis paternæ reſpectu aliorum filiorum. Cum igitur Iſaac haberet multa bona, videtur Iacob feciſſe fratri ſuo magnam deceptionem dum pro re tam modica acquiſivit ius ad tanta temporalia bona. Dicendum, quod ius Primogenituræ erat ipſius Iacob de Iure, quia ex determinatione Divina dictum fuerat Rebeccę, quod maior ſerviret minori; & hoc ſibi fuerat revelatum à Matre: quapropter Eſaù poſſidebat ſolum de facto ius primogenituræ; & ideo licitum erat ipſi Iacob, prædictum ius ſibi caute vindicare, quod & fecit parata ſibi occaſione. Nec in hoc ullo modo peccavit reſpectu ſimoniacæ labis; quia non intendebat emere directe rem ſacram, ſed ſolum redimere ſuam vexationem: nec emit pro parvo pretio rem alienam, ſed ſuam propriam vindicavit, quam etiam pro nihilo poterat accipere. Eſaù autem non ſolum peccavit peccato gulæ, appetendo inordinate cibum, ſed etiam pec-

cato ſimoniæ, intendens verè vendere rem ſacram, & ideo reprehenditur ab Apoſtolo ad *Hebr.* 12. tamquam Profanus. Sciebat enim ſe vere eſſe Primogenitum: quod autem Deus aliter diſpoſuiſſet de Primogenitura, non ei conſtabat. Et dato quod ſciviſſet hoc, adhuc fuiſſet ſimoniacus, & iniuſtus. Simoniacus, quia pro pretio tradebat rem ſacram. Iniuſtus vero, quia accipiebat pretium de re non ſua.

CAP. XXVI. Reflexio 82.

DEſcripta generatione prolis, hìc deſcribitur probatio Patris in adverſis. Igitur orta eſt fames in Paleſtina: noluitque Deus, quod Iſaac deſcenderet in Egyptum, ubi erat fertilitas. Cuius cauſa ſecundum Hebræos eſt: quia Iſaac fuit Domino conſecratus cum oblatus eſt in Monte; & ideo non erat decens quod exiret de Terra promiſſionis. Manſit ergo in Geraris, ibique valde locupletatus fuit, nam in illo anno habuit centuplum, quod fuit ex ſpeciali dono Dei; etenim ille annus non fuit fertilis. Ex hoc autem ſurrexit contra eum invidia; nam Rex Geraris eiecit ipſum de civitate ſua, non potens tam celerem proſperitatē aſpicere: reliquus autem Populus, ut Regem imitaretur, obſtruxit puteos Iſaac operiens eos humo. Magnitudo namque potentiæ actualis, vel probabiliter præſumptæ futuræ, cauſat invidiam, & iſta parat proſperati nocumentum; ſola namque paupertas, & miſeria, caret tali peſte. Sanctus ergo vir obedivit mandato iniqui Regis; receſſit enim ſtatim ab eo, & perrexit Berſabeæ, ibique ædificavit Altare, ut prius gratias redderet Deo, quam ſibi extenderet Tabernaculum. Dum autem hìc moraretur, acceſſit ad eum Rex Geraris cum principibus ſuis, petens ab illo confœderationem, quos omnes Iſaac benignè ſuſcepit, fecitque eis etiam Convivium. Mane autem ſurgentes

tes fœdus inierunt, & ſibi mutuo iuraverunt antequam quidquam guſtarent propter reverentiam iuramenti. Et ex hoc videtur ſumptum *cap: Placuit. extra de Teſtibus*, ubi dicitur: quod nullus teſtimonium dicat niſi ieiunus; quod tenet ex honeſtate, ut notat ibi *Gloſſ.* Deinde patienter toleratis ab Iſaac iniurijs extraneorum, probatur eius virtus reſpectu propriæ familiæ, dum eius filius Eſau, abſque conſenſu proprij genitoris, accepit duas Vxores ex Chananæis; quælibet autem erat in moribus male inſtructa, & prona ad idolatriam. Sanctus autem pater optabat ut acciperet Vxorē de cognatione Rebeccæ, vel de filiabus Iſmaelis, ſeu aliorum filiorum Ceturæ: ſed profanus filius, cum prius parvipendiſſet Divina, pro nihilo habuit humana iura contemnere.

CAP. XXVII. Reflexio 83.

DEſcripta tolerantia Iſaac tempore adverſitatis, hic deſcribitur ordinatio ſuæ poſteritatis, quæ fiebat per benedictionem. Senuit ergo Iſaac, & caligaverunt oculi eius, & videre non poterat. Non erat tamem iſta formaliter cæcitas, ſed valde modicum videbat, deficientibus oculis illius ex infirmitate. Quapropter vocavit Eſau filium ſuum primogenitum, cui præcepit, ut capta venatione faceret ſibi pulmentum; intendebat enim dare illi benedictionem: filius autem, ſecundum conſuetudinem illius temporis, debebat prius preſtare patri aliquod obſequium antequam illam acciperet; & ideo Iſaac miſit eum ad venandum, ut deinde componeret cibaria, & iſta deferret pro obſequio debito. Audiens vero hoc Rebecca, miſit Iacob ad Gregem, iubens illi ut afferret duos Hędos, quibus allatis compoſuit cibum pro marito; veſtivitque Iacob veſtibus Eſaù valde bonis. Nam tunc temporis primogeniti erant Sacerdotes, ideoque habebant veſtes pretioſas, & odori-

doriferas, quibus induti in magnis ſolemnitatibus offerebāt ſacrificia: deinde circundedit pelliculas manibus filij, ut ſic crederetur a patre Eſau: ſancta enim mater, certificata de divino oraculo confidenter exponebat filium periculo, firmiter credens, quod Dominus dirigeret actum eius. Pergit ergo Iacob ad cubiculum Patris; offert pulmentum; dicit ſe eſſe primogenitum Eſaù, & Deo omnia dirigente, conſequitur paternam benedictionem, his verbis: *Det tibi Deus de Rore Cæli, & de pinguedine Terræ abundantiam frumenti, & vini; & ſerviant tibi Populi, & adorent te Tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij Matris tuæ.* Notandum eſt autem quod Iſaac precatur filio bona temporalia: primò, in terræ naſcentibus quorum multiplicatio ſequitur ex influentia corporis Cæleſtis tamquam ex cauſa efficiente & ex bona diſpoſitione Terræ, tanquam ex cauſa materiali; ideo ponitur in benedictione *Ros Cæli, & pinguedo terræ*. Secundò, precatur illi honorem, & excellentiam ſuper fratres. Si vero iſta bona inter ſe comparentur, melior eſt honor quam divitiæ; nam honor ponitur præmium Virtutis, non autem abundantia divitiarum: hinc *Ariſt* 5. *Ethic.*, cum determinaſſet conditionem boni Regentis, dixit, quod pro præmio bonis viris honor, & gloria dari debet, tanquam nihil melius habeat Civitas ad illis tribuendum; qui autē ijs non eſt contentus, ſed requirit alia, Tirannus eſt. Poſuit tamen Iſaac primo loco divitias, non propter earum dignitatem, ſed propter earum neceſſitatem; vel propter Plebis opinionem, quæ magis attendit delectabilia ſenſus, quam ſpiritualia. Advertendum tamen eſt, quod ſupradicta in paterna benedictione contenta, non fuerunt impleta in propria perſona Iacob: etenim quandiu vixit fuit minus potens ipſo Eſaù, ſed in poſteris ſuis: tempore enim David, & Salomonis, Idumei ab Eſaù deſcendentes, ſervierunt filijs Iſrael. Perfectius vero impleta fuerunt in Chriſto Domino, cui poteſtates non ſolum terrenæ, ſed etiam Cæleſtes ſunt ſubditæ; data eſt enim illi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra, ut patet *Matthæi ultimo*. Re-

Reflexio 84.

HIs geſtis regreſſus eſt Eſaù de venatione, attulitque Patri cibum ut benedictionem conſequeretur; & quęrente Patre quis eſſet, reſpondit ſe eſſe filium ſuum primogenitum Eſaù. Tunc expavit Iſaac ſtupore vehementi. Et cauſa huius timoris ſecundum aliquos Doctores fuit: quia auditis prædictis volvit retractare benedictionem datam ipſi Iacob; ſed Deus fecit ei ſtatim videre Gehennam apertam, ſibique paratam, ſi retractaſſet illam; quapropter aſpiciens hoc tam terribile obiectum, expavit, & benedictionem datam confirmavit. Alij dicunt quod Iſaac raptus fuit in Exſtaſi, & cognovit totum fuiſſe factum circa Iacob de voluntate, & ordinatione Divina; propterea admirans inexcrutabilia Iudicia Dei expavit, dixitque filio ſuo Eſaù: *Venit Germanus tuus fraudolenter, & accepit benedictionem tuam*. Aliqui tamen legunt, *providenter*: nam dictio Hebraica hìc poſita eſt æquivoca, ſignificans aliquando dolum, aliquando prudentiam; in Iacob autem magis prudentia preſumenda eſt quam dolus, maxime quia Deus movebat illum ad iſta facienda; ideoque eius operatio non poteſt fraudi imputari. Audiens autem Eſaù verba patris, flevit eiulatu magno; deinde ait: *num unam tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obſecro ut benedicas*. Credebat enim quod ſi pater aliquo modo ſibi benediceret, irritaretur benedictio Iacob: tunc Iſaac motus inſtantia filij ait: *In Pinguedine Terræ, & in Rore Cæli deſuper, erit benedictio tua. Vives gladio, & fratri tuo ſervies: tempusque veniet cum excutias, & ſolvas iugum eius de cervicibus tuis* Quod fuit impletum, cum Idumæi, qui Iudęis tributa ſolvebant, rebellaverunt ſub Rege Ioram, nolentes amplius ea ſolvere, ut patet 4. *Reg*: 8. Non dedit tamen Iſaac benedictionem Eſaù pertinentem ad Ius Primogenituræ, ad quam ſpectabant repromiſſiones; hanc enim Eſaù non invenit, licet cum lacri-

mis eam quæſiviſſet, ut patet ad *Hebræ*: 12. ſed ſolum dixit pater: *In pinguedine terræ, & in Rore Cæli erit benedictio tua;* videlicet in abundantia terræ naſcentium quæ ex iſtis duobus cauſatur.

CAP. XXVIII. Reflexio 85.

DEſcripta linea populi Dei per duos ſtipites, Abraham, & Iſaac; hìc deſcribitur per tertium ſtipitem nempè Iacob, quem Iſaac vocavit, confirmans priores benedictiones, & illas repetens ad augumentum gratiæ: præcepitque filio, ut pergeret in Meſopotamiam Syriæ, & acciperet Vxorem de filiabus Laban Auunculi ſui. Vnde Sanctus Iuvenis, ſciens quod obedire patri in licitis eſt principium totius boni, profectus eſt in Syriam. Cumque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere, tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco. Erat autem iſte locus, *mons Moria*, ubi fuerat oblatus pater ſuus in ſacrificium Deo; unde reputabat locum ſanctum, propter quod ibi declinavit ut in nocte vacaret orationi, ſperans habere Divinam revelationem. Dicunt autem Hebræi quod Iacob ſumpſit tres lapides ut in illis caput reclinaret; quãdo vero evigilavit facti ſunt unus Lapis, nam infra dicitur: *Tulit Lapidem quem ſuppoſuerat.* Et dicunt, hoc fuiſſe in ſignum quod Dominus uniretur cum eo in itinere, ipſum dirigendo in omnibus. Sed de hoc facto non eſt bene aſſignata cauſa; etenim ſi Deus volviſſet hoc ſignificare, permiſiſſet quod Iacob acciperet duos lapides, qui deinde unirentur ad ſignificanda prædicta. Quapropter melius Doctores Cattholici dicunt, quod hoc fuit in ſignum Vnitatis eſſentiæ, & Trinitatis Perſonarum in Deo, de cuius apparitione hìc agitur. Item, quia facta fuit hìc revelatio de futura tunc Filij Dei Incarnatione, prædicti tres lapides, eorumque unio ſignificabat

tres naturas in Chriſto Domino in Vnitate ſuppoſiti; vel propriùs tres ſubſtantias, videlicet Divinam, Corporis, & Animæ; Quia licet corpus, & anima ſint duæ ſubſtantiæ realiter diſtinctæ; tamen non ſunt duæ naturæ, ſed ambæ ſunt una natura humana, cum nullum iſtorum habeat perfectam rationem ſpeciei, ſed ſint partes ſpeciei, ut materia, & forma, ab utraque vero alteri unita, completur ratio ſpeciei, quia in Compoſitis accipitur eſſe à materia, & forma ſimul unitis, ut ait *S. Thom. l. de Ente, & Eſſentia*: quapropter proprie loquendo debemus ponere in Chriſto Domino duas naturas, nempe Divinam, & humanam, & iſtarum duarum Naturarum tres ſubſtantias, nempe Divinam, Corpoream, & animam. Loquendo vero large, poterunt concedi tres naturæ, ſi convertamus Subſtantiam, & naturam.

Reflexio 86.

POſt longam, & devotam orationem, dormivit Iacob in Monte Moria; viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram cuius Cacumen tangebat Cælum. Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Dicunt autem Hæbrei quod iſta ſcala deſignabat Divinam gubernationem, quantum ad omnes creaturas. Deus erat ſuper cacumen ſcalæ, quia tota rerum gubernatio ab ipſo originarie incipit. Angeli aſcendebant, & deſcendebant per illam, ad denotandum, quod ſunt ſubminiſtratores voluntatis Divinæ in rerum gubernatione. Tenebat pedem in terra, & caput illius tangebat Cælum, ut ſignificaretur univerſitas gubernabilium; quia ultra Cælum nihil eſt, nec infra terram; ideoque omnia creata comprehendebat. Varij gradus, denotabant diverſos modos communicationis Bonitatis Divinæ in inferioribus. Sed melius dicunt Doctores Catholici, nempe quod ſcala iſta ex multis gradibus ſignificabat gradus Generationum per quas Chriſtus Dominus, ſecundum carnem, deſcendit ab Abraham

ham uſque ad Sanctiſſimam Virginem quæ illum peperit. Duo Latera ſunt Iuſti, & peccatores; tum quia ex utriſque deſcendit; tum quia pro utriſque natus, & paſſus eſt. Dominus Scalæ innixus ſignabat, quod ipſa Deitas uniretur carni deſcendenti à Patribus in Chriſto Domino. Quod pes ſcalæ terram tangeret, & Cacumen illius Cælum, deſignabat quod ipſe Chriſtus ſecundum humanitatem, convenit cum hominibus in natura humana, & per Deitatem cum Patre, & Spiritu Sancto, cum ipſa Deitas ſit in tribus Divinis Perſonis, ut ſic diceretur Mediator Dei, & hominum. Per Angelos deſcendentes ſignabatur, quod Miſterium Incarnationis fuit revelatum primo Patriarchis; ſecundo, Prophætis clarius; tertio, Miniſtris Novi Teſtamenti clariſſimè. Per Angelos aſcendentes, intelligebatur Fides, & devotio Iuſtorum in quolibet ſtatu preſentata Deo per ipſos, ut patet *Tob*: 12. fuit enim facta hìc revelatiò Incarnationis Filis Dei, quia hìc firmatæ fuerunt Benedictiones, & Promiſſiones de dilatatione ſeminis **Iacob in Populos**; iſtà vero Benedictio, & dilatatio, intelligebatur precipue de Chriſto Domino, ut patet ad *Galat.* 3. ideoque poſita fuit hìc figura de illius Incarnatione.

Reflexio 87.

Evigilans autem Iacob à ſomno ait: *Quã terribilis eſt locus iſte*; ideſt *Venerabilis*, adeo ut non indifferenter ſicut ad alia loca ſit accedendũ, ſed cum magna reverentia, humilitate, ac tremore: hinc Deus per Prophetã dixit *Pauete ad Sanctuarium meum*. Noſtris autem temporibus, longe eſt à multis timor iſte: nam aliqui intra Eccleſiam, ubi ſpecialiter colitur Deus, ita manent, ac ſi eſſent in Foro. Vacant enim vaniloquijs, motibus incompoſitis, diſſolutionibus, ut alia taceam. In iſto ſcandalo delendo, multum debent vigilare Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Præſules, ne ex eorum tolerantia, vel negligentia, ante Divinum Tribunal ſint

participes tanti ſceleris. Surgens autem Iacob mane, tulit Lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in Titulum, videlicet, in ſignum Divinæ revelationis ſibi ibidem factæ; & in ſignum fundationis Templi, & paſſionis Chriſti Domini. Deinde fudit Oleum deſuper, quod emerat in Civitate vicina, in ſignum conſecrationis; nam Res Sacræ unguntur Oleo. Vovit etiam Votum dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, & dederit mihi panem ad veſcendum; reverſusque fuero proſperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Sed dices: hoc videtur ridiculum, quia Votum non eſt de his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed de his quæ ſunt ſupererogationis. Dicendum, quod Iacob non vovit quod Dominus eſſet ſibi Deus; nam etiam ſi nihil de poſtulatis illi dediſſet, tamen erat Deus ſuus; quandoquidem Deus nomen abſolutum eſt, ſignificās Naturam; ideoque eo ipſo quod Deus eſt, omnium etiam eſt Deus; ſicuti, ſi aliquis homo eſt, eo ipſo eſt homo comparatus ad quamcũque rem; & ideo Iacob erat obligatus de neceſſitate ſalutis, tenere Deum pro Deo ſuo. Sed vovit quod recognoſceret Deum, exhibendo illi ſpecialem cultum, quod erat ſupererogationis.

CAP. XXIX. Reflexio 88.

DEſcripta poſteritate Iacob in Divina revelatione, hìc deſcribitur in actuali multiplicatione. Pervenit ergo poſt multos labores in Meſopotamiam, & Deo ipſum dirigente invenit domum Laban Aunculi ſui, qui cũ haberet duas filias unam nomine Liam, alteram Rachelem, hanc adamavit Iacob; quam ut haberet Vxorem, pollicitus eſt ſervire Laban ſeptē annis. Et videbantur Iacob dies pauci præ amoris magnitudine. In comparatione namque ad rem tam amabilem,

plu-

pluribus annis ſerviſſet, ſi fuiſſet requiſitus. Tranſacto igitur ſervitio ſeptem annorum, petivit ab Avunculo Rachelem. Tunc Labam fecit Convivium, & veſpere introduxit Liam ad Iacob. Mane autem facto, cognoſcens Iacob ſe fuiſse à Labam deceptum, conqueſtus eſt cum illo; qui adducens pro falſa excuſatione conſuetudinem loci, coegit illum ad complendam hebdomadam cum Lia; qua tranſacta promiſit ei tradere Rachelem, pro ſervitio tamen preſtando ſeptem annorum futurorum. Sed dices: quomodo Iacob non cognovit Liam ad vocem, vel tactum? Dicendum quod in hoc apparuit bonitas ipſius Iacob; nam nocte illa fortaſse vacavit orationi, ſicut de Tobia legitur: vel ſi eam tetigit, non quæſivit in Lia blandicias meretricias in tactibus, & verbis, ſed ea uſus eſt in caſtitate maritali. Sciendum autem quod inter Liam, & Iacob non fuit pro tunc verum Matrimonium, ad quod requiritur neceſſariò conſenſus; Iacob vero conſenſerat ſolummodo in Rachelem. Non peccavit tamen Iacob ſi cognovit Liam, quia fuit per ignorantiam facti, quæ excuſat à toto, adhibita ſufficienti diligentia, quod & fecit; quia in talibus non requiritur magna perſcrutatio; maxime quia Iacob, non habebat probabilem cauſam dubitandi de fraude Labam. Fuit vero matrimonium, quando Iacob acquievit inſtantiæ Labam de explenda hebdomada cum Lia; tunc enim in illam conſenſit, tamquam in Vxorem, & ex tunc fuit inter eos verum Matrimonium. Tranſacta igitur hebdomada, potitus eſt Iacob deſideratis nuptijs cum Rachele; prætulitque amorem ſequentis priori. Videns autem Dominus quod deſpiceret Liam, dedit ei fęcunditatem, Sorore ſterili permanente. Erat autem Lia fęmina boni animi, unde patienter ſuſtinebat Mariti contemptum. Deus ergo videns humilitatem illius, & afflictionem, dedit illi quatuor filios, quia quatuor ignominias patiebatur: nam videbatur quodammodo à Deo relicta, ab hominibus neglecta, à Sorore, licet minori, contempta; & à proprio Marito totaliter extranea.

CAP.

CAP. XXX. Reflexio 89.

DIcto de multiplicatione filiorum Liæ, hìc agitur de fructu Rachelis; quæ videns Sororem tam fœcundam, invidit ei, & dixit Marito: *Dà mihi filios alioquin moriar*: imprudenter autem ſic locuta fuit, ſtimulata magna cordis amaritudine. Omnes namque paſſionati generaliter petunt irrationabilia; quia ſicut Ira, ita quælibet paſſio impedit animum ne poſſit cernere verum. Deſiderio igitur prolis ardens, perſuaſit marito ut acciperet Balam ſervam ſuam, ex qua Iacob habuit duos filios. Ecce quanta Divinæ Sapientiæ in rebus apparet ordinatio. Rachel quæ ante ita ſibi ipſi felix videbatur ob amorem mariti, ut ſororem deſpiceret, per ſterilitatem depreſſa eſt, ut ſe miſeram recognoſceret. Et Lia parere ceſſavit, ne ſuperbia nimis inflaretur. Iſta tamen, exemplo Rachelis ſororis ſuæ, dedit marito Zelfam ancillam ſuam, ex qua Iacob genuit filios. Non poteſt tamen per hoc notari Iacob de incontinentia circa pluralitatem Vxorum; quia ipſe non petivit niſi unam, nempe Rachelem: quod autem Lia fuerit ſibi ſuppoſita, id accidit ipſo ignorante; poſtea vero conſenſit, Deo ſic diſponente. Ancillas vero accepit ad preces Vxorum, & amore prolis, non autem perverſo incentivo libidinis. Adde quod pluralitas coniugum, pro illo tempore licita erat, cum non eſſet prohibita; maxime quia hic ſuberat legitima cauſa, & debitus finis, videlicet multiplicandi Populum Dei. Sciebat enim Iacob, quod ipſe ſolus erat, in quo remanebat Populus Dei; nam Eſaù non pertinebat ad repromiſſiones; & ideo ſi ſolummodo unam accepiſſet, Populus Dei non potuiſſet ſufficienter multiplicari. Porro Iacob, potens erat ad reddendum debitum tot Vxoribus; tum quia ſemper in iuventute continenter ſe habuit, nullam unquam mulierem cognoſcens; tum quia accepit uxores in ætate provecta; in

qua

qua vires robuſtiores ſunt, hinc *Ariſt.* 7. *Polit.* ait, quod mala eſt generatio in tenera ætate facta; nam filij carent viribus, & matri plerumque in partu mori contingit, propter parvitatem organorum; & quia parva ætas non poteſt ſuſtinere acerbiſſimos partus dolores; ideo ait, quod conveniens ætas in maſculo eſt circa trigeſimum ſeptimum annum; in fœmina vero vigeſimum ſecundum. Sed hìc quæri poteſt: cum licuerit aliquo tempore, & pro aliquo bono fine, eundem hominem plures uxores habere; numquid licuerit aliquando, eandem mulierem ſimul plures viros habere, ſi fuiſſet idem motivum? Dicendum negativè, & præcipua ratio inter multas ea eſt, quia Vir, & Vxor non ſolum ordinâtur ad communicationem naturalem, quæ eſt propter gignere; ſed etiam ad pacem, & communicationem æconomicam, ut patet ex *pr. & 2. Polit.* Pax autem æconomica conſiſtit in bona habitudine Rectoris ad ſubditos. Rector vero eſt ſolus Vir; ſubditi ſunt, Mulier, Filij, & ſervi. Si ergo plures Viri eidem Mulieri eſſent, propter diverſitatem animorum contraria præciperent, & ſic turbatio in familia, & in tota Republica orietur. E contrario vero, licet dentur plures Vxores uni viro, non per hoc dantur plures Rectores; ſed plures ſubiectæ. Datis autem pluribus Rectoribus, dantur quidem plura principia agendi, quæ diſſonant inter ſe, nam omnis poteſtas impatiens Conſortis eſt; ſed datis pluribus ſubditis non dantur diverſa principia movendi; quia ſubditus inquantum ſubditus eſt, non habet in ſe principium ſui motus, ſed movetur ab extrinſeco, nempe à Rectore iubente.

Reflexio 90.

EXaudivit tandem Deus preces Rachelis, peperit enim filium quem Ioſeph nominavit. Quo nato cum Iacob compleviſſet ſervitium ſuum quatuordecim annorum, petivit à Labam licentiam redeundi ad terram ſuam. Sed iſte, avaritia motus, cernens quod mora Iacob erat ſibi utilis, nite-

nitebatur illum apud ſe retinere, offerens mercedem, quaſi vellet gratiam facere, cum tamen intenderet illum decipere. Tunc Iacob promiſit remanere ſub iſta conditione, ſcilicet: quod ſepararentur Oves variæ, & ſparſo vellere, nempe, maculoſæ, & iſtæ ponerentur in manu filiorum Labam. Animalia vero unius coloris, ponerentur in manu Iacob; & fœtus ſi eſſent varij coloris, pertinerent ad Iacob. Tunc Labam libenter acceptavit conditionem, quia quod fœtus nigri naſcerentur ex ovibus nigris, & albi ex albis, erat ſecundum conſuetum curſum naturæ; ſed quod ex puris albis, vel puris nigris variæ, & maculoſæ naſcerentur, erat contra naturæ curſum. Tulit ergo Iacob Virgas, & ex parte illas decorticavit, itaut aſpiceretur aliquod viride, & aliquod candidum, & alias reliquit non decorticatas; poſuitque Virgas varij coloris in canalibus quando erat conceptus primi temporis, ideſt in principio veris; tunc enim fœtus naſcuntur meliores, & fortiores. Videntes igitur Femellæ, & Maſculi, ſuper ipſas aſcendentes, colorem varium Virgarum in aqua, imprimebant fœtibus talem colorem, itaut varij naſcerentur. Hanc enim virtutem habet immaginativa ſuper materiam unde fiunt conceptus, quod iſti concipiantur ſimiles illis, qui aſpiciuntur in extremo coitu: habet enim in illo puncto anima magnum vigorem, attrhaitque in fervore libidinis formas viſas, & illas imprimit fœtui. Hinc Iſidorus dicit, quod in Thalamis Coniugum, pingendæ eſſent aliquæ pulchræ perſonæ, ut illis viſis fœtus ſimilis Imagini formetur. Et hoc prodeſt ſive mulier videat illas imagines, ſive de illis recogitet. Vnde S. Hieronymus ait, quod Quintilianus orator, defendit quandam Matronam, quæ filium nigrum ut æthiopem pepererat, quia reperta fuit in eius cubiculo ſimilis pictura. Et Hippocrates pariter defendit aliam mulierem, quæ peperit filium utrique parenti totaliter diſſimilem. Eademque arte utuntur Hiſpani in Gregibus equarum, ponentes pulchros equos tempore conceptus ante equas

CAP.

CAP. XXXI. Reflexio 91.

SVpradictum eſt de Iacob incipiente, hìc ſubiungitur de eodem proficiente. Maximus autem virtutis profectus conſiſtit in tolerantia adverſitatum; iſtas vero patienter ſemper Iacob ſuſtinuit. Et primò paſſus eſt à Labam Socero ſuo. Dum enim pergeret in terram ſuam cum Vxoribus, & Liberis, & univerſa ſubſtantia quam dederat illi Deus, inſecutus eſt illum Labam animo perverſo nocendi; ſed Deus impoſuit illi, ut nec aſpere ipſi Iacob loqueretur: quapropter, timore Dei ſibi apparentis perterritus, & cernens quod Deus erat pro Iacob, quæſivit confederari cum illo, non amore, ſed avaritia incitante. Rachel autem in receſsu à paterna domo, furata eſt Idola patris ſui; non ad colendum, cum iam eſſet edocta à Marito de cultu unius veri Dei, ſed ad retrahendum patrem ſuum ab idolatria. Alij dicunt quod Rachel viderat ſæpe patrem ſuum, cum aliquòd vellet incipere, reſponſa quærere ab illis Idolis: certum eſt autem quod talia non habent virtutem dandi reſponſa; tamen aliquando Deus hoc permittit, propter peccata hominum credentium talibus vanitatibus, quia merentur iſtis deceptionibus illudi. Igitur Rachel timens, ne pater ſuus quæreret ab idolis de via mariti, & totius familiæ ſuæ, & accepta reſponſione à Demone eos inſequeretur, ſecum tulit prædicta Idola.

CAP. XXXII. Reflexio 92.

DEſcripto qualiter Iacob ſuſtinuit perſecutionem Avunculi ſui, hìc agitur de afflictione quam ſuſtinuit pro Eſaù fratre ſuo. Relicto igitur Labam abijt Iacob itinere quo cæperat, fueruntq; illi obviam Angeli Dei, ad

ipſum

Ipſum videlicet confortandum contra timorem fratris. Dicunt autem Doctores, quod iſti erant Angeli Cuſtodes Provinciæ Chanaam: habet enim quælibet Provincia Angelum magnum de ordine ſuperiori, & ſub illo ſunt multi de ordine inferiori, ad Gentem illam cuſtodiendam, ut patet *Daniel.* x. ubi ponitur unus Angelus Princeps Perſarum, qui reſiſtit Gabrieli viginti uno diebus. Advertendum eſt autem, quod licet Iacob fuiſſet confortatus à Deo in receſſu de Meſopotamia, & nunc ab Angelis ſibi occurrentibus; tamen ex naturali infirmitate, timuit de fratre ſuo, per cuius terram tranſire debebat. Licet enim Ratio ſua eſſet certificata ex promiſſione Divina, & iſta certificatio retineretur habitualiter in ratione; tamen non erat circa illam actualis conſideratio; ideoque, terribili ſuperveniente, pavere poterat: *hinc Ariſt.* 7. *Eth. ait*: quod in moralibus ſcire ſecundum habitum, non tollit malam operationem; cognitio enim moralis virtutis, non repugnat malæ operationi, quia actus, & habitus non repugnant ſimul eſſe, cum non ſint eiuſdem rationis. Miſit ergo Iacob Nuntios ad Eſaù, qui redeuntes dixerunt: *Ecce properat tibi in occurſum, cum quatuor centum Viris*. Impius enim frater, tot homines ſecum ducebat, ut captivum duceret, ſi ſibi expedire cognoviſset, Iacob; ſi autem contrarium vidiſſet, ſaltem oſtenderet potentiam ſuã. His auditis Iacob, orans ad Deum ait: *Erue me de manu fratris mei Eſaù, quia valde eum timeo*. Diſpoſito namque omni eo, quod poterat per humanam induſtriam, convertit ſe ad Divinam clementiam, in qua ſola principaliter confidebat.

Reflexio 93.

DVm igitur Iacob, ut prædictum eſt, timeret: ecce Vir luctabatur cum eo. Iſte autem fuit Angelus eius cuſtos, qui cæpit cum eo luctari, & permittebat ſe vinci, fingens ſe non poſſe contra Iacob prævalere, ut ſic daretur ei audacia ad non timendum Eſaù. Luctabatur

autem cum eo uſque mane; quia volebat illi dare magnam conſolationem, & confidentiam, quam dare non poterat, ſi modico tempore luctatus fuiſſet. In fine autem Luctæ tetigit Angelus Nervum Femoris eius,& ſtatim emarcuit. Pro quo advertendum eſt: quod licet Iacob non fuerit totaliter diffiſus de Divino adiutorio, tamen parum confidit, & nimis timuit Eſaù; ideoque Angelus dedit illi hanc punitionem pro dicta diffidentia. Poſtea verò Iacob claudicabat, ut per hoc oſtenderetur quomodo claudicaſſet in mente, confidendo parum de protectione Divina. Facto autem mane dixit Angelus ad Iacob *Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora*, quaſi diceret: non debes me amplius tenere; nam tempus eſt ut cantem Dei laudes, cum alijs Angelis, ſecundùm illud *Iob. 38. Vbi eras cum me laudarent Aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Tunc Iacob, optavit ſcire nomen Angeli ſecum luctantis: cui Angelus ait: *Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile?* quaſi diceret, non potes illud habere. Ratio autem ea eſt: quia Angeli non habent nomina fixa, & ſtabilia; ſed ſortiuntur diverſa nomina, ſecundùm legationes ad quas mittuntur. Præterea nomen imponitur ad notificandam rem, quando accidit, vel poteſt accidere aliqua dubitatio, vel æquivocatio: in Angelis autem eſt certiſſima cognitio, quia ſunt individua ſubſtantialia, inter ſe numero, vel ſpecie differentia. Quando igitur Angelis imponuntur nomina, non ſunt ſecundùm naturam, ſed ſecundùm officium; si autem *quod eſt mirabile*, non eſt de textu: tamen dic, quod cum imponantur Angelis nomina ex officijs, tunc nomen erit admirabile, quando officium erit admirabile; iſte autem Angelus luctator gerebat magnum officium, quod tamen hìc tacetur; ideo dixit ſuum nomen eſſe admirabile.

CAP.

CAP. XXXIII. Reflexio 94.

DEſcripto timore quem habuit Iacob de adventu fratris; hìc deſcribitur illius prudentia: nihil enim omiſit, quod poſſet ab humana ratione dictari. Et per hoc admonemur, quod in periculis conſtituti, agamus ad evadendum quantum prudentia dictat, dummodo peccati culpa non intercedat, alioquin eſſet tentare Deum ut miraculum faceret, quod quidem maximum peccatum eſt. Igitur Iacob, diſpoſitis omnibus, perrexit primus ante alios, ut illis præberet exemplum: nam facillimum eſt alios exhortari verbis; ſed perfectę virtutis eſt firmare ſubditos exemplo. Videns vero Iacob Eſaù, ſtatim pronus ad terram, ſepties illum adoravit, inclinando videlicet caput, & hæc eſt adoratio Duliæ: frater enim ſuus erat Primogenitus, licet ordinatione Divina fuiſſet primogenitura ad ſe tranſlata. Tunc Eſaù currens obviam fratri ſuo amplexatus eſt eum, & oſculans flevit. Ex Divina namque ordinatione mutata fuit eius indignatio in pietatem. Iacob vero licet amicabiliter à fratre rεceptus, tamen prudenter declinavit ſocietatem illius; poterat enim timere, nę animus fratris mutaretur in contrarium; ideoque requiſitus de ſocietate, illam recuſavit, allegando cauſam de filijs paruulis; quapropter Eſau redijt in terram ſuam. Iacob autem pervenit in Socoth, & fixit tabernaculum extra Civitatem; non enim voluit habitare intra Vrbem, quia Cives erant idolatræ; ne familia ſua contaminaretur perverſis moribus illorum; erectoque Altari, invocavit ſuper illud Fortiſſimum Deum Iſrael; recognoſcens videlicet Dei potentiam, qua illum conſervaverat à Labam ipſum perſequente, & ab Eſaù ſibi occurrente.

CAP. XXXIV. Reflexio 95.

DEſcriptis tribulationibus Iacob illatis à cognatis, hìc ponitur iniuria accepta ab extraneis. Morante igitur ſancto Viro extra Civitatem, Dina eius filia egreſſa eſt de domo paterna, ut aſpiceret mulieres regionis illius: erat enim in illa die generale feſtum, ad quod omnis Populus concurrebat, & agebant magna gaudia; quam cum vidiſſet Sichem Princeps terræ illius, captus amore, & fretus potentia, rapuit illam, vi opprimens Virginem. Quod cum audiſſet Iacob ſiluit, diſſimulando prudenter id quod emendare non poterat. Redeuntes autem filij eius domum, & audito quod acciderat, irati ſunt valde; ad quos veniens Sichem precatus eſt illos, ut darent ſibi Sororem in Vxorem. Cui fratres reſponderunt, ſe non poſſe hoc facere niſi omnes de Civitate circumciderentur: dixerunt autem hoc in dolo, quia non proponebant Circumciſionem, ut attrhaerent Sichimitas ad Dei cultum, ſed ut illos occiderent. Non diſtulit adoleſcens Princeps, quin ſtatim expleret quod petebatur. Et licet circumcidi doloroſum ſit, maxime viris perfectis ætate, tamen quia diligebat, ſatis facile ei viſum eſt. Amans enim vult magis mortem, quam pati amoris diſpendia. Ingreſſus ergo Civitatem locutus eſt ad Populum ſuum dicens: *Viri iſti pacifici ſunt, & volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa, & lata Cultoribus indiget; & ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident noſtra erunt, & habitantes ſimul, unum efficiemus Populum.* Incepit autem à Pace ut perſuaderet Plebi; quia communis regula eſt, quod illa, quæ obviant ſtatui politico, repelli debent: maximum autem bonum Civitatis eſt Pax, in qua quilibet rerum ſuarum Dominus eſt. Secundò, quia Plebs avara eſt, ibique

incli-

Digitized by Google

inclinat ubi cognoſcit lucrum; ideo propoſuit varias utilitates, quæ ſequebantur ex confederatione cum filijs Iacob, affirmans quod efficerent unum Populum. Hoc autem erat per unitatem Loci, & Legum; requiritur enim ad Populi unitatem identitas loci, ut ait *Ariſt. 3. Polit.*; deinde requiritur unitas Legum; nam dato quod duæ Civitates coniunctæ ſint uno muro, tamen ſi non ſit eis Legum identitas, non eſt unus Populus, quia moribus, & Legibus ſunt diſſimiles. Prædictis ergo utilitatibus auditis, ſtulta Plebs propoſitam conditionem acceptavit, omnesque Cives circuncisi ſunt, hoc exigente inſano Principe. Die autem tertio, in quo dolor eſt vehementiſſimus, adeout circumciſi ſe movere nequeant, acceptis filij Iacob gladijs, ingreſſi ſunt Civitatem, & Populum cum Principe occiderunt; Paruulos quoque, & Vxores captivas duxerunt. Dicunt tamen Doctores, quod Iacob fecit liberare omnes captivos, & relinquere omnia animalia, quia iuſtè poſſideri non poterant, cum per bellum iniuſtum acquiſita fuiſſent.

CAP. XXXV. Reflexio 96.

POſtquam Moyſes deſcripſit ſtatum Iacob ut incipientis, & proficientis, hìc deſcribit illum ut perfecti; quæ quidem perfectio oſtenditur in eminentia contemplationis. Iuſſit igitur Deus illi ut aſcenderet Bethel, ideſt, ad Montem *Moria*: ibique ædificato Altari, redderet gratias de Divina protectione, in ſua peregrinatione, & multiplicatione in bonis ſpiritualibus, & temporalibus. Tunc Iacob præcepit, ut omnes de domo ſua abijcerent idola, quæ acceperant in præda Sichen: ad ſtatum namque perfectionis tendens, voluit omnem impuritatem à domo ſua removere, ut purius poſſet Deo vacare. Deinde Dominus dixit illi: *non vocaberis ultra Iacob*, quod interpretatur *Luctator*,

& convenit proficienti in vita activa: *ſed Iſrael erit nomen tuum*, quod interpretatur princeps cum Deo; vel directus ad Deum, & hoc competit Vitæ contemplativæ. Vocatur autem vita activa *lucta*, quia eſt quoddam genus exercitationis, & militiæ dum pugnatur contra concupiſcientias. Cum vero ad altitudinem contemplativæ pervenitur, ceſſante tumultu rerum ſecularium, in Deum tota cura cordis iactatur: & fęlix anima cum ſponſo ſuo Chriſto dulciter requieſcit. Sed quæri poteſt, quomodo dicitur hìc, quod non vocaretur amplius Iacob, cum in hoc eodem capitulo pluries fuerit ſic appellatus? Dicendum, quod ſenſus eſt, ut non vocaretur ultra Iacob tanquam nomine principali, ſed non excluditur quin secundariò ſic diceretur: cuius ratio eſt, quia illa mutatio nominis facta fuit ad deſignandum tranſitum de vita activa, ad contemplativam. Vita autem activa eſt imperfectior, pro ut præcedit, & diſponit ad contemplativam, quæ perfectior eſt tali actione, ſicut finis reſpectu eius, quod eſt ad finem. In hoc autem tranſitu, homo non deſerit ſimpliciter ipſam vitam activam, ne per ceſſationem ab activa inſurgant de novo paſſiones perturbantes rationem; ideo ad hoc deſignandum, poſtquam vocatus eſt Iſrael, rurſus vocatus eſt Iacob; quaſi diceret illi Deus: uſque nunc fuiſti principaliter activus, licet aliqualiter contemplatiuus: nunc autem eris principaliter contemplatiuus, licet aliqualiter actiuus.

Reflexio 97.

PErgebat interea Iacob de Bethel, quæ eſt Ieruſalem, ad terram, quę ducit Ephratam. Hęc autē eſt Bethlehem, quæ Civitas vocata eſt Ephrata ab Vxore Caleb, & poſtea dicta fuit Bethlehem, hoc eſt domus panis, à fertilitate, quæ poſt penuriam ibi acciderat tempore Elimelech, ut habetur *in lib. Ruth.*, in qua terra, cum pareret Rachel mortua eſt; unde appellavit filium natum *Benoni*, ideſt *filius doloris*. Pater vero appellavit *Beniamin*, ideſt *filius dexteræ*,

nempe

nempe *fortitudinis*; ut interpretatione nominis oſtenderetur conſtantia Iacob in tanta anxietate poſiti, propter immaturam mortem dilectiſſimæ Vxoris ſuæ: per dexteram enim conſtantia, & fortitudo deſignatur. Sepelivit autem Iacob Vxorem ſuam in via; tum quia adhuc non pervenerat in Civitate; tum quia antiquitus Sepulchra erant extra urbem; erexitque titulum, ideſt memoriam in futuro ſuper Sepulchrum. Ex quo patet, quod ab antiquo fuerunt Sancti Patres diligentiſſimi in conſtruenda ſepultura notabili, ut ſic mortui in memoriam hominum remanerent, ad orandum pro ipſis, & ad oſtendendam fidem futuræ Reſurrectionis. Egreſſus autem Iacob inde, fixit Tabernaculum trans Turrim Gregis. Et eſt locus propè Bethlehem ubi Angelus, nato Chriſto Domino, apparuit Paſtoribus vigilantibus ſuper Gregem ſuum: modò vero eſt Eccleſia, quæ vocatur *Angelus ad Paſtores*. Dum autem Sanctus Iacob hìc lugens moratur, ecce cauſa maioris afflictionis ei inſurgit; dum impudens eius filius Rubem, auſus eſt dormire cum Bala: factum enormiſſimum, quod ſancto Patri materia extremæ patientiæ, & perconſequens occaſio magnæ virtutis exercendæ fuit.

CAP. XXXVI. Reflexio 98.

DEſcripta multiplicatione Iacob, hìc deſcribitur multiplicatio Eſaù, qui habuit tria nomina. Nam vocatur Eſaù nomine proprio. Secundo, dicitur *Seir*, ideſt hiſpidus, erat enim ſicut pellis. Tertio, dicitur *Edon*, ideſt rubeus, ob ruborem Lenticulæ, quam ita ardenter concupivit; vel ob rubedinem corporis. Mortuo enim Iſaac, tulit Eſaù Vxores ſuas, & filios, omnemque ſubſtantiam quam potuit habere in terra Chanaam; perrexit-

Digitized by Google

que ad habitandum in Monte Seir,qui eſt idem cum Idumæa. Vel poteſt dici, quod Idumæa eſt magna terra, in qua eſt quædam pars, quæ vocatur mons Seir; & ſic dicitur quia eſt terra valde montuoſa. De filijs autem Eſaù exierunt primò Duces, qui erant Principes alicuius Civitatis tantum. Videntes verò Idumæi ſe non bene regi per Duces, conſtituerunt ſibi Reges. Vnus tamen actualiter regnabat in tota Idumæa. Porrò iſti Reges non erant per ſucceſſionem, ſed per electionem. Sed videntes, ſe non bene manere ſub Regibus, reverſi ſunt ad Duces priores, & poſt iſtos rurſus ad Reges. Sciendum autem quod ante Eſaù habitaverunt Idumæam aliqui Populi, qui vocantur *in Tex. Horræi*, & dicuntur filij Seir; iſte tamen non fuit Eſaù, ſed alius ante ipſum. Expulerunt vero filij Eſaù prædictos Horræos de terra ſua, & dominati ſunt ibidem. De Ducibus Deſcendentibus de Eſaù fuit Hiram ultimus Dux;& dicunt Hebræi,quod ab iſto deſcendit Regnum Romanorum.

CAP. XXXVII. Reflexio 99.

DIcto de ſtatu Iacob in terra Chanaam, hìc agitur de illius deſcenſu in terram Ægypti. Dicitur autem in tex. *Hæ ſunt generationes eius*. Pro quo adverte, quod generatio accipitur dupliciter. Vno modo pro generatione ſucceſsionis. Alio modo pro re ipſa genita; & neutro modo accipitur hìc; ſed intelligitur pro novo eventu rei: ſic dicimus: *Neſcis quid ſuperventura pariat dies*. Quia ergo accidit Iacob tribulatio de venditione Ioſeph; & poſt hanc multas alias miſerias ſuſtinuit; ideo iſtæ dicuntur eius generationes. Paſcebat interea Ioſeph Gregem, eratque cum filijs Balæ, & Zelphæ: nam filij Liæ deſpiciebant illos, reputantes eos quaſi ſervos; & ideo ſanctus Puer, qui erat filius Vxoris principalis, faciebat eis ſocietatem ad ipſorum conſola-

ſolationem. Deinde procedente tempore accuſavit fratres apud Patrem crimine peſſimo: & hoc erat odium fraternum, quod in tranſlatione noſtra meritò vocatur crimen peſſimum; quia ſicut fraterna charitas optimum quid dicitur, ita è contrario inimicitia fraterna, peſſimum crimen nominatur: unde in Hebræo habetur: *Et retulit Patri rixam eorum peſſimam*. Et hoc concordat cum eo quod iam dictum eſt, nempe quod filij Liæ deſpiciebant filios ancillarum. Sanctus autem Iuvenis increpavit multoties illorum ſuperbiam; ſed quia erat minor ætate, eius monitio non fuit recepta; unde tunc Patri denunciavit qui poterat remedium adhibere. Diligebat verò Iacob Ioſeph, eo quod in ſenectute genuiſſet eum. Virtus enim generativa in ſenectute debilior eſt, ideoque ſolent in illa generari partus defectuoſi, & imperfecti. Ioſeph autem è contrario erat gratioſior omnibus fratribus; tum ratione corporis; tum animi: quapropter videbatur hoc procedere ex ſpeciali dono Dei, ideoque Patri magis omnibus amabilis erat.

Reflexio 100.

Vidit interea *I*oſeph ſomnium de Sole, Luna, & Stellis, & de Manipulis Spicarum. Omnia autem iſta pertinebant ad unicam ſignificationem, ſuæ videlicet exaltationis ſuper fratres; & hoc pura mente narravit fratribus, & etiam Patri: quo audito increpavit eum pater ſuus, non quod invideret futuræ proſperitati prædilecti filij, ſed volebat ut iſta taceret, ne fratres ſui magis acuerent odia. Prius tamen Pater rem ſibi relatam tacitus conſiderabat; licèt enim loquendo coram filijs videretur parvipendere ſomnium; tamen intra ſe cogitabat, quod vere eſſet preſagium futuræ dominationis. Per Solem namque figurabatur Pater, cùm Sol ſit principium caloris, & vitæ, ideoque 2. *de Anima* dicitur *pater hominum*, *Deorumque*. Per Lunam vero, quæ habet dominium ſuper humida, denotabatur Mater;

nam

nam ſicut Luna exiſtens corpus opacum recipit lumen à Sole; ita Mater in generatione, eſt principium paſſivum, & receptivum. Similiter per Stellas intelligebantur filij: nam ſicut Stellæ recipiunt lumen à Sole, ſic filij habent eſſe à parentibus. Igitur filij Iacob odio, & invidia inflammati, cogitaverunt magis fratrem occidere, quam eum habere dominatorem. Quod facinus perpetraſſent, niſi Iudas id prohibuiſſet. Miſerunt ergo innocentem Iuvenem in Ciſternam; & pretereuntibus Madianitis, qui alio nomine vocantur *Iſmaelitæ*, vendiderunt illum. Sed poſtea eum adoraverunt, quia vendiderunt; nihil enim valet, nihil poteſt humana temeritas contra conſilium Divinitatis.

CAP. XXXVIII. Reflexio 101.

SVpra poſuit Moyſes partem principalem pertinentem ad hiſtoriam Ioſeph, hic ſubiungit partem incidentalem, in qua agitur de Iuda, uxorem ducente. Divertens enim ad Virum Odollamitem, accepit Mulierem Chananæam nomine Sue, ex qua tres filios ſuſcepit, ſcilicet Her, & Onam, & Sela. Deditque filio ſuo primogenito Her Vxorem nomine Thamar. Fuit autem Her nequam in conſpectu Domini; fundebat enim ſemen in terram, ne Vxor ſua conciperet, timens ne amitteret concipiendo pulchritudinem; unde Deus dedit illi aliquam terribilem plagam, itaut liquidò conſtaret, quod non naturaliter, ſed à Deo fuiſſet de terra ſublatus in pœnam ſui ſceleris, & tam inauditæ libidinis. Tunc *I*udas tradidit Thamar alteri filio ſuo Onam: qui ad Vxorem accedens, ſemen fundebat in terrã; exercebatque rem tam deteſtabilem, ne filios nomine fratris ſui prædefuncti gigneret. Magna vero hæc invidia fuit, nempe ſibi nocere, ut alteri non prodeſſet. Non enim erat conſuetudo illius temporis, ut frater minor gigneret

ret omnes filios nomine fratris defuncti, ſed ſolum ut vocaret primogenitum nomine fratris præmortui, reliqui vero pertinebant ad familiam ipſius generantis. Talis ergo frater fuit ſicut primus percuſſus à Domino: quo mortuo dixit Iudas Thamar, quod remaneret vidua in domo patris ſui, donec creſceret Sela tertius eius filius; hunc enim Thamar accipere cogebatur per legem illius temporis, nec poterat ullo modo nubere cui voluiſſet, niſi omnibus fratribus primi ſui Mariti defunctis. Et ex hoc patet quod aliqua de Legalibus, & Iudicialibus, datis in lege Moyſis, obſervabantur etiam ante illam; ſed quia non habebant vim obligandi, tamquam Dei leges, ſed tamquam Conſuetudines, fuerunt in lege confirmata.

Reflexio 102.

EVolutis tandem multis annis, cognovit Thamar quod Iudas nolebat ſibi dare in Maritum Sela filium ſuum; timebat enim ne illi accideret mors, ſicut accidit duobus alijs filijs: quapropter depoſitis Viduitatis veſtibus, aſſumpſit Theriſtrum, quod erat veſtis linea qua utebantur Mulieres in ætate; & ut crederetur meretrix, ſedit in Bivio: in tali enim loco ſolebant meretrices manere, ut ab omnibus undequaque tranſeuntibus viderentur. Non movebatur tamen Thamar ad iſta facienda incentivo libidinis, ſed amore prolis habendæ; maxime quia non habuerat illam ex duobus alijs filijs Iudæ. Actus vero illius non iuſtificatur, quia ſecundum ſe malus erat. Pergens autem Iudas ad Oves tondendas, & videns Thamar, quæ operuerat vultum ſuum ne agnoſceretur, putavit eſſe meretricem; quilibet enim ex habitu iudicatur donec contrarium probetur; unde Idiotæ bene veſtiti, ſapientes eſſe iudicantur: hinc vulgo dicitur;

Vir bene veſtitus pro veſtibus eſſe Peritus
Creditur à mille quamvis Idiota ſit ille.

Requiſivit ergo Iudas Thamar de copula, quæ ſtatim aſſenſit; ſti-

ſtipulata tamen prius mercede, & accepto Anulo, Armilla, & baculo Iudæ pro pignore. Secuta igitur copula ſtatim concepit Thamar; aſſumptiſque viduitatis veſtibus, redijt in domum ſuam. Intumeſcente autem utero eius, nuntiatum eſt Iudæ, quod Thamar fornicata eſſet, qui ſtatim protulit ſententiam, ut combureretur. Erat enim tunc Iudex in terra illa, vel Lex illius temporis dabat ei poteſtatem vindicandi iniuriam ſibi illatam. Per hoc autem dicunt aliqui Doctores, quod Thamar erat filia Sacerdotis Melchiſedech; nam filia Sacerdotis fornicans, debebat tunc comburi, ſicut poſtea per Legem ſancitum fuit *Levit.* 21. Igitur Thamar cum duceretur ad mortem, miſit Anulum, Armillam, & Baculum ad Iudam, aſſerens ſe concepiſſe de viro cuius erant prædicta. Tunc Iudas cognoſcens mulieris innocentiam, ſtatim revocavit ſententiam. Sed videtur quod fuerit iniuſtus dum eam minime punivit. Dicendum, quod punitio erat propter iniuriam Iudæ, & filij ſui Selæ quibus inferebatur ignominia; ipſis autem non conquerentibus, nulla punitio infligenda erat ipſi Thamar. Iudas ergo quatenus erat privata perſona, poterat iuri ſuo renunciare, & remittere iniuriam; ſecus autem ſi fuiſſet ſolus Iudex; nam remittendo, peccaſſet contra Iuſtitiam diſtributivam, & per conſequens fuiſſet iniurius Reipublicæ.

CAP. XXXIX. Reflexio 103.

DEſcripta parte incidentali, hìc Legiſlator revertitur ad hiſtoriam Ioſeph, deſcribendo illius promotionem. Igitur Madianitæ pervenientes in Ægyptum, vendiderant Ioſeph Putiphar Eunucho Pharaonis. Invenit autem Ioſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat domũ ſibi creditam, & univerſa quæ ſibi tradita fuerant: nam Putiphar

tiphar optime noverat, Deum eſſe cum illo. Videbat enim quod tanta proſperitas, & bonus eventus inerat rebus,quas diſponebat Ioſeph, ut nulla prorſus humana induſtria hoc haberi potuiſſet; unde neceſſario arguebat, aliquam cauſam ſuperiorem dirigentem eſſe, nempe Deum. Tales autem eventus vocant philoſophi bonam fortunam, ut patet per *Ariſt. lib. de bona fortuna*; quæ eſt quidam inſtinctus in mentibus humanis à cauſa ſuperiore proſpere dirigente abſque aliqua ratione, vel iudicio noſtri Intellectus: ut quando cor dat nobis, ut faciamus aliquid, & neſcimus rationem,quare magis illud, quam oppoſitum eligamus, & poſtea feliciter nobis evenit, tunc bona fortuna vocatur. Hæc autem eſt aliqua directio à cauſa non errante, nempe Deo. Igitur omnia negocia quæ Ioſeph tractabat, proſperum habebant eventum; ideoque Putiphar fecit illum præpoſitum omnibus, & gubernabat creditam ſibi domum. Nec quicquam aliud noverat, niſi panem quo veſcebatur. Licet enim ex adminiſtratione generali, poſſet multa ſibi accipere Domino ignorante,tamen nihil volebat niſi cibum ad vitam ſuſtentandam.

Reflexio 104.

DVm Ioſeph fideliter ſe gerit erga Dominum ſuum, ecce Mulier Putipharis capta amore illius, impudenter inſurgit contra pudicitiam ſancti famuli. Qui nullo modo acquieſcens nefariæ petitioni, correxit illam dicens, quod cum Dominus ſuus tradidiſſet ei omnia bona domus, non poterat peccare in illum; quanto enim maior fuit Domini confidentia, tanto maior fuiſſet eius ingratitudo, ſi talia pro talibus, benefactori ſuo retribuiſset. Sed iniqua mulier, non ratione commota, ſed effrenata libidine agitata, per ſingulos dies moleſta erat pudiciſſimo adoleſcenti, qui immobilis in ſancto propoſito ſemper remanſit. Quod autem in prima acie, verbis amatorijs reſtiterit, mirabile quidem, & valde virile fuit; ſed quotidianis iaculis

impu-

impudicæ mulieris inſtigantis, Iuvenem elegantis formæ non ſuccumbere, diviniſſimum fuiſſe fateamur. Accidit autem quadam die ut intraret Ioſeph domum, quando impudens domina apprehenſa Lacìna veſtimenti eius, tentavit inducere ad peccatum Iuvenem innocentem. At ille, relicto in manu adulteræ pallio, aufugit: ſciens quod libido ſola fuga ſuperatur. Tunc impia Mulier pergens ad Virum ſuum, non erubuit imponere peccatum ſuum adoleſcenti innocentiſſimo, qui ſtatim miſſus fuit in carcerem. Deus autem dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris, qui amovit à Ioſeph ferramenta quibus tenebatur, & meliorem cibum appoſuit, relinquens in ſua poteſtate omnes, qui in cuſtodia tenebantur. Divina namque conſolatio ſtatim adfuit, ne nimia triſtitia innocens Puer abſorberetur.

CAP. XXXX. Reflexio 105.

DEſcripta conſolatione Ioſeph in pœnæ mitigatione, hìc ponitur Divina alia conſolatio in mentis illuſtratione, per cognitionem occultorum. Manente ergo illo in Carcere, commiſerunt delictum duo Eunuchi Pharaonis, ideoque miſſi ſunt in carcerem; videruntque ambo, & ſimul ſomnia. Hoc autem Divina diſpoſitione factum eſt, ut per eorum interpretationem oſtenderetur ſapientia Ioſeph, & ſic exaltaretur. Viſo igitur ſomnio, contriſtati ſunt valde prædicti Eunuchi: ad quos cum introiſſet Ioſeph, vidit illos triſtiores ſolito. Cum enim affectiones noſtræ cauſentur à rebus exterioribus, neceſſe eſt, mutatis illis, mutari noſtras affectiones; quia ergo ſomnia videbantur triſtia, facies etiam eorum ex expectatione mali futuri, triſtiores redditæ fuerunt. Igitur Ioſeph interrogavit de cauſa. Qui reſponderunt, ſe triſtes eſſe, quia non poterant ab aliquo habere interpretationem.

Egyptij

Digitized by Google

Egyptij enim inſtabant augurijs, & divinationibus. Tunc Ioſeph illos correxit de tali ſuperſtitione, aſſerens quod ſomniorum interpretatio, pertinet ad Deum; quia in nobis non ſunt viæ naturaliter cognoſcitivæ ſupernaturalis veritatis in ſpeciali. Deinde iuſſit, ut ea ſibi narrarent: talis enim notitia pertinet ad ſpiritum prophetiæ, quæ eſt gratia gratis data; ſciebat autem Ioſeph, ſe conſecuturum à Deo tale donum. Narratis igitur ſomnijs ab ægyptijs, interpretatus eſt illa Ioſeph, & evenit ſicut prædixerat; nam poſt tres dies Piſtor ſuſpenſus fuit in patibulo, & Pincerna reſtitutus ad ſuum officium exercendum coram Rege. Sed ſuccedentibus proſperis, præpoſitus Pincernarum oblitus eſt Interpretis ſui. Proſperitas enim, facit homines obliviſci amicorum. Nam ille qui in proſperitate eſt, intendit ſibi ſoli, ſemperque augumentum fortunæ pro ſe ſolo quærit. Adverſitas autem nos cautos reddit, & vigilantes; & ideo magis cognoſcimus veros amicos in adverſitate, quam in proſperitate.

CAP. XXXXI. Reflexio 106.

DEſcripta incarceratione Ioſeph, hìc agitur de illius liberatione. Igitur Pharao poſt duos annos, a reſtitutione Magiſtri pincernarum, vidit ſomnium; & ſtatim vocati fuerunt Magi, & Incantatores Ægyptiorum; nec inventus fuit qui illa interpretaretur. Licet enim darent multas reſponſiones, tamen erant incongruæ, nec quietabant animum Regis. Tunc Pincerna narravit Pharaoni interpretationem ſibi datam à Ioſeph de ſomnio ſuo, & quomodo fuiſſet ſecutus effectus: uap ropter ſtatim ad Regis Imperium Ioſeph eductus eſt de carcere, cui Pharao narravit ſomnia ſua; reſponditque ſanctus Puer: Somnium Regis unum eſſe, quantum ad ſignificationem, licet eſſet duplex quantum ad imaginariam viſionem;

nem; aſſerens quod Deus per hoc oſtenderat ſibi illā, quæ erat facturus. Providentia namque Divina, quodam ſpeciali modo reſpicit Principes, quia præſunt Reipublicæ; ideoque aliqua futura Divinitus eis panduntur præ cœteris. Deinde Ioſeph dedit interpretationem dicens: Quod ſeptem Boves pulchrę, & ſeptem ſpicæ plenæ, denotabant ſeptē annos ubertatis. Septē vero Boves tenues, & macilentæ, quæ aſcendebant poſt eas, & ſeptē Spicæ tenues, & vento urente percuſſæ, ſeptem annos vēturæ famis ſignificabant. Poteſt autem de prædictis aſſignari ratio, quare per hæc intelligeretur fertilitas, & ſterilitas. Etenim duplex eſt cauſa fertilitatis, ſcilicet optima terræ cultura, quæ deſignatur per Vaccas pingues; iſtæ namque fortiter terram colunt; & bona ſeminatio, quæ denotatur per ſpicas plenas. Etenim quando grana multa ſunt, naſcuntur etiam fruges in abundantia. E contrario autem duæ ſunt cauſæ ſterilitatis; nempe mala cultura agrorum, quæ innuitur per Vaccas macilentas, nam iſtæ parum colunt terram; & per Spicas vento percuſſas, conſumente humidū naturale granorum, ſignatur mala ſeminatio, quia in talibus granis nulla, vel parva vis eſt. Rex igitur videns in Ioſeph eſſe ſapientiam Divinam, conſtituit illum Principem domus ſuæ; eique dedit proprium Anulum, & veſtivit illum Stola Byſſina, & Torquem auream collo ſuo circumpoſuit, & ſuper Currum ſuum ſecundum aſcendere illum fecit, ut à toto Populo cognoſceretur tamquam Præpoſitus univerſæ terræ Ægypti, clamante Præcone. In hebræo autem habetur: *Et clamaverunt coram eo Abrec*. Quæ dictio ſignat idem quod *Pater tener*. Et eſt ſenſus: quod Ioſeph ratione ſapientiæ ſuæ erat Pater aliorum, licet eſſet tener ætate.

CAP.

CAP. XXXXII. Reflexio 107.

Poſtquam deſcripſit Moyſes deſcenſum in Ægyptum reſpectu Ioſeph, hìc deſcribit deſcenſum in eandem terram quantum ad fratres. Interea fames advenerat, nec ſolum erat in Ægypto, ſed etiam in terra Chanaam; unde Iacob miſit filios in Ægyptum ad eſcas emendas. Venientes ergo fratres Ioſeph in Ægyptum, adoraverunt eum. Qui illos cognoſcens locutus eſt ad eos verbis duris, & cauſa fuit, quia non videns Beniamin fratrem ſuum uterinum, timuit ne machinati fuiſſent contra eum, ſicut fuerant contra ſeipſum; ideoque, ut ſcire poſſet veritatem, aſpere locutus eſt. Et primo interrogavit de patre ſuo; poſtea de fratre, alijſque circumſtantijs. Poſt reſponſionem vero tradidit illos in vinculis tribus diebus. Quibus elapſis dimiſit illos cum frumento, & pecunia poſita in Saccis, retinens tamen Simeonem in vinculis, quem ligavit illis præſentibus. Cauſa fuit, quia iſte proiecit in foveam Ioſeph; unde cum plus cæteris peccaverit, plus etiam debuit puniri. In abſentia tamen illorum, iuſſit eum à vinculis abſolvi, ut dicunt Doctores, & de cibo convenienti provideri in loco tamen clauſo, ut ſic in Iuſtitia, ſervaretur Pietas fraterna. Sed hìc quæri poteſt: quomodo Ioſeph qui erat tam dulcis, & manſuetus, afflixit tam diu fratres, antequam ſe illis manifeſtaret, cum ſtatim poſſet iniuriam ſibi factam remittere? Dicendum quod licet perſona ſingularis poſſit hoc facere, tamen ille qui eſt Superior, & Iudex, cum ſit Cuſtos Iuſtitiæ, nequit hoc facere; maxime quando iniuria ſibi facta redundat in alterũ, ut hìc: nam offenſa facta Ioſeph redundavit in patrem ſuum, qui inconſolabiliter afflictus erat propter ſuam venditionem. Ex ordinatione autem Divina Ioſeph factus erat Superior, & Iudex fratrum ſuorum, ut patet per Viſiones ſupra poſitas; & ideo non debuit illos dimittere ſine punitione, ne dedecus culpæ tranſiret ſine decore Iuſtitiæ: tamen in punitione plus fuit de miſericordia, quam de rigore.

CAP. XXXXIII. Reflexio 108.

DEſcripto deſcenſu fratrũ Ioſeph in Ægyptũ, hìc deſcribitur deſcẽſus Beniamin. Fratres igitur prędicti redierunt in terram Chanaã, ferentes cibaria ad patrem, quibus conſumptis, iuſsit Iacob ut redirent ad novas eſcas emendas. At illi narrantes omnia quæ acciderant eis, dixerunt non poſſe nova alimenta in Ægypto recipere, niſi ducerent ſecum Beniamin: qua propter Iacob conſenſit, & generoſè remiſit duplicem pecuniam, & inſuper munera. Peruenientes igitur filij eius in Ægyptum, ſteterunt coram Ioſeph, quibus in meridie dedit etiam prandium. Tali namque hora revertebatur, occupatus ſemper negocijs Regni. ſummi namque honores magnis alligantur oneribus: hinc puſillanimes non ſuſtinent magnos ſtatus, quia onus ſubire formidant, & per hoc illos recuſant. Et in hoc advertendum eſt, quod aliqui circa honorum fugam valdè falluntur. Etenim non eos fugiunt, ut dominari fugiant; ſed ſolùm ut onera Dignitatum non ſuſtineant. Tales autem non virtuoſi, ſed miſeri ſunt, carentes viribus animi. Qua propter alij virtuoſius ſuſcipiunt honores quam illi refugiant. Solus enim virtuoſè fugit honores, qui cum onera non reſpuat, ſolam laudem, & mundanam ambitionem, faſtumque ſęcularem reſpuit; non condemnans Dignitates, & poteſtates: omnia enim iſta ſunt à Deo; ſola voluntas prava, & abuſio poteſtatis, quæ in malis reperitur, eſt deteſtanda, & perconſequens fugienda. Rediens ergo Ioſeph prædicta hora, comedit cum fratribus, fecitque quod maior pars perveniret ad Beniamin; ut nimirum experiretur, an illi inviderent, ſicut ſibi ipſi inviderant. Comederunt igitur biberuntque, & inebriati ſunt, ut dicitur in littera. Accipitur tamen inebriatio, non pro carentia actus rationis, ſed pro ſufficienti potu inductivò letitiæ, eo modo loquendi, quo dicitur *Cant. 5. Comedite & bibite, & inebriamini chariſſimi:* talis autem Ebrietas non eſt vitioſa.

CAP.

CAP. XXXXIV. Reflexio 109.

DEſcripto deſcenſu Beniamin, hìc agitur de tribulatione propter illum orta. Volvit enim Ioſeph ſumere experimentum de fratribus, an ſuccurrerent Beniamin in periculo poſito; ideo fecit ponere Scyphum, & pecuniam in eius ſacco, & omnes abire verſus terram Chanaam, mittens deinde diſpenſatorem domus ut illos apprehenderet, & ad ſe reduceret, tanquam commiſiſſent furtũ. Scrutans igitur diſpenſator ſaccos, incipiens à maiore uſque ad minorem, nam maior malitia præſumitur in maioribus quam in minoribus, invenit ſcyphum in ſacco Beniamin. Tunc omnes, in ſignum magnæ triſtitiæ, ſciderunt veſtimẽta ſua; oneratiſque rurſum aſinis reverſi ſunt ad Ioſeph. Primus autem Iudas, deinde alij ante Ioſeph ſimul in terra corrverunt ad petendam ſuppliciter miſericordiam. Ad magnanimos namque viros pertinet ſupplicantibus ignoſcere. Tunc Ioſeph locutus eſt durè dicens: *Cur ſic agere voluiſtis? an ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* Adverte autem quod Ioſeph, cum eſſet Sanctus, nullo modo intendebat augurijs, cum hoc ſit ſuperſtitioſum; ſed protulit iſta verba, ut fingeret ſe agere ſecundum morem Egyptiorum ad tegendam ad tempus veritatem. Vel dic quod fuit mendacium officioſum, eratque ſolum peccatum veniale, à quo non eſt neceſſe excuſare antiquos Patres.

CAP. XXXXV. Reflexio 110.

POſita tribulatione filiorum Iacob, hìc agitur de eorum conſolatione in manifeſtatione Ioſeph. Pietas namque fraterna non permittebat eum amplius retinere ſigna interioris, & naturalis affectus. Igitur eleuata voce cum fletu dixit: *Ego ſum Ioſeph*

frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum: nolite pavere, pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos in Ægyptum. Solius namq; Bonitatis Divinæ, & Sapientiæ proprium eſt, ut ipſis malis bene utatur, convertendo ea ad rectitudinem alicuius boni effectus. Deus namque ita bonus eſt, quod non permitteret mala fieri, niſi inde eliceret maiora bona. Tunc divulgatum eſt in Aula Regis, quod veniſſent fratres Ioſeph; unde Pharao iuſſit quod veniret etiam eorum Pater; quapropter Ioſeph ſtatim miſit fratres ad nunciandum omnia patri ſuo: qui pervenientes ad paternam domum dixerunt Iacob: *Ioſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in tota terra Ægypti.* Quo audito Iacob, quaſi de gravi ſomno evigilans, non credebat eis. Mæſtiſſimus enim Pater, tantum prius doluit, quod nunc tantum gaudium ſuſtinere non potuit; quia ut ait *Ariſt. 2. de Anima. Excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, & ſi aliquando illum non corrumpit, tamen ſtupefacit.* Hic igitur præſentato tanto gaudio potentiæ, quæ iamdudum miſerijs, & anguſtijs aſſueta fuerat, bonum tam magnum, ſubito adveniens, ſuſtinere nequivit.

CAP. XXXXVI. Reflexio III.

DEſcripto deſcenſu filiorum Iſrael in Ægyptum, conſequenter ponitur deſcenſus Patris. Certificatus namque de voluntate Divina, ſe illùc tranſtulit cum tota familia. Prius tamen venit ad puteum iuramenti, nempe in Berſabeæ; quia Abraham avus ſuus invocaverat ibi Dominum, & ſimiliter Iſaac eius Pater; & ideo quia locus erat devotus, & Sacer, illùc prius pergere voluit ad deprecandum Deum pro ſuo itinere: nam ut ait *Boetius 3. de conſ. Proſa 9. Semper invocandus eſt rerum omnium Pater, quo prætermiſſo nullum rite fundatur exordium. Et Plato in Timæo* dixit: *In minimis quoque rebus*

Divi-

Divinum eſſe implorandum præſidium. Iacob igitur, mactatis ibidem victimis, audivit Deum dicentem ſibi: *Iacob noli timere: deſcende in Ægyptum. Ego inde adducam te revertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos*. Erat enim apud antiquos conſuetudo, quod filius magis prædilectus, patri morienti clauderet oculos. Licèt autem Iacob valde deſideraret videre filium ſuum Ioſeph, tamen formidabat deſcendere in Ægyptum: tum quia erat ſenex, & debilis; tum quia timebat in aliena terra ſepeliri extra ſepulchra patruum ſuorum. Eſt autem valde naturale terminare vitam in propria Patria: hinc quidam cecinit:

Oſſa quieverunt manibus tumulata ſuorum:

Et ideo Deus aſſecuravit illum de utroque: nam ſemper direxit Iacob dum vixit in Ægypto, conſervans cum protectione ſpeciali;& mortuo,fecit reportari corpus ſuũ in terram Chanaam ad ſepeliendum in ſpelunca duplici, ubi Patres ſui ſepulti fuerant.

CAP. XXXXVII. Reflexio 112.

DEſcripto deſcenſu Iacob in Ægyptum, hìc deſcribitur eius incolatus. Igitur ingreſsus Regnum, ſtetit cum tota familia in terra Geſſen. Ioſeph vero nuntiavit hoc Pharaoni: deſiderabat enim quod illa terra aſſignaretur fratribus ſuis,& ideo prudentiſſimè hoc Regi nuntiavit, ac ſi ei inſinuaret: Ex quo Vxores, & familiæ omniaque bona illorum ſunt ibi, bonum etiam eſset ut ibìdem remanerent. Deinde introduxit fratres ad Regem,quos Rex interrogavit de illorum exercitio. Qui reſponderunt, ſe eſſe Paſtores ovium. Inſtruxerat enim illos Ioſeph, ut ſic reſponderent, ne Pharao faceret illos milites, vel poneret in Aula. Deinde dixerunt, ſe veniſſe ad peregrinandum in terra Ægypti, inſtructi etiam in hoc à Ioſeph, ne viderentur

futuri oneroſi Regi; ideoque proteſtati ſunt, ſe optare ſolummodo manſionem per modicum tempus in terra ſua, videlicet, uſquequò tranſiret ſterilitas. Poſt fratres introduxit Ioſeph Patrem ſuum, qui ingreſſus ad Regem benedixit ei; quæ benedictio fuit imprecatio bonorum temporalium, & conſervationis Regni ſui. Interrogatus autem à Rege de ſua ætate, reſpondit: quod dies peregrinationis ſuæ centum, & triginta annorum erant, parvi, & mali. Quod quidem intelligendum eſt, non in ſe; ſed propter malum pœnalitatis, quod ſuſtinuit in vita ſua: Primo, ex perſecutione fratris ſui Eſaù. Secundo, ex longa ſervitute apud Labam. Tertio, ex violatione filiæ ſuæ Dinæ. Quarto, ex tranſgreſſione Ruben primogeniti ſui, dum Paternum Thorum fædavit. Quinto, ex venditione Ioſeph, de qua fuit inconſolabiliter afflictus. Vocavit autem dies ſuos peregrinationem; quia Iuſti vivunt in mundo tamquam advenæ, & peregrini, ponentes pro termino itineris ſui Patriam Cœleſtem.

Reflexio 113.

INterea fames oppreſserat terram, unde Ioſeph vendidit frumenta iam in horreis congregata omnemque pecuniam in Erarium Regis intulit. O Vir ſemper laudandus! In tanta namque pecuniarum copia, manus ſemper rectas cuſtodivit, & cor mundum ab omni avaritia. Cum autem pecunia defeciſset Ægyptijs, venerunt ſupplices ad Ioſeph, petentes de novo alimenta: quibus imperavit, ut adducerent pecora ad illa commutanda cum frumento. Licet enim eſſent ſubditi in fame poſiti, non tamen tenebatur Rex dare illis bladas gratis, quandiu haberent bona, ex quibus alimenta emere poſſent. Conſumptis tandem bladis receptis, venerunt iterum ad Ioſeph, exhibentes terram quam poſſidebant, pro prætio alimentorum. Tunc Ioſeph dedit eis fruges; emitque omnem terram Ægypti, ſubijciens eam Pharaoni, præter terram Sacerdotum, qui non fuerunt com-

compulſi vendere poſſeſſiones ſuas: nam Pharao dabat illis ſufficientem victum, tanquam perſonis ad Sacra deputatis, ut ſic poſſent liberius intendere ſtudio Scientiarum ſpeculativarum, & maxime Aſtronomiæ; nec cogerentur diverti ad turpes negotiationes. Hoc exemplo debent Principes noſtri ſæculi magis pietate inflammari erga miniſtros veri Dei, eiſque præbere omnia illa quæ tum pro Sacerdotibus, tum pro Eccleſiæ decore neceſſaria ſunt; ne Rex gentilis, qui nullam de vero Deo cognitionem habebat, arguat eos ante Tribunal Chriſti, de inobſervantia Religionis, & defectu pietatis circa Divinum Cultum. Si enim Sacerdotes non habeant unde ſuſtententur, ſecundum quod requirit eorum dignitas, ceſſat virtus, vileſcit apud plebem eorum ſemper venerabile miniſterium; adeout nulla differentia ſit inter miniſtros Dei, & populares.

Reflexio 114.

MAnente Iacob in terra Geſſem, ſibi aſſignata liberalitate Regis, cognovit tandem, poſt ſpatium decem, & ſeptem annorum quibus ibidem manſit, quod appropinquaret dies mortis ſuæ, hoc Deo ſibi revelante: ideoque vocavit filium ſuum Ioſeph, dixitque ad eum: ***Pone manum tuam ſub Femore meo, ut non ſepelias me in Ægypto.*** Optabat enim Sanctus Vir ſepeliri in terra promiſſionis, ubi fuerant ſepulti Abraham, & Iſaac progenitores ſui: principaliter tamen optabat hoc propter Redemptionem humani generis, tunc ibi fiendam. Videbat enim in Spiritu Sancto, quod Chriſtus Dominus debebat converſari cum hominibus in illa terra, ibique mori, & reſurgere, & cum eo multa Corpora Sanctorum; ideoque iuſſit filio, ut ſepeliret corpus ſuum in terra Chanaam, ut cum Chriſto Domino ſuo reſurgeret. Mittere autem manum ſub femore Iacob, erat iurare per Chriſtum Dominum, tunc naſciturum de femine illius. Iurante autem Ioſeph, adoravit Iſrael Deum, con-

verſus ad Lectuli caput: reddendo, videlicet, gratias de tanto beneficio à Deo ſibi præſtito, ſicut illi promiſerat dum deſcendit in Ægyptum. Cauſa vero converſionis Iacob ad Lectuli caput, fuit quia caput Lectuli erat verſus terram promiſſionis, ideoque converſus ad illam partem, Deum adoravit: hinc Iudæi in progreſſu temporis hunc modum adorationis obſervarunt, quando erant in captivitate poſiti; nam orando Deum aſpiciebant verſus illam partem vbi erat terra promiſſionis, ut ſic magis orando, elevarentur in Deum.

CAP. XXXXVIII. Reflexio 115.

IN hoc capitulo deſcribitur benedictio filiorum Iacob particulariter, nempe quo ad duos filios Ioſeph: ſtatim enim ac nuntiatum fuit Ioſeph quod ægrotaret Pater ſuus perrexit ad illum, cum Manaſſe, & Ephraim filijs ſuis: in cuius adventu lætatus valde fuit Iacob, ſtatimque adoptavit prædictos pueros ſibi in filios, adeout facerent duas Tribus: ſubdens, quod ſi Ioſeph generaſſet alios filios, tunc iſti non deberent facere diverſas Tribus; ſed vocari ſub nomine fratrum ſuorum, nempe Manaſſis, vel Ephraim. Tunc Ioſeph pronus adoravit in terram: iſta enim erat quædam diſpoſitio ad Paternam benedictionem recipiendam; & poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, ideſt ad ſiniſtram Iſrael; Manaſſem vero, in ſiniſtra ſua; videlicet ad dexteram patris. Pro quo ſciendum, quod vultus puerorum, & ipſius Ioſeph erant contra uultum Iſrael; & ideo ille qui erat ad ſiniſtram Ioſeph, erat ad dexteram Iacob; ſic enim poſuerat illos Ioſeph, volens quod Manaſſes, qui erat primogenitus, eſſet ſub manu dextera Iacob, tanquam principalis in illa benedictione. Sed Pater fecit contrarium, ponens manum dexteram ſuper Ephraim, conſtituens per hoc illum ante Manaſſem, & prædicens, quod licet Ephraim eſſet minor natu, tamen futurus

rus erat maior primogenito Manaſſe, quod impletum eſt, dum Ioſue fuit electus Dux Populi, poſt Moyſem; & Ieroboam, qui fuit primus Rex Iſrael, poſtquam diviſum fuit Regnum Iſrael à Regno Iuda: tam enim Ioſue, quam Ieroboam fuerunt de Tribu Ephraim. Fuit etiam per hanc conſtitutionem Tribus Ephraim prælata Tribui Manaſſis in oblatione primitiarum, in ſituatione Tabernaculorum, in motione Caſtrorum, & in alijs Dignitatibus.

CAP. IL. Reflexio 116.

DAta benedictione in particulari, ſequitur benedictio filiorum Iacob generalis. Et licet aliquibus magis maledicat, ut patet de Simon, & Levi, tamen dicuntur omnes benedictiones; tùm quia denominatio ſumitur à potiori; tum quia ut infra dicitur, benedixit eis benedictionibus proprijs, licet taceantur quæ fuerint. Primo igitur alloquitur Iſrael ad Ruben dicens *Tu fortitudo mea, & principium doloris mei: effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti Cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius*. Dicitur: *Tu fortitudo mea*, quia illum genuit in ætate robuſtiori, in qua viget hominis fortitudo. Dicitur *principium doloris*; quia licet Iacob habuerit in vita ſua multas miſerias multoſque dolores, tamen omnes afflictiones pro nihilo reputabat, in comparatione illius doloris, quem habuit, dum talis filius, pro nihilo ducens reverentiam Paternam, auſus eſt contaminare Thorum proprij genitoris. Dicitur *prior in donis, maior in Imperio*, quia duplex portio hæreditatis illi debebatur, & Regnum, & Sacerdotium, quod ante Legem datam annexum erat Primogenituræ. Omnia namque perdidit Ruben, propter ſcelus prædictum; quandoquidem duplex portio hæreditatis tranſlata fuit ad Ioſeph, ut patet *cap. præced*; & Regia dignitas ad Iudam. Sacerdotium vero ad

Levi

Levi; & ideo dicitur *effuſus ſicut aqua*: iſta enim perfectius effunditur, quam alij humores: nam de oleo effuſo remanet in vaſe pinguedo, & humor; de vino ſapor, & ſic de reliquis: ſed effuſa aqua citò Vas diſſiccatur, nullum deinde remanens aquæ veſtigium.

Reflexio 117.

SEcundò benedicitur Simeon, & Levi his verbis: *Fratres Vaſa iniquitatis bellantia; quia in furore ſuo occiderũt virum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura. Dividam eos in Iacob, & diſperdam eos in Iſrael.* Vocat autem iſtos ſpecialiter *fratres*, quia fuerunt concordes in ſcelere perpetrato contra Sichimitas. Vocat *Vaſa*, quia homines continent in ſe aliquod, ſive bonũ, ſive malum: hinc *Apoſtolus ad Rom*: 9. vocat quoſdam homines Vaſa Iræ parata in interitum; alios autem Vaſa miſericordiæ ad gloriam. Dixit *eos dividendos, & diſpergendos*, quòd fuit impletum tempore diviſionis ſortium: nam Levi non accepit inter fratres ſuos partem; ſed omnes Levitæ diperſi fuerunt ſuper Iſrael, recipiendo ſolummodo aliquas Civitates in qualibet Tribu. Simeon vero, quia parva Tribus erat, recepta fuit in medio ſortis Iudæ,ut patet *Ioſue* 19. tamquam peregrinus, habitans præcariò in ſorte alterius. Maledicit ſanctus Pater furorem iſtorum filiorum, & indignationem eorum tanquam duram: nam nimis durè punierunt prævaricationem Principis Sichem: ad hoc enim ut fiat Iuſtitia commutativa in aſſignandis pœnis pro ſcelere, oportet habere rationem contrapaſſi, quod conſiſtit in quadam commutatione, & proportione, ut declarat *Ariſt.* 5. *Ethic.* Sed in punitione prædicta, non fuit obſervata iuſta proportio; quia pro defloratione unius Puellæ ſolitariè vagantis inter alienigenas, non totus populus, ſed libidinoſus, & inſanus Princeps ſolummodo delendus erat.

Re-

Reflexio 118.

TErtio benedicitur Iudas his verbis: *Iuda te laudabunt fratres tui: Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij Patris tui. Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leana, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Ligans ad vineam Pullum ſuum & ad vitem Aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Dicitur: *Te laudabunt fratres tui*, quia Tribus Iuda ab alijs laudata fuit. Pro quo ſciendum, quod laudabile ſecundum Philoſophum dicitur, id quod bene ſe habet, & eſt ad alterum: unde quilibet bonus habitus, ſecundum quem benè operativi ſumus, laudabilis eſt. Iudas autem excellebat omnes Tribus; tum in naturalibus, tum in moralibus potentijs: erat enim cœteris eloquentior, conſtantior, & animoſior; unde fuit prima ad intrandum Mare Rubrum miraculosè diviſum, timentibu alijs ſequi Moyſem. Dicitur *manus tua in cervicibus inimicorum*; propter David primum Regem talis Tribus, qui inimicos Iſrael pro magna parte interfecit, & alios redegit ſub tributo; & licet eſſet minimus inter fratres ſuos, tamen generosè perrexit ad pugnam contra Goliath: ideò vocatur *Catulus leonis.* Et quia in tantum prævaluit, ut circa finem Regni ſui, nullus auderet inſurgere contra ipſum, ideo dicitur: *Acquieſcens accubuiſti*. Prædicit deinde adventum Meſſiæ ſanctiſſimi, tunc futuri de Tribu Iuda; & dat manifeſtum ſignum, quo mediante cognoſci poterat illius adventus dicens: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, ideſt Regalis dignitas*, ad quam pertinet ſceptrum; *& Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio Gentium*. Additur autem, *& Dux de femore eius*: quia deficiente Regno interfecto Sedechia Rege,

córonandus, qui dicitur Silo. Sed iſta perverſa expoſitio oſtenditur falſiſſima per textum: quia congregatio decem Tribuum eligentium Ieroboam in Regem, non fuit in Silo, ſed in Sichem, ut habetur 3. *Reg.* 12. Item non fuit ablatum Regnum de domo Iuda tunc, ſed ſtetit in ea uſque ad captivitatem Babylonicam, per ſucceſſionem hæreditariam. Alij Rabbini addentes cœcitatem ſuper cœcitatem, dicunt: Hoc nomen Silo, vere ſignificare miſſionem, ſed hanc Prophætiam dicunt impletam fuiſse tempore Nabuchdonoſor, quando venit contra Ieruſalem, & occidit Sedechiam Regem, & ſic defecit Regnum Iuda; unde exponunt litteram ſic: *Donec veniat qui mittendus eſt*. Ideſt *donec veniat Nabuchdonoſor*, qui propter peccata Populi Iudaici miſsus fuit à Deo ad deſtruendam Civitatem Ieruſalem, & ad auferendum Regem, & Sceptrum de Tribu Iuda. Sed iſta terrena expoſitio, & ſimiles ſomniatæ à Rabbinis deſtruuntur per translationem Chaldaicam, quam Iudæi vocant *Thargum*; & eſt tantæ auctoritatis apud illos, ut nullus unquam Rabbinus auſus fuerit ei contradicere. Immo quando vetus expoſitio Hebraica eſt obſcura, recurrunt pro explanatione ad dictam translationem. In iſta autem ſic habetur: *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec veniat Meſſias*. Sed nec Nabuchdonoſor, nec aliquis prædictorum vocatus fuit in Scriptura Sacra Meſſias, ſed ſolum Chriſtus Dominus, promiſſus in Lege, & Prophætis. Agnoſce ergo ò Chriſtiane Lector in tenebris cœcutientium Iudæorum lumen, quod in Scripturis datum tibi eſt à Deo, per miſſionem in Mundum Vnigeniti Filij ſui. Poſt prædictionem Meſſiæ Sanctiſſimi, prædicit Iacob conditionem terræ, quam Tribus Iuda debebat accipere; quæ terra fuit valde fertilis in vino, & lacte, ideo dicit: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem aſinam ſnam*. Pec hoc deſignans, quod in uno ſtipite vitis, poſſet de uvis onerari una aſina, vel pullus; unde ſequitur: *Pulchriores oculi eius vino*: ſed in Hæbreo habetur. *Rubicundiores oculi eius vino*. quia potatio vini abundans ap-

paret

paret in oculis ſcintillantibus, maxime quando vinum optimum eſt. Abundatio vero lactis ſignificatur illis verbis: *Et dentes eius lacte candidiores*. Quia albedo apparet in dentibus, magis quam in reliquis partibus corporis.

Reflexio 119.

POſt Iudæ benedictionem, benedicuntur deinde filij Ancillarum, & primo Zabulum his verbis: *Zabulon in litore Maris habitabit*. Sors enim ſua fuit ſupra Mare mediterraneum, & in illa fuerunt aliqui Portus, in quibus Naves ſtabant. Iſsachar ſic benedicitur: *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos: vidit requiem quod eſſet bona, & & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens*. Pro intelligentia *Tex.* ſciendum, quod homines huius Tribus erant validiſſimi ad ſuſtinendum laborem; unde in Hebræo habetur: *Aſinus oſſeus*. Sors autem illius erat inter duos terminos nempe Iordanem, & Mediterraneum: & quia terra ſua optima erat, iudicavit melius eſſe quieſcere in illa, quam diſcurrere ad terras longinquas pro mercibus emendis; & ideo reddebant cenſum annuatim Regibus. Tertio benedicitur Dan his verbis: *Dan iudicabit Populum ſuum*. Et exponitur hoc de Sanſone, qui fuit de iſta Tribu, & iudicavit Populum Iſrael per annos viginti, eoſque vindicavit de Philiſthæis. Et dicitur *Coluber in via*, quia in diebus ſuis, Philiſthæi non audebant venire adverſus Iſrael per vias, & ſemitas, quas Samſon cuſtodiebat. Dicitur *Ceraſtes mordens Vngulas equi*: quia ſicut Ceraſtes facit cadere equitem tangendo ſolumodo Vngulam Equi, ſic Samſon, amplexatus Columnas, fecit cadere domum ſuper Philiſthæos. Licet autem Samſon tam fortis futurus eſſet, non per hoc reputandus erat Meſſias, ideo ſubditur: *Salutare tuum expectabo Domine*. Quarto benedicitur Gad his verbis: *Gad accinctus præliabitur ante eum; & ipſe accingetur retrorſum*. Hoc autem fuit impletum, quando hæc Tribus, accepta ſorte circa

Iordanem, tranſivit armata ante filios Iſrael, ut illos adiuvaret in acquirenda terra promiſſionis, quibus introductis in illam, redivit ad terram ſuam unde venerat. Quinto benedicitur Aſer ſic: *Pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*. Per hoc autem deſignatur fertilitas ſortis illius in omnibus neceſſarijs ad victum. Nam in Sacra Scriptura nomine panis omnis cibus denotatur. Inſuper in ſorte illius creſcebant aliqua pretioſa, quæ pro delicijs Regum inſerviebant. Sexto benedicitur Neptali his verbis: *Ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis*. Per hoc autem ſignabatur quod terræ naſcentia in ſorte ſua prius accedebant ad maturitatem, quam in alijs sortibus, ſicut Cervus velocior eſt alijs animalibus ad curſum. Ex hoc autem fiebant citius oblationes primitivorũ, & ideo Sacerdotes, & Levitæ pulchras laudes Deo reddebant.

Reflexio 120.

BEnedictis filijs Ancillarum benedicuntur conſequenter filij Rachelis uxoris Iacob magis prædilectæ. Et primo benedicitur Ioſeph ſic: *Filius accreſcens Ioſeph, & decorus aſpectu. Filiæ diſcurrerunt ſuper murum, ſed exaſperaverunt eum, inviderun tque illi habentes iacula: ſed in forti arcus eius*. Pro intelligentia *Tex*. ſciendum quod Tribus Ioſeph notabiliter crevit præ cœteris, ideo dicitur *filius accreſcens*. Erat vero Ioſeph pulcherrimus, adeout in Ægypto, quando exibat de domo, mulieres aſcendebant ad fœneſtram, ut illum aſpicerent. Licet autem tam gratioſus eſſet, tamen fratres dure illum tractaverunt, videlicet verbis pungitivis, quæ hic Iacula vocantur. In his autem anguſtijs totam ſpem ſuam & defenſionem, quæ deſignatur nomine arcus, poſuit in Deo. Et quia Ieroboam fuit de Tribu Ephraim filij Ioſeph, & fuit primus Rex Iſrael, pro ut diſtinguitur contra Regnum Iuda, ideo ſubiungitur: *Inde Paſtor egreſſus eſt Lapis Iſrael*. Regia namque dignitas deſignatur per

offi-

cium Paſtoris, quia habet Rex regere Populum ſibi ſubditum per bonas Leges: hinc *Ariſt.* 8. *Ethic.* ait quod Rex debet amare ſubditos, ſicut Paſtor Oves. Et probat hoc per dictum Homeri, qui Agamenonem Regem nuncupavit bonum Paſtorem populorum. Vltimo benedicitur Beniamin his verbis: *Beniamin Lupus rapax: mane comedet prædam, & Veſpere dividet ſpolia*: Hoc autem dupliciter exponitur. Primo quia Templum fuit in ſorte Beniamin, ibique erat Altare Holocauſti cum igne perpetuo, ſuper quo tum mane, tum veſpere ponebantur per Sacerdotes Hoſtiæ, quas ignis devorabat. Veſpere autem, partes hoſtiarum dividebantur Sacerdotibus, ideoque dicitur, Lupus rapax, & dividens ſpolia. Secundò exponitur de bellis; fuit enim dicta Tribus valde bellicoſa, adeo ut iniret bellum contra alias undecim Tribus, quas bis debellavit, ut patet *Iud. cap.* 20. Poſtquam vero Sanctus Iacob prædixit filijs futura, dicitur in Textu, quob benedixit ſingulis benedictionibus proprijs. Quare Doctores communiter dicunt, quod poſtquam inſtruxit filios circa ſtatum huius mortalis vitæ, erexit deinde animos illorum ad ſpem vitæ immortalis, imprecando filijs bona ſpiritualia, & Æterna, quæ ſola ſunt vera & propria bona, ad quæ debet dirigi intentio finalis omnium actuum humanorum. His igitur dictis in pace Iacob quievit.

CAP. L. Reflexio 121.

ACto de morte Iacob, hìc agitur de illius tumulatione. Prius tamen Ægyptus flevit illum ſeptuaginta diebus, & hoc amore Ioſeph, filij ſui, qui illis tot bona contulerat. Fratres vero Ioſeph, timentes ne recordaretur iniuriæ receptæ ab illis, miſerunt ad eum dicentes. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi, verbis illius diceremus. Obſecro ut oblíviſcaris ſceleris fratrum*

tuorum

Digitized by Google

tuorum, & peccati, atque malitiæ. Iſta autem tria nomina ponuntur in littera ad ſignandam unam rem, ſed ſub diverſis rationibus mali. Scelus enim ſignificat aliquam magnam iniquitatem, quam ratio ipſa abhorret, & huiuſmodi fuit venditio fratris innocentis. Peccatum vero eſt illud quod eſt contra Legem Divinam, vel humanam: prædicta autem venditio fuit contra utramque legem, ut per ſe patet. Malitia vero eſt peccatum ex deliberatione, ſcilicet ex habitu, pro ut diſtinguitur contra peccata, quæ repente fiunt ex paſſione. Hoc autem accidit in dicta venditione; nam fratres iſti ex multis præteritis diebus conceperant odium, & deliberaverant illum occidere. Quod autem Pater dixiſſet eis verba prædicta, ut illa referrent nomine ſuo Ioſeph, non fuit verum; quia ſi pater dubitaſſet de recordatione iniuriarũ filij ſui Ioſeph, proculdubio dixiſſet illi ne ulciſceretur dum adhuc erat in vita; ſed non curavit hanc inſtantiam illi facere, tamquam impropriam ſuæ naturali pietati: rogaverunt ergo fratres ex parte Patris, ut ex reverentia debita Genitori, facilius flecterent animum Ioſeph ad indulgentiam, & amorem: tanta enim mala geſſerant contra ipſum, ut prorſus iudicarentur indigni exaudiri; & ideo quod in ſe non poterant iuſte petere, patris interceſſione accedente, ſperaverunt obtinere. In hoc autem patebat manifeſtè ſignum veræ penitentiæ, cum cognoſcerent gravitatem præteritæ culpæ.

 EXO-

Digitized by Google

EXODVS

Iſte Liber vacatur Græcè Exodus, Latinè Exitus, Hebraicè Velleſemoth; ideſt Hæc ſunt nomina, quia ſic incipit. Hebræi namque Libros ſuos à principijs eorum nominare conſueverunt, ut taliter vocentur qualis prima dictio in capite Libri fuerit. Sciendum eſt autem, quod Lex ut ait Iſid. lib. 5. Ethim: nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate ponenda eſt: & per hoc patet, quod datio Legis præſupponit adunationem Plebis; & ideo poſtquam Moyſes deſcripſit in Geneſi electionem populi fidelis, ſeparando ipſum ab infidelibus, hic deſcribit dationem Divinæ Legis populo adunato ſub fide unius veri Dei. Et quia ex illo erat tunc naſciturus, ſecundum carnem, Chriſtus Dominus, debuit talis populus ſpeciali ſanctitate pollere; unde data eſt illi Lex Divina, ad Chriſtum dignè ſuſcipiendum.

CAP. I. Reflexio 122.

MOrtuo Ioſeph, eiuſque fratribus, Filij Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, dicunt enim Doctores, quod mulieres Hebrææ in quolibet partu, pariebant plures filios, ideoque dicuntur germinantes: ſicut per germinationem unius grani, multa ſimul naſcuntur. Surrexit interea Rex novus, quia tranſlatus fuerat Regnum ad aliam domum, ut ait Ioſephus: & iſte Rex fuit octavus ab illo Pharaone, qui toti Ægypto præfecit Ioſephum. Videns igitur iſte Princeps multiplicationem populi Iſrael, ait ad Populum ſuum: *Venite ſapienter opprimamus eum*. Ad hoc autem intēdebat affligere Hebræos laboribus, ne vacare poſſent generationi. Ex nimio namque labore redduntur homines ad illam indiſpoſiti, quia labor excitat ardorem, & ſic conſumit humorem ſeminis; adeout ſi contingat generatio, cum ſemen illud ad parvam quantitatem redactum ſit, fœtus naſcuntur valde corpore diminuti. Et quia premente labore ſpiritus ſeminis exhalant, neceſſe eſt quod fœtus viribus multùm deficiant, & ſint diſtemperatæ complexionis. Cauſa igitur afflictionis Populi Iſrael fuit Ægyptiorum invidia; non enim poterant videre Hebræos eſſe rubuſtiores ſe ipſis. Hoc autem eveniebat, quia Ægyptij erant valde luxurioſi, & in parva ætate vacabant libidini, quæ vires enervat, & tollit etiam fortitudinem in futura prole, reddens illam imperfectam, tum reſpectu corporis; tum reſpectu intellectus ut probat *Ariſt.* 7. *Polit.* Hebræi autem ſe continebant uſque ad tempora generationi proportionata, ideoque abundabant in prole, & in fortitudine filiorum. Fuerunt igitur Iudæi afflicti oneribus ab ipſis magiſtris ad hoc ſpecialiter deputatis: nec ſolum conſtringebantur ad duros labores in conſtruendis ædificijs, ſed ut refert Ioſephus, compellebantur ex-

 portare

portare fæces, & alias immunditias extra Civitatem. Sed quanto magis opprimebantur, tanto magis creſcebant: non enim valet Politicorum perverſitas, & iniquorum malitia, nec potentium tyramnis contra conſilium Diuinitatis. Hìc autem notanda eſt humanorum actuum miſera conditio, & infelicis fortunæ ſęvientis mutatio: nam cum prudenti conſilio, & indefeſſis laboribus Ioſeph Ægyptios à morte liberaverit, tamen poſt breviſſimum decurſum ſexaginta quatuor annorum, ut dicunt Doctores, nullum de tantis beneficijs manſit recordationis veſtigium; adeout eius progenies crudeli ſubijcieretur ſervituti.

Reflexio 123.

DVm Hebræi affliguntur laboribus continuis,non ceſſat per hoc eorum multiplicatio: quapropter impius Rex iuſſit obſtetricibus, ut maſculos interficerent, fingentes eſſe abortum: fœminas vero reſervarent. Iſtæ namque erant pulchriores fœminis Ægyptiacis; ideoque deſiderabant Ægyptij explere cum illis libidinem ſuam. Timuerunt autem Obſtetrices Deum; tum quia Dominus movit earum mentem ad horrorem tanti ſceleris; tum quia informatæ fuerunt per mulieres hebræas, oſtendentes illis offenſam Dei, & pœnam quam incurriſsent, ſi exequerentur contra innocentes infantes crudele præceptum Pharaonis, quapropter Obſtetrices non occidebant, ſed conſervabant mares. Vnde Deus ædificavit eis domos: fuerunt enim promotæ inter maiores familias Iſraelitarum, & inſuper dedit illis Dominus gratiam, per quam converſæ fuerunt, de ſuperſtitione Ægypriaca, ad fidem unius veri Dei. Videns autem Pharao, quod per Obſtetrices, maſculi hebræorum occultè non occidebantur, furore, & inſania agitatus, iuſſit hoc fieri manifeſte; nam per generale edictum præcepit omnibus Ægyptijs, inter quos manebant Hebræi, ut proijcerent in flumen omnes Iſraelitarum infantes. Non præcepit au-

tem

tem illos iugulari, quia proiectio in flumen, erat minus horrenda ad exequendum, & citò poterat exequi præceptum, quia fluvius Nilus, in multis locis per totam terram Ægypti dividitur.

CAP. II. Reflexio 124.

POſtquam deſcripta eſt miſerandæ gentis Iudaicæ dura afflictio, hìc ſubiungitur proviſio Ducis liberantis. Igitur poſt crudele præceptum Regis, Vir de domo Levi, qui fuit Ambram, accepit, ut dicitur *in tex. Vxorem ſtirpis ſuæ*. Hæc autem acceptio, non poteſt intelligi reſpectu Matrimonij, quia ante hoc edictum, Vxor Ambram pepererat ei Aaron, qui natus fuit tribus annis ante Moyſen, ut habetur infra *cap*.7. Similiter habuerat Mariam, quæ in nativitate Moyſis erat iuvencula; & ideo communiter dicunt Doctores, quod iſta acceptio intelligitur quo ad copulam: poſt præceptum namque Pharaonis, Ambram ſeparaverat ſe ab Vxore, magis eligens non generare, quam quod filij ſui ſubmergerentur in flumine. Intendebat deinde continuè orationibus, rogans Deum, ut Populum ſuum, tam vehementer afflictum, aſpicere vellet: quare Dominus admonuit illum in ſomnijs, quod ex Vxore ſua generaret filium, qui populum de dura ſervitute liberaret. Tunc Ambram cognovit Vxorem, quæ concepit, & peperit filium elegantem, & pulcherrimæ formæ. Dicunt enim DD. quod de facie pueri exibant radij lucidiſſimi, præferentes inſignia futuræ virtutis, & magnitudinis, quapropter Pater abſcondit infantem. Sed cum iam non poſset amplius illum celare, quia ſtatutum perverſi Regis iubebat, ut completis tribus menſibus fieret inquiſitio per domos hebręorum, ſumpſit Fiſcellam, nempe Ciſtam factam de iuncis, ut propter levitatem materiæ fluctuaret ſuper aquam, & expoſuit eam in Carecto, ideſt in loco ubi creſcunt carices, qui ſunt herbæ factæ ad modum gladij, ne impetus aquæ aliun-

de devolueret fiſcellam. Sed videtur quod hæc fuerit tentatio Divina. Dicendum quod non: quia homo in periculo conſtitutus, ſi non omittat ea quæ poteſt facere ſecundum humanam prudentiam, non tentat Deum. Ambram vero, & Vxor illius pro conſervatione Infantis fecerant omne id quod poterant via humana uſque ad tres menſes, à Rege præfinitos; ſervando autem ultra hunc terminum in domo Puerum, exponebant non ſolum illum morti, ſed etiam ſemetipſos, ideo non tentaverunt Deum, committendo reſiduum Divinæ Providentiæ, exponendo proprium filium prædicto modo.

Reflexio 125.

His geſtis, Filia Pharaonis deſcendebat ut lavaret ſe in flumine, in loco tamen remoto, ut conveniebat filiæ Regis; quæ cum vidiſset fiſcellam, miſit unam de Ancillis ut illam acciperet, ſibique deferret; tunc pergens accepit fiſcellam, detulitque illam Reginæ. Videns autm in ea Parvulum vagientem, omnique humano ſolatio deſtitutum, & morti acerbæ expoſitum, ſtatim miſericordia mota eſt: maximè quia puer ita dulcis erat, ut aſpicientes ad pietatem excitaret, adeo ut omnes afficerentur ad amorem illius. Vnde filia Regis, cognoſcens quod puer habebat neceſſitatem nutrimenti, fecit illi porrigi mammillas plurium mulierum Ægyptiarum; ſed infans omnes prorſus reſpuebat: quapropter Maria ſoror pueri, quæ ſtabat procul attendens exitum rerum, videns opportunitatem acceſſit ad Reginam, dixitque illi, quod infans erat Hebræus; quapropter ſi mulier huius gentis mammillam illi porrigeret, forſitan puer ſumpſiſſet nutrimentum, propter ſimpatiam ſanguinis: cui dicto, tanquam rationabili, Regina aſſenſit, iuſſitque illi, ut Nutricem hebræam quæreret. Tunc Maria perrexit ad paternam domum, vocans propriam Matrem, quæ veniens ad Reginam, accepit ab ipſa prædilectum filium alendum tamquam extraneum Puerum. Portavit igitur in domum ſuam

puerum,

puerum, adultumque, ideſt ad tertium, vel quartum annum perventum, tradidit Reginæ, quem illa adoptavit ſibi in filium, non enim habebat ullum filium naturalem.

Reflexio 126.

POſtquam creverat Moyſes, egreſſus eſt ad fratres ſuos, ut nimirum videret quomodo in laboribus vexarentur: viditque virum Ægyptium percutientem crudeliter Hebræum. Iſte autem erat unus de præpoſitis ſuper Iſraelitas, ut illos compelleret ad continuos labores; unde Moyſes videns hoc, ſtatim occidit Ægyptium. Nec in hoc Moyſes peccavit, quia licet non eſſet Iudex conſtitutus ab hominibus, tamen quia ex Divina electione miſſus fuerat ad liberationem Hebreorum, habebat auctoritatem vindicandi iniurias illis factas, & hoc ſciebat per Divinam revelationem; unde non faciebat contra conſcientiam. Et Ægyptius ille iniuſte opprimens Hebræum, efficiebatur de foro Moyſis, tamquam Iudicis ratione delicti: ad Iudicem autem ſpectat vindicare iniurias innocentum. Audiens autem hoc Pharao, quærebat Moyſen occidere, tum quia interfecerat Præpoſitum, quod redundabat in Regis iniuriam; tum quia ſecundum quod refert Ioſephus, circa tempus nativitatis Moyſis, quidam Sacerdos Ægyptiorum, intentus divinationibus, dixerat Regi, quod caute attenderet circa Pueros Hebræorum, nam unus ex illis naſci debebat, qui populum Iſrael educeret de Ægypto, ſuumq; Regnum humiliaret; quapropter ſtatim, ac Pharao audivit factum Moyſis, ita zelantis pro Hebræis, exiſtimavit quod Moyſes eſſet puer ille, de quo ſibi Sacerdos prædixerat; unde ſtatim iuſſit occiſionem illius. Quo audito Moyſes, fugit in Madiam, ibique accepit in Vxorem Sephoram filiam Sacerdotis Madiam, de qua habuit duos filios Gerſan ſcilicet, & Eliezer.

CAP. III. Reflexio 127.

INterea Moyſes paſcebat Oves Soceri ſui: cumque minaſſet Gregem ad interiora Deſerti, tum quia ibi erant meliora paſcua; tum ut remotus ab alijs Paſtoribus inſtaret orationi, & contemplationibus Divinis, quæ prærequirunt totalem elongationem à converſationibus ſęcularibus, venit ad Montem Dei Oreb, qui eſt Mons Sinai: & prædicitur hic in textu *Mons Dei*, ratione eventus tunc futuri, quia ibi Dominus daturus erat Legem. Manens ergo ibi Moyſes, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi; & videbat Moyſes quod Rubus arderet, & non combureretur. Sciendum eſt autem, quod in Hebræo habetur: *Apparuit ei Angelus Domini*. Et quia loquebatur in perſona Dei, idem aliquando Angelus, aliquando Dominus nuncupatur. Poteſt autem quaſi generaliter dici, Deum nemini unquam apparuiſſe in veteri Teſtamento, ſed Angelus loco Dei: quandoquidem, in ipſa datione Legis, quæ fuit maximum beneficium, cum per illam uniretur Iſrael ipſi Deo in populum peculiarem, non loquebatur ipſe Deus, ſed Angelus, ut patet 3. *ad Galat. & Act.* 7. Dicitur autem hic Angelum apparuiſſe in flamma ignis de medio rubi; quia aliquis ibi eſſe dicitur ubi loquitur. Vox autem Angeli non audiebatur procedens à latere Rubi, vel deſuper ipſum, ſed de medio; ideo ibi apparere, vel eſſe dicebatur. Angeli enim licet incorporei ſint, & leges corporis, & loci non ſequantur, nempe circumſcriptionem, & motus continuitatem ad acquiſitionem loci; tamen eo modo, quo Angelus in loco eſſe dicitur, in uno eſt, & non in pluribus, quia infinitus non eſt. Locatio autem propriè convenit corpori per commenſurationem, & applicationem ſuæ quantitatis ad ipſum locum, Subſtantiæ autem ſpirituales dicuntur locari per applicationem, non quantitatis quam non habent,

ſed

ſed virtutis, ſive potentiæ operativæ ad locum. Sicut autem in corporibus, quantum aliquod corpus occupat, tantum dicimus locum illius: ita quantum occupat virtus alicuius ſubſtantiæ ſpiritualis, tantum dicimus locum eius: unde ſi aliqua ſpiritualis creatura eſſet, cuius operatio ad nullam partem loci ſe extenderet; nullum locum diceretur habere: quapropter Angeli, ſecundum quod indiviſibiles ſunt, nec propriè, nec impropriè in loco ſunt; ſecundum autem quod in eis reperitur aliqua extenſio, non vera, ſed metaphorica, nempè virtutis, vel operationis, dicuntur impropriè eſſe in loco, quia ibidem operantur.

Reflexio 128.

VIdebat igitur Moyſes quod rubus arderet, & non combureretur, nam ardebat quia flammas emittebat, cum in circuitu illius eſſet ignis circumfuſus occupans totam viriditatem rubi, ſed non comburebatur, quia comburi eſt deficere, vel conſumi. Ignis vero non minuebat rubum, licet eſſet materia combuſtibilis, ſuſpendente Deo actionem naturæ, ſicut ſuſpendit actionem ignis in Fornace Babylonica. Per hanc autem viſionem ſignabatur, quod labor affligens Hebræos, qui per ignem denotabatur, nam ignis eſt maxime afflictivus, non conſumeret illos, licet in eis eſſet humana infirmitas, ſed liberarentur illæſi: ſicut ignis ille circumdabat quidem rubum, qui erat materia ſatis levis, & perconſequens citò combuſtibilis. Tunc Moyſes videns iſta mirabilia dixit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*: putabat enim quod accedendo poſſet cognoſcere cauſam; vel forte exiſtimabat, non eſſe verum ignem, ſed apparentem; unde Deus ſtatim dixit ad illum: *Moyſes Moyſes, ne appropinques hùc*; Quaſi diceret. Humana fragilitas non præſumat curioſè inquirere Arcana Divina. Et ex hoc deducitur quod nullus, licet Sapiens, & Sanctus, audeat ſcrutari Iudicia

Dei Omnipotentis; ſed ſicut Moyſes,abſcondat faciem ſuam, ideſt intellectum, Pallio humilitatis, ne ſcrutando deficiat, & pereat.

Reflexio 129.

POſt mirabilem hanc apparitionem manifeſtavit Deus ipſi Moyſi liberationem futuram Populi ſui, tam crudeliter oppreſſi ab Ægyptijs, & quod mitteret ipſum ad Pharaonem. Tunc Moyſes iterum ſe humiliavit dicens: *Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto?* Sed Dominus aſſecuravit illum de felici eventu, dicens: *Ego ero tecum; & hoc habebis ſignum quod miſerim te: cum eduxeris Populum meum de Ægypto immolabis ſuper Montem iſtum*: Ac ſi diceret: prædico tibi quod poſt eductionem populi, immolabis Deo ſuper Montem iſtum; & cum hoc tibi acciderit, erit tibi certum ſignum rememorativum, quod fui tecum in liberatione populi. Sciendum eſt autem quod hoc fuit etiam ſignum de futuro: nàm Dominus dixerat Moyſi duo: videlicet, eductionem populi de duriſſima ſervitute, & introductionem eiuſdem populi in terram promiſſionis: quapropter ſicut immolatio prædicta erat ſignum rememorativum reſpectu præteriti, ut dictum eſt, ita erat ſignum prognoſticum reſpectu futuræ introductionis in terram lacte, & melle manantem. Certificatus ergo Moyſes de ſua miſſione ad populum, humiliter ſe exhibuit ad ſerviendum Deo, dicens: *Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos; ſi dixerint mihi, quod eſt nomen eius, quid dicam eis?* Tunc Deus dixit ad illum: *Ego ſum qui ſum*; Per hæc autem verba ſignificatur neceſſitas eſſendi, quæ eſt conditio propria ipſius Dei. Omnia enim alia entia, eo quod ſunt de nihilo, habent principium ſui eſſe, & ſunt vertibilia in nihilum; quia ſubtracta manutenentia Divina, caderent in non eſſe: unde non eſſe,

con-

convenit illis, quantum eſt ex ſe. Solus Deus eſt, qui habet ex ſe neceſſitatem eſſendi. Et per hoc vocatur Deus ſummum Ens in entibus: hinc *Ariſt. 6.* & hìc, vocat æterna, per ſe entia.

CAP. IV. Reflexio 130.

DEſcripta Moyſis miſſione, ponitur hìc eius inſtructio per ſigna oſtenſiva Divinæ Virtutis. Quamvis enim Moyſes, certificatus fuiſſet per verbum Domini, quod Seniores populi crederent verbis eius, tamen ſciebat, quod in populo erant multi rebelles, & increduli, qui non acquieſcerent verbis, niſi viderent ſigna Divinæ Omnipotentiæ: quapropter Deus dedit illi poteſtatem faciendi mirabilia in tribus: videlicet, *in Virga, in Manu, & in Aqua*. Quia vero, ſicut eſt in naturalibus, omnia quæ ſunt ad finem, debent illi proportionari; ideo cum iſta ſigna darentur ad demonſtrandam liberationem Hebræorum de ægypto, debebant illi liberationi convenire. Pro quo ſciendum, quod ſtatus filiorum Iſrael in ægypto, poteſt tripliciter conſiderari. Primò quantum ad ingreſſum, qui fuit per dominium Ioſeph, & ad hoc principaliter refertur ſignum Virgæ, per quam deſignabatur Principatus ipſius; quandoquidem in ſignum dominij, portabat in ægypto ſceptrum, quod eſt idem cum Virga. Iſta tenebatur in manu Moyſis, ad denotandum, quod tempore Ioſeph, Hebræi honorificè ſuſtentati ſunt nemine affligente; ſed poſtea fuit proiecta in terram, ad denotandum, quod poſt mortem Ioſeph deductus fuit honor Iudæorum uſque ad pulverem, cogentibus ægyptijs illos in laboribus luti, & lateris, alijsque viliſſimis operibus. Poſtquam vero proiecta eſt Virga in terram, vertitur in Colubrum, vel Draconem: ad ſignandum, quod Rex Ægypti, qui vocatur Draco per Eze-

Ezechiel, latenter inſidiatus eſt Iudæis, ut illos inficeret, dicens: quod concepiſſent rebellionem contra Regnum ſuum. Sed Coluber à Moyſe apprehenditur per Caudam, & vertitur in Virgam, ad denotandum, quod in fine illorum malorum, convertendi erant filij Iſrael in Dominos, accipiendo videlicèt de novo poteſtatem regnativam in terrâ Chanaam. Secundo conſideratur ſtatus populi quantum ad egreſſum de ægypto ſub cura Moyſis: & ad hoc refertur ſignum Manus, quæ primo intra ſinum Moyſis facta eſt leproſa, ſed ibidem repoſita ſanata eſt. Per quod deſignabatur, quod filij Iſrael quando primo ſuppoſiti ſunt curæ Moyſis, quæ denotabatur per ſinum, fuerunt magis abominabiles Ægyptijs, & in conſpectu eorum fœtidi: unde dixerunt Moyſi: *Fœtere nos feciſti odorem noſtrum coram Pharaone, & ſervis eius*; Sed per ſanationem manus in ſequenti repoſitione, denotabatur conſolatio eis futura, per curam Moyſis populum dirigentis: ſicut patuit in Mari Rubro, & in alijs beneficijs, per orationem Moyſis à Deo collatis. Tertius ſtatus populi, conſideratur in ægypto medio tempore, ubi duros labores perpeſſus eſt: inter quos maxima afflictio fuit illud crudele edictum de pueris maſculis ſubmergendis in flumine. Et ad hoc refertur ſignum de Aqua fluminis verſa in ſanguinem, per quod deſignabatur, quod Deus requireret ab Ægyptijs ſanguinem innocentium puerorum ibidem extinctorum.

Reflexio 131.

ACcepto igitur Moyſes Divino mandato, receſſit de Deſerto, ut illud exequeretur; reverſuſque eſt ad ſocerum ſuum, cui dixit; *Vadam, & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam ſi adhuc vivunt*. Hanc enim cauſam ſolam expreſſit, aliam vero ſubticuit, videlicet Divinam iuſſionem, & apparitionem, ne videretur gloriari. Deinde tulit Vxorem ſuam, & filios, pergens in Ægytum: cumque eſſet in itinere occurrit ei Dominus, ideſt Angelus

Deum

Deum repreſentans, quaſi veniens ex adverſo, ad inferendum malum, eo quod ducebat ſecum Eliezer filium ſuum incircumciſum. Cum enim Moyſes futurus eſſet legislator Hebræorum, decebat ut ipſe perfectius obſervaret Legem. Tunc Sephora tulit acutiſſimam petram, quæ ſibi occurrit,& ſtatim circumcidit filium, dicens ad Moyſem: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*. Videlicet, maritus talis conditionis, ut propter te effundere debeam ſanguinem filij mei. Dicunt autem Doctores, quod tremor, vel morbus durus incępit torquere Moyſen, apparente ſibi Angelo; & cum ipſe præ anxietate non poſſet puerum circumcidere, innuit Vxori, ut ſtatim ipſa hoc exequeretur. Peracta igitur circumciſione, Sephora indignata dimiſit Moyſen, & reverſa eſt in Madiam cum filijs ſuis. Moyſes vero pervenit in Ægyptum, habuitque obviam Aaron: Deus enim revelaverat illi adventum fratris; qui ſtatim narravit ei mandata Dei, & Aaron narravit illa populo. Tunc videntes Iſraelitæ, quod Dominus reſpexiſſet afflictionem illorum, proni adoraverunt Deum in gratiarum actione pro tanto beneficio. Deo enim non poſſumus aliquod æquale ſuis beneficijs retribuere; ideoque ſolas gratiarum actiones in teſtimonium immenſæ ſuæ Bonitatis exhibemus. Sic in moralibus facit Civitas, quæ non potens dare Regi optimo aliquod æquale, tribuit illi honorem tanquam bonorum maximum inter omnia, quæ poſſunt Principi dari à devota, & obligata Republica.

CAP. V. Reflexio 132.

DEſcripta proviſione Ducis, qui debebat populum liberare, hic conſequenter ponitur flagellatio Regis, ipſum populum retinentis. Ingreſſi igitur Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, dixerunt ei: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: dimitte populum, ut ſacrificet mihi in deſerto*. Sed impius Rex reſpondit: *Neſcio Dominum, &*

Iſrael non dimittam. Sciendum eſt autem, quod licèt Deum eſſe ſit per ſe notum, naturaliter enim eſt inſerta menti humanæ eius notitia; ta men hoc eſt in quantum mens humana cogitat, Deum eſſe id quod iudicat maximum in Entibus; ſed ſub iſta determinatione quod ſit Deus populi Iſrael, per fidem, & ſpecialem cultum, pro ut ſonabant verba Moyſis, non eſt naturaliter notum. Et ſic reſpondit Pharao, *neſcio Dominum*, quia Ægyptij colebant animalia, tamquam Deos. Deinde præcepit impius Rex, quod nullo modo darentur amplius Iſraelitis Paleæ de ſumptibus Regis ad conficiendos lateres. Commiſcebantur enim iſtæ paleæ cum luto, ut lateres eſſent fortiores pro ædificijs. Tunc Præpoſiti Hebræorum valde conqueſti ſunt contra Moyſen, & Aaron dicentes: *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſervis eius, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos*. Patienter autem toleravit Moyſes hanc offenſam, nihilque illis dixit, ſciens eos in amaritudine poſitos. Et ex hoc diſcant Prælati obſervanda eſſe tempora proportionata correctioni: nam aliquando non prodeſt corrigere, immò nocet ſi fiat in tempore indebito; quandoquidem exacerbatur ille qui corrigitur, & plerumque vilipenditur ſuperioris auctoritas. Ratio autem prædictorum ea eſt: quia tunc correctio optima eſt, quando correctus iudicat, & dolet ſe malum egiſſe: iudicare vero pertinet ad intellectum practicum; dolere vero de malo commiſſo, proprium eſt voluntatis diſpoſitæ, atque imperturbatæ. Paſſio autem vehemens utrumque deſtruit. Porro Deus permittebat tanta mala populo ſuo, ut deſideraret exire de Ægypto, & ardenter appeteret pergere ad terram promiſſam. Hoc vero continue Deus facit, non uni Genti, ſed toti mundo; ex Divina namque Providentia fit, ut quilibet ſtatus, licet ſecundum ſe feliciſſimus, habeat diverſas tribulationes, ut nimirum optemus exire de ſæculo hoc, & ad Cœlum feſtinare: Vnde *Aug. ait*. *In omnibus rebus poſuit Deus aliquam amaritudinem, ut alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non ſit fallax*.

CAP.

CAP. VI. Reflexio 133.

DEſcripta Moyſis anguſtia propter afflictionem populi ſui, hìc agitur de eius conſolatione à Deo ſibi data, qua promiſit illi clariorem cognitionem de ſe ipſo, quàm conceſſa fuerit antiquis Patribus, dicens: *Ego Dominus, qui apparui Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Deo Omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis*. Sciendum eſt autem, quod hæc littera varie exponitur à Doctoribus. Aliqui dicunt, quod hoc nomen *Adonai* ſignificat generale dominium; licet autem Patribus præcedentibus oſtenderit Deus, ſe totius naturæ Dominum, non tamen ita perfecte ſicut Moyſi, per tranſmutationem Creaturarum; ut virgæ in ſerpentem, & ſerpentis in virgam, & Fluminis in ſanguinem: quibus mirabilibus clariſſime oſtendebatur dominium Dei ſuper Creaturas obedientes ei ad nutum, etiam contra naturæ curſum. Sed hoc videtur inſufficienter dictum, quia antiquis patribus oſtendit Deus ſimilia, ut patet in converſione Vxoris Loth in ſtatuam ſalis; & in deſcenſione ignis contra ſuam naturam, ſuper Sodomam, & Gomorrham, & in miſſione Diluvij. Præterea hoc nomen *Adonai*, non ponitur hìc in Hebræo, ſed ponitur nomen Domini *Tetragrammaton*: hoc autem nomen apud Hebræos reputabatur tantæ ſanctitatis, quod non debebat nominari, niſi à ſummo Sacerdote, & in benedictionibus fiendis in Templo; ideoque loco huius nominis pronunciabatur, *Adonai*. Sicut ſi apud nos hoc nomen Deus, propter ſui ſanctitatem, non eſſet licitum nominari, & loco illius, ubicumque ſcriptum inveniretur, pronunciaretur hoc nomen, *Dominus*. Et hoc modo noſtra tranſlatio, poſuit nomen *Adonai*, loco nominis Domini *Tetragrammaton*: nomen autem Domini *Tetragrammaton*, non ſignificat dominium; & ideo prædictus modus dicendi procedit ex ignorantia idiomatis Hebræi, nam iſti

Auctores accipiunt nomen quod pronunciatur, pro illo quod ſcribitur. Igitur pro meliori reſolutione ſciendum: quod aliqua dicuntur de Deo per reſpectum ad creaturas, ut Dominus, Creator, Conſervator, & ſimilia. Alia dicuntur de Deo per modum qualitatis circa Divinam eſſentiam, ut Sapiens, Bonus, & cœtera. Alia per modum quantitatis, ut Immenſus, Incircumſcriptus, & ſic de alijs, licet tranſeant in Divinam ſubſtantiam, quantum ad rem ſignificatam. At nomen Domini *Tetragrammaton*, ſignificat Divinam Eſſentiam puram prout in ſe exiſtit, circumſcripto omni alio, & ideo eſt nomen incommunicabile, appropriatum ſoli Deo, quia ſignificat veritatem Divinæ Eſſentiæ in ſe. Et ideo melius alij Doctores dicunt, quod Dominus apparuit Patribus præcedentibus, non ſub nomine Domini *Tetragrammaton*; ſed locutus fuit nomine importante reſpectum ad creaturas, ideoque dicitur hìc: *Apparui eis in Deo Omnipotente*; Ideſt, indicavi me illis ſub nomine importante reſpectum ad Creatuſas. Moyſi autem indicavit Deus nomen Domini *Tetragrammaton*, dum dixit illi: *Ego ſum qui ſum*. Per hoc enim ſignificatur neceſſitas eſſendi, & plenitudo ipſius eſſe; quia per verba prædicta importatur infinitus quidam ſubſtantiæ Pelagus, quòd eſt proprium Dei.

CAP. VII. Reflexio 134.

Poſtquam Moyſes, & Aaron monuerunt Pharaonem verbis, hìc deſcribitur monitio eiuſdem in mirabilibus ſignis. Dixit igitur Deus Moyſi: *Conſtitui te Deum Pharaonis*. Pro quo notandum, quod non dicitur *Deum* abſolutè, ſed *Deum Pharaonis*, quia Deitas non eſt communicabilis ab extra, licet ab intra ſit communicabilis, per generationem, & ſpirationem: nam Pater in Divinis communicavit Filio ab æterno, eſſe Deum, generando ipſum.

Digitized by Google

ipſum. Et Pater, & Filius tamquam unicum principium, communicaverunt ab æterno Spiritui Sancto eſſe Deum, per Proceſſionem, & Spirationem activam. Ad extra autem, Natura Divina, ſeù Deitas, non eſt communicabilis, licet ſit unibilis, vel aliquid ſibi unire potens ad Suppoſiti identitatem. Sicut Verbum Divinum aſſumpſit hominem Chriſtum, ad unitatem ſuppoſiti, vel Hypoſtaſis, quod idem eſt. Aliqua tamen ſimilitudo, & participatio ipſius Deitatis, bene communicatur Creaturæ: unde dicitur *Pſal.* 81. *Ego dixi Dij eſtis, & Filij excelſi omnes*: Et infra *cap.* 22. dicitur: *Applicabitis ad Deos*. Ideſt, *ad Iudices*: & hoc modo Moyſes dictus eſt *Deus Pharaonis*; ideſt potens ſuper eum in Plagis mirabilibus, ſuo iudicio infligendis. Ingreſſi ergo Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, tulit Aaron Virgam, proiecitque illam in terram, quæ ſtatim verſa eſt in Colubrum; non ſecundum apparentiam ſicut Virgæ Magorum, ſed ſecundum veritatem; quia talis converſio facta fuit ad declarationem Divinæ virtutis. Tunc vocavit Pharao Sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter; proieceruntque ſinguli Virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones, ſed devoravit Virga Aaron Virgas eorum. Dicunt autem aliqui Doctores, quod iſta devoratio fuit antequam Virga Aaron rediret ad naturam Virgæ, quia devorare competit ſerpenti, non Virgæ: vocatur tamen Virga, quia prius eius natura talis erat. Alij dicunt, quod Virga Aaron verſa fuit in colubrum, & deinde in priſtinam naturam Virgæ, ut colligitur ex verbis Textus; & tunc facta Virga, devoravit virgas Incantatorum. Licet autem devorare, proprie loquendo, non competat virgæ, cum non habeat vim nutritivam; tamen ſimilitudinarie, & large loquendo, convenit devoratio etiam rei inanimatæ, ſicut dicimus ignem devorare ligna,

Reflexio 135.

OCcaſione converſionis virgarum Ægyptiorum Magorum in Dracones, quæritur per Doctores, utrum virtute Dœmonum potuerit fieri iſta converſio. Et dicendum abſolutè quod non. Pro quo ſciendum, quod in compoſitis ex materia, & forma, materia non fit per ſe, nec forma, ſed totum compoſitum; & ideo totum tranſmutatur in totum. V.G. ex toto aere fit totus ignis, quando aer convertitur in ignem ex *Ariſt. pr. de Generat.* Effectus autem aſſimilatur Agenti, & in ipſo præexiſtit, ſaltem virtualiter; & ideo compoſitum ex materia, & forma non poteſt produci niſi ab agente compoſito ex materia, & forma; vel niſi habeat totum compoſitum in virtute ſua. Angelus autem eſt forma ſimplex, non habens materiam; nec habet totum compoſitum in virtute ſua, quia ſolus Deus hoc habet. Converſio autem virgæ in ſerpentem includit compoſitum ex materia, & forma; & ideo dœmones ex potentia ſua propria, non poterant convertere virgas in dracones. Quia tamen remanſerunt in eis naturalia integra, poſſunt per modum artis applicare activa naturalia paſſivis naturalibus; & ſic poteſt reſultare effectus naturalis; ex ſubtilitate namque ſua innata, cognoſcunt omnia naturalia, & ſciunt virtutem cuiuſlibet rei, ſcilicet quid agere poſſit; & quid, & a quo pati poſſit; & ubi hoc fieri debeat, & quo tempore; ideoque poterant materiam exiſtentem in proxima diſpoſitione ad formam ſerpentis, ſupponere proprio activo, & ſic ſequta fuiſſet eductio formæ ſerpentis de potentia materiæ. Secundo dici poteſt, quod dicta converſio fieri poterat ſecundum apparentiam: nam licet materia corporalis non ſubijciatur virtuti Angelicæ, quantum ad tranſmutationem prædictam; tamen ei ſubijcitur, quantum ad motum localem, ut ab omnibus conceditur: & ideo dœmones propria virtute dimiſſi, potuerunt virgas, à Magis proiectas in terram, per motum localem,

imper-

imperceptibiliter ſenſui humano tollere, & loco earum, ſerpentes aliunde aſportatos ſupponere. Videmus enim quod aliqui Mimi per ſubtilitatem manuum, & localem motum aliqua ſic tranſmutant, quod homines non percipiunt: unde multo fortius dœmones hoc poſſunt, quorum ſubtilitas, & celeritas in motu locali maior eſt quaſi incomparabiliter. Item dici poteſt, quod dicta converſio fieri poterat ſecundum apparentiam à dœmonibus, per quandam turbationem organorum ſcilicet, ut potentia viſiva turbaretur aliquibus ſpeciebus naturalibus, ſecundum quod conſueverunt facere omnes Apparitores, ſive Preſtigiatores: ut cum oleo quodam incenſo, videtur tota domus plena frondoſis vitibus; & ex quodam alio fumo, videntur omnes trabes domus eſſe Serpentes magni. Quarto dici poteſt, hoc proceſſiſſe ex quodam motu ſpecierum ſenſibilium. Etenim nos non immutamur organice ab ipſo obiecto per ſe, ſed ab obiecto per formam ſenſibilem, nempe per ſpeciem rei ſenſibilis: cum autem talis ſpecies maneat in ſenſu, nihil refert, an ipſum obiectum ſenſibile ſit in potentia organica, aut non, quia æqualiter ſentietur. Cum igitur contingat ſpecies reſervatas in theſauro ſpecierum, refluere ad principium organicum, neceſſe eſt, ut fiat ſenſatio, ſicut fieret obiecto præſente. Vnde ſicut aliquis habens coram ſe ſerpentem, videt illum, et ab eo organice immutatur, non per ſe, ſed per ſpeciem tranſmiſſam per medium; ita ſi ſpecies ſerpentis manens in theſauro ſpecierum, i deſt in potentia immaginativa, refluxerit ad potentiam viſivam, neceſſe eſt, quod ille qui hoc patitur, videatur aſpicere coram ſe ſerpentem. Iſtam autem refluxionem formarum fieri demonſtrat *Ariſt. 2. de Somn. & Vigil.* dicens: quod deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, deſcendunt etiam formæ in immaginatione contentæ; & tunc videntur multa nobis adeſſe, quæ non adſunt. Ideoque dicendum, quod poterant dœmones immutare vires corporeas intuentium, & cogere de parte immaginativa defluere ſpeciem virgæ ad oculum: VG. dum aſpicerent circumſtantes

draconem, per prædictam ſpeciem virgæ, putabant virgas eſſe converſas in dracones; & ceſſante illa ſpecie, & alia ſuccedente, nempe ſpecie draconis, putabant dracones eſſe converſos in virgas. Sed licet iſta ſint optime dicta, tamen non tollunt difficultatem, quæ oritur *ex tex.*, in quo expreſſe dicitur de Maleficis: *Fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quadam ſimiliter.* Ex quibus verbis, innuitur vera converſio. Et ideo dicendum, quod fuit vera converſio virgarum in dracones, ſed non virtute dœmonum, ſed virtute Divina; ut nimirum virga Aaron devoraret virgas Magorum. Sicut Samuel, non revixit per verba Phitoniſſæ, ſed virtute Divina, diſponente ſic Deo, ut Samuel nunciaret mortem Saulis; non vero quaſi Deus concurreret cum Magìa. Sic in iſto caſu: virtute Divina facta fuit converſio, ut devorante virga Aaron virgas Ægyptiorum, reſultaret gloria Dei; unde ipſi malefici coacti fuerunt dicere: *Digitus Dei eſt hic.*

Reflexio 136.

PRæmiſſa igitur Regis monitione, & ſigno oſtenſivo Divinæ virtutis deſcribitur deinde inflictio pœnæ. Nam tollens Aaron virgam extendit manum ſuam ſuper aquas Ægypti; ideſt contra omnes partes Regni, maledicendo aquis, & iubendo illis, ut converterentur in ſanguinem. Deinde tetigit coram Pharaone aquam fluminis Nili, quæ ſtatim verſa eſt in ſanguinem; computruitque fluvius, quia multitudo piſcium ibidem mortui ſunt; ex quibus deinde fetidæ exhalationes manabant: & quia humor ille ſanguineus, ſpiſſus, & craſſus erat, ideo multum ſuſceptivus putrefactionis fuit; adeout fœtor intollerabilis, & Tabes peſtifera ex eo oriretur, ex qua Ægyptij affligebantur, non vero Hebræi; quia terra Geſſen, in qua manebant erat prorſus immunis à tali contagione. Correſpondet autem hæc punitio peccato Ægyptiorum, qui tam crudeliter ſuffoca-

verant in flumine infantes Hebræorum; & ideo per eaſdem aquas afflicti fuerunt: ſed nec iſta pœna tanto ſuffecit ſceleri; nam hìc ſolum incæpta fuit, deinde in Mari rubro conſummata; ut ſicut Ægyptij extinxerant in aquis pueros innocentes, ita ipſi maris fluctibus miſerabiliter mergerentur. Quia vero dicitur in *Tex.* quod Malefici etiam hoc fecerunt: quæritur unde habuerunt aquam convertendam in ſanguinem, cum iam tota aqua Ægypti verſa fuerit in ſanguinem? Dicunt Hebræi, quod ſola aqua Nili, & quæ inde manabat ad rivos, & paludes, verſa fuerat in ſanguinem; ſed aquæ fontium non erant converſæ, & ſic ex illis fuit ſumpta aqua, & Maleficis exhibita.

CAP. VIII. Reflexio 137.

SEcuta prima plaga, hìc agitur de ſecunda de Ranis, quæ magnæ, & horribiles, & in màxima multitudine erant; nam præter illàs quæ reperiebantur in flumine, alias ſubito produxit Deus magis tumentes, & deformiores. Dicit autem Ioſephus, quod iſtæ Ranæ brevi tempore moriebantur, & ſubito putrefiebant; adeout ex illis fœtor intolerabilis exhalaret. Cum vero Ægyptij comedere vellent, ſaliebant ſuper cibos in menſa paratos, & ſuper vaſa, in quibus fiebant Pulmentorum decoctiones, fluidàque Tabe maculabant univerſa. Correſpondet hæc pœna culpæ interfectionis puerorum, ſub alia tamen ratione, quam ſupradicta. Ægyptij namque voluerunt occidere infantes in aqua, ne clamor eorum audiretur, & per hoc oriretur aliquis tumultus in Regno; ideoque iuſto Dei iudicio ex eadem aqua Ranæ loquaces exierunt, totam terram ſuo clamore infeſtantes. Fecerunt autem, & Malefici per incantationes ſuas ſimiliter. Dœmones enim de fluminibus Ægypti, vel aliunde ſtatim illas adduxerunt, vel Deo

ſic diſponente, ut ſupra diximus, productæ fuerunt Divina virtute. Tunc Pharao vocavit Moyſen, & Aaron dicens illis ut orarent Dominum pro ablatione Ranarum: pœnis enim actus, cognovit Deum ſibi iuſte intuliſſe ſupplicium. Orante igitur Moyſe receſſit ſtatim ab Ægypto Ranarum plaga, non iniquitas à perverſo Rege: videns enim quod data eſſet ſibi requies, induravit magis cor ſuum, & in beneficijs Divinis auxit malitiam.

Reflexio 138.

POſt ſecundam plagam infligitur obſtinatiſſimo Regi tertia; nec præmittitur comminatio ſicut in præcedenti, quia Pharao non debuit moneri, quaſi noviter peccans, ſed dure puniri, tanquam in malo perſeverans. Igitur Deo iubente percuſſit Aaron Virga pulverem terræ, & ſtatim facti ſunt Sciniſes in hominibus, & in iumentis per totam terram Ægypti. Erant autem hæc animalia, Muſcæ minutiſſimæ, & ſubtiles, quæ tam homines, quam iumenta acutiſſimis ſtimulis cruciabant. Correſpondet hæc plaga, facta ex elemento terræ, culpæ Ægyptiorum, qua dure afflixerant filios Iſrael in operibus terreis, videlicet, luti & lateris, ad ædificia conſtruenda. Conati ſunt autem Malefici hoc idem facere, ſed non potuerunt: dæmones enim nihil poſſunt, niſi quantum eis permittit Divina voluntas; in hoc autem fuerunt à Deo prohibiti, & ſic non potuerunt adducere Sciniſes ex diverſis mundi plagis, quod facere potuiſſent propter imperceptibilem eorum velocitatem; non quod poſſent virtute ſua Sciniſes prædictos generare, ut prædictum eſt: nec potuerunt talia animalia producere applicando activa naturalia paſſivis naturalibus; quia hoc illis non permiſit Deus, nec ad conatum Magorum voluit Deus, quod reſultarent dicta animalia, ſed ſola virtute ſua Divina, ut appareret in hoc impotentia Ægyptiacæ ſuperſtitionis.

Reflexio 139.

CVm in tot prodigijs dura cervix Pharaonis non flecteretur ad dimittendum populum Iſraeliticum, Divina Iuſtitia miſit ſuper eum quartam plagam, quæ fuit multitudo muſcarum diverſi generis. Erant autem fœtidiſſimæ, & venenoſæ; ideoque magnæ afflictionis Ægyptijs. In terra autem Geſſen non erant muſcæ affligentes Hebræos; quia tamen erant ibidem multi Ægyptij admixti Hebræis, in illa parte, in qua Iſraelitæ morabantur, & in domibus eorum nullæ muſcæ prorſus erant; ſed ſolum in domibus Ægyptiorum: & ſi aliquando contingebat Hebræum intrare domum alicuius Ægyptij, muſcæ ibidem exiſtentes non lędebant illum. Si vero è contrario Aegyptius domum Hebræi intraſſet, muſcæ eum ſequebantur ſemper adherentes carni illius. Correſpondet iſta plaga culpæ ægyptiorum, qua afflixerant Hebræos in varijs operibus viliſſimis; nempe in exportandis fœcibus extra Civitatem, alijſque immunditijs. Muſcæ namque, viles ſunt inter omnia animalia, inſtitutæ à natura ad purgandam terram fœcibus. Pharao igitur ſic afflictus, rogavit Moyſen ut oraret ad Deum pro ceſſatione pœnæ ſibi & toti Regno ſuo inflictæ; promittens, ficte tamen, dimittere populum Dei: unde Moyſes dixit, ſe eſſe oraturum ad Deum, ſed cum egreſſus fuiſſet à Pharaone: indignus enim erat Rex impius videre Moyſen orantem. Deinde aſſervit quod recederet plaga à Deo inflicta, tamquam certus de voluntate Dei, qui dederat ei poteſtatem faciendi quidquid vellet. Non ſolum autem Moyſes, noluit orare Deum præſente Pharaone, ſed prorſus voluit recedere à domo Regia. Et ratio ea fuit, quia in oratione Dominus erat illi appariturus, & locuturus, quod contingere non decebat in domo tam perverſi Regis; cum tam ipſe quam eius ſervi, indigni eſſent audire Angelum Dei cum Moyſe loquentem.

CAP. IX. Reflexio 140.

DEſcripta quarta plaga, & permanente Pharaone in ſua obſtinatione, hic devenitur ad quintam. Liberatio namque pœnæ præcedentis, non emollivit ullo modo duritiam Regis; ſed liberatus à pœna, redijt ad priſtinam iniquitatem. Quapropter Dominus Deus, miſit in toto ægypto peſtilentiam, qua perierunt animalia ægyptiorum; remanentibus prorſus illæſis animalibus filiorum Iſrael. Fuit autem hæc peſtis cauſata ex corruptione aeris cadente ſuper paſcua; ideoque animalia paſcentia in campis ſtatim perierunt, tamquam ſumentia cibum totaliter corruptum, & in ſummo gradu infectum. Mirabile autem fuit, quod in ijſdem campis animalia ægyptiorum, & animalia filiorum Iſrael ſimul paſcebant, eumdemque alimentum prorſus ſumebant; & tamen pro ægyptijs fuit mortalis cibus, pro Hebræis vero optimum alimentum. Correſpondet iſta quinta plaga culpæ ægyptiorum qua afflixerant Hebræos, non ſolum in proprijs corporibus, ſed etiam occidendo eorum animalia, imponentes illis onera gravia, & importabilia. Licet autem dicatur hic *in Tex.* quod mortua ſunt omnia animalia ægyptiorum; non eſt per hoc intelligendum, quod totaliter omnia conſumpta fuerint, quandoquidem alia plaga ſucceſſit, nempe Grandinis, in qua multo plura iumenta perierunt quam in hac; ſed vocantur *omnia*, ideſt multa, ſecundum morem Sacræ Scripturæ, quo iſte terminus, *omnis*, ponitur pro multis, ut patet in multis locis.

Reflexio 141.

MIſit interea Pharao ſervos ſuos, ut videret ſi animalia filiorum Iſrael eodem modo perijſſent ſicut Aegyptios

tiorum; cumque cognoviſſet nihil prorſus perijſſe de his, quæ poſſidebat Iſrael, auxit magis rabiem, furoremque ſuum, noluitque dimittere populum. Tunc Deus dixit ad Moyſen, & Aaron: *Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in Cœlum*, *coram Pharaone*; *ſitque pulvis ſuper totam terram Ægypti*: *erunt enim in hominibus, & iumentis ulcera, & veſcicæ turgentes in univerſa terra Ægypti*. Sciendum eſt autem quod caminus non ſolum ſignat fornacem, ſed ignem, vel fornacem ardentem: tollebatur autem cinis iſte quaſi ardens, ad denotandum eius effectum quod ſequi debebat; nam veſcicæ turgentes fiunt ex calore: etenim in illo, qui nimis applicatur igni, cauſantur primò quidam tumores pleni aquoſitate reſoluta per calorem; cinis autem iſte erat ſumptus de fornace; ideoque ſatis demonſtrabat quid inde futurum eſſet. Igitur, ſparſo cinere per manum Moyſis, ſtatim facta ſunt, tum in Ægyptijs, tum in eorum iumentis ulcera turgentium veſcicarum, quæ continebant pungentiſſimam calefactionem; deinde, Cute combuſta, & in ſe contracta, ruptis veſcicis, & putrida facta carne, apparuerunt in eis amariſſima vulnera. Correſpondet hæc ſexta plaga culpæ Ægyptiorum, qua afflixerant Hebræos in decoctione laterum in igne fornacis; ideoque facta fuit ex elemento ignis, cum per ignem tam crudeliter fuiſſent afflicti Hebræi ab Ægyptijs.

Reflexio 142.

ANtequam ad ulteriora procedamus, reſolvendæ ſunt duæ difficultates, quæ videntur oriri ex verbis *tex*. nam dicitur: *Induravitque Dominus cor Pharaonis*; Et multoties iſta verba repetuntur. Igitur ſciendum, quod cor accipitur hìc pro anima, quæ mollis, & indurata dicitur ſecundum metaphoram; nam ſicut corpus, non cedens volenti imprimere in eo aliquam formam, dicitur durum; & è contrario, ſi cedat vocatur molle; ita anima, ſi non aſſen-

tiat rectæ rationi, dicitur dura; ſi vero aſſentiat dicitur mollis: ideoque cor Pharaonis dicebatur indurari, quia viſis tot ſignis, quæ ſolus Deus facere poterat, non aſſentiebat; vel ſi ad modicum, præmentibus anguſtijs, aſſentiret, mox rediviva pertinacia, reſumptis viribus, ſuperbè diſſentiebat. Deus autem qui ſummè bonus eſt, non induravit cor Pharaonis apponendo malitiam, ſed ſuam gratiam iuſtiſſime ſubtrahendo. Gratia vero Divina eſt aliquod mollificativum animæ; quæ cum ineſt, reddit illam faciliter ad bonum convertibilem; ſi vero non inſit, redditur anima dura, & immobilis ad bonum. Hæc gratia dependet à duobus. Primo à Deo excitante ipſam in anima noſtra. Secundo à libero arbitrio ipſi gratiæ ſe conformanti: quando autem liberum arbitrium gratiæ ſe conformat, manet gratia; quando verò ſe illi non conformat, perditur, & ſic homo cadit in peccatum; quia licet gratia perficiat liberum arbitrium, tamen ad operandum non violentat: quapropter niſi Deus iterum hominem moveat per ſuam gratiam motricem, manebit peccator durus quaſi lapis; ita ut quantumcumque perſuaſoria verba ab extra dicantur; aut quæcumque affligentia mala urgeant, mori quidem poteſt, ſed converti non poteſt; licet enim maneat liberum arbitrium ad bonum, malumque vertibile, tamen non habet id, quo vertatur ad bonum. Hæc autem gratia, quam Deus largitur homini poſt lapſum, vocatur prima gratia, quæ non cadit ſub merito, quia præcedit motum liberi arbitrij; huic autem gratiæ, ſi liberum arbitrium conſentiat, eique cooperetur, promeretur homo ſecundam gratiam, quæ facit hominem Deo gratum; & ideo vocatur gratia ſanctificans. Igitur ſi aliquis ſit, quem Deus poſt lapſum non moveat, ille induratus efficitur, & in malo finiet; & quia iſta induratio reſultat ex privatione gratiæ, ideo dicitur Deus indurare aliquem; non quidem poſitive, apponendo malitiam, vel qualitatem indurativam; ſed privative, ſubtrahendo iuſtiſſimè gratiam, propter demerita peccatoris. Sicut Pharao, tanta mala fecerat, & toties illa

itera-

iteraverat, quod non merebatur gratiam ſibi apponi. Sed dices; quid magis eſt, quod Deus aliquem induret apponendo aliquam qualitatem indurativam; aut induret, non conferendo gratiam, cum iſta æqualia ſint? nam ſicut exiſtente malitia in homine, impoſſibile eſt ipſum eſſe bonum; ita non movente Dei gratia, impoſſibile eſt ipſum bene agere,& eſſe bonum. Dicendum,quod licet reſpectu noſtri idem ſit, tamen non eſt idem reſpectu Dei: quandoquidem apponere malitiam dicit imperfectionem;ſubtrahere verò gratiam nullam imperfectionem importat; immò dicit perfectionem Divinæ Iuſtitiæ, quæ in pœnam ſcelerum tam multoties replicatorum, ſubtrahit iuſtiſſimè Deus gratiam ſuam indigno. Secunda difficultas oritur, ex eo quod dicitur Pharaoni: *Idcirco poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*. Pro intelligentia autem adverte: quod non eſt putandum quod Deus faciat aliquem peccare, ut in illo demonſtret magnitudinem potentiæ ſuæ; quia Deus non indiget noſtris malis, ut oſtendat ſuam Omnipotentiam; quandoquidem pluribus alijs modis poſſunt nobis innoteſcere attributa Divina: etenim Dei ſapientia patet in univerſali rerum gubernatione, & in quotidiana admirabili rerum diſpoſitione. Bonitas, & eius liberalitas, in numeroſa beneficiorum exhibitione. Potentia, in Mundi creatione, mortuorumque reſurrectione. Clementia, in remiſſione delictorum. Iuſtitia, in præmiorum, & pœnarum condigna retributione. Et ſic patet, quod omnia attributa poſſunt notificari nobis, ſine præſuppoſitione malitiæ hominum, eos flagellando ad declarationem ſuæ fortitudinis. Et ſic concluditur, Deum non induxiſſe Pharaonem ad obſtinationem, ut ipſum deinde puniendo, iuſtitiam, & fortitudinem ſuam demonſtraret: quapropter, ly, *ut*, non tenetur cauſaliter, ſed conſecutivè; quia nimirum Deus eſt adeo potens, & bonus, quod vertit malum in bonum; ex qualibet enim culpa, elicit aliquod bonum. Et quia peccatum Pharaonis valde malum erat, oportebat ex hac culpa elicere aliquod

quod bonum: hoc autem fuit, ut in ipſo demonſtraretur fortitudo Dei, & Iuſtitia, & ſic narraretur nomen Domini in omni terra. Eſt ergo ſenſus huius literæ; quod malitia perverſi Regis erat materia, in qua Divina Iuſtitia relucebat. His eſplicatis redeamus ad plagas Ægyptiorum.

Reflexio 143.

POſt ſextam plagam, non reliquit Pharao, ſed auxit magis peccatum ſuum, perſeverans in obſtinata malitia; quapropter Deus miſit contra illum ſeptimam plagam: iuſſit enim Moyſi, ut extenderet manum ſuam in Cœlum, ſtatimque facta ſunt tonitrua terribilia, concutientia mentes malorum ad timorem vicinæ mortis. Deinde Dominus pluit grandinem ſuper terram Ægypti, ad conſumandum terræ naſcentia, quæ erant in agris. Correſpondet iſta plaga, per quam fuerunt terræ naſcentia contrita, & in modum palearum redacta, culpæ ægyptiorum, qua afflixerant Hebræos in congregatione Palearum; cum enim non darentur amplius Paleæ expenſis Regijs, cogebantur magna induſtria, & labore illas ſibi congregare. In hac ergo plaga ſuperba cervix perverſi Regis humiliata fuit; vocavit enim Moyſen, & Aaron dicens ad illos: *Peccavi etiam nunc: Dominus iuſtus; Ego, & populus meus impij: orate Dominum ut deſinant Tonitrua Dei, & Grando, ut dimittam vos, & nequaquam hic ultra maneatis.* Adverte autem quod Pharao non conterebatur meritoriè, ita quod contritio illa eſſet charitate formata; ſed ſolum pœnitebat ex timore ſervili, nempe ex formidine pœnæ: dolebat enim, non quia mala quæ fecerat eſſent offenſiva Divinæ Maeſtatis; ſed quia pavebat ſibi à Deo mitti duram punitionem; ideoque nihil merebatur in hac volitione; quia non inſurgebat ex radice Divini amoris, à qua redditur opus bonum, & meritorium; ſed ex timore ſervili proveniente ex amore ſui ipſius.

CAP. X. Reflexio 144.

DEſcripta ſeptima Plaga, ſubiungitur octava: ablatis enim Tonitribus, & Grandine, itaut nec pluvia appareret, non ceſſavit Pharaonis inveterata durities: non enim dimiſit populum Dei iuxta condictum; ſed propoſuit magis illum affligere, retinendo in duriſſima ſervitute; qua propter Dominus miſit ſuper totum illius Regnum Locuſtas. Sunt autem animalia quæ ſegetes ita demoliuntur, ut ſolas paleas relinquant in Agris. Fuit igitur devorata ab iſtis animalibus herba terræ, & quicquid in arboribus erat. Tunc ſervi Pharaonis, tot calamitatibus afflicti, dixerunt ad illum: *Vſquequò patiemur hoc ſcandalum? dimitte homines, ut ſacrificent Domino Deo ſuo, non ne vides quod perierit Aegyptus?* Timens ergo Pharao aliquam ſeditionem plebis, feſtinus vocavit Moyſen, & Aaron dicens eis: *Peccavi in Dominum Deum veſtrum, & in vos; ſed nunc dimittite peccatum mihi, & rogate Dominum ut auferat à me mortem iſtam.* Impius enim Rex ſimulabat pœnitentiam, ut iuſtam penam evaderet, non verò culpam, de qua nihil dolebat. Vocavit autem Pharao iſtam plagam, mortem, quia diſponebat ad illam: ex corroſione namque terræ naſcentium facta per prædicta animalia, non remanebant fructus terræ neceſſarij pro ſuſtentatione humanæ vitæ. Correſpondet iſta plaga culpæ Aegyptiorum, qui perduxerant filios Iſrael ad amaritudinem; & ideò receperunt pœnam inductivam immediatè ad mortem, qua nihil amarius reperitur. Egreſſus ergò Moyſes de conſpectu Pharaonis oravit ad Deum, & ſtatìm plaga ceſſavit, adeout nec una quidem Locuſta remaneret in cunctis finibus Aegypti.

Reflexio 145.

REmota Locuſtarum plaga, in multiplicatione beneficiorum Dei, magis crevit Pharaonis malitia: quapropter dixit Dominus ad Moyſen: *Extende manum tuam in Cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, ut palpari queant*. Dicunt autem DD., quod aer ita fuit conſtipatus vaporibus humidis, & denſis, quod tactu poterant percipi: nam tenebræ ipſæ, cum ſint privatio lucis, non ſunt tactu perceptibiles. In iſtis autem tenebris, fiebant Ægyptijs viſiones imaginariæ horribiles; adeout per tres dies in quibus duraverunt, nullus receſſit de loco ubi erat propter timorem. Exiſtimabant enim Ægyptij, totum naturæ ordinem fuiſſe relaxatum; & ideo timebant graviora diſcrimina affutura quocunque ſe verterent. Vbi vero habitabant filij Iſrael, nempe in terra Geſſen, erat lux; & quia in hac erant Ægyptij commixti hebræis, reſpectu Ægyptijs erat caligo obſcuriſſima; reſpectu vero hebræos, lucidiſſimus aer; ex quo patet, quod iſta plaga facta fuit mediantibus luminaribus Cœli, Deo ad nutum obedientibus, retrahendo videlicet ægyptijs radios ſuos; & eodem tempore communicando Hebræis lumen ſuum. Correſpondet iſta plaga cœcitati mentis ægyptiorum, qui poſt tot ſigna manifeſte indicantia omnipotentiam, & voluntatem Dei, manebant in obſtinata cecitate intellectus. Elapſis autem tribus diebus, in quibus ſemper manſerunt tenebræ in toto ægypto, vocavit Pharao, Moyſen, & Aaron; quibus dedit licentiam exeundi de ægypto, dummodo relinquerent Armenta in ſuo Regno. Sed Moyſes reſpondit, quod debebant ſecum ducere omnes Greges. Tunc impius Rex in rabien actus, dixit Moyſi: *Recede à me, & cave ne ultra videas faciem meam*. Sed valde mirandum eſt, quomodo Pharao non mandabat Moyſen occidi, cum videret omnes plagas ſibi infligi ipſo operante. Dicendum, quod Pharao ſecundum ſe motus

fuiſſet

fuiſſet ad hoc perpetrandum; ſed Deus non permittebat hoc perficere, incutiens illi timorem, & faciens eum credere, quod ſi tangeret Moyſen, ſtatim ipſe periret.

CAP. XI. Reflexio 146.

DEſcripta nona plaga, hic deſcribitur decima, licet ſolummodo ponatur comminatio, nam inflictio ponitur cap. ſequenti. Iuſſit autem Dominus, ut quilibet vir hebræus poſtularet ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua, vaſa aurea, & argentea. Satis autem habebant hebræi apparentem cauſam ad petendum talia; quandoquidem proteſtabantur pergere ad ſacrificandum Deo ſuo; in talibus autem requiritur magnus apparatus, ideoque neceſſaria erant vaſa pretioſa, quæ pertinent ad ornatum, & honorem ſolemnitatis. Et ne Iſraelitæ timerent improbabilem talem accomodationem, promiſit Dominus ſe daturum gratiam populo ſuo coram ægyptijs; hoc autem dupliciter erat. Primo quia Deus immittebat quandã promptitudinem ægyptijs, in modum cuiuſdam liberalitatis, non tamen erat liberalitas, quo ad habitum, ſed quædam impreſſio, quæ pertinebat ad genus cuiuſdam paſſionis, ſeù proclivitatis ad concedendum petita. Secundo poteſt intelligi, quod iſta gratia non fuerit in ægyptijs impreſſa, ſed in Hebræis; ſcilicet quod Dominus dederit illis quandam qualitatem ſupernaturalem, ſecundum quam ita placuerunt ægyptijs, ut darent eis ſtatim omnia quæ poſtulabant: ſicut aliquando experientia patet, quod aliquis non ſcit denegare aliquam rem alicui, quam tamen noluit concedere alteri, quia nimirum placuit ei unus, & non alius. Notandum eſt autem, quod Hebræi in hoc non commiſerunt furtum, quia totum fecerunt auctoritate Dei, qui eſt Dominus ſimpliciter omnium rerum; & ideo ſine iniuria poteſt

uni

uni auferre, & alteri dare. Accedit quod iſta fuit iuſtiſſima compenſatio: nam ægyptij abſtulerant multa bona Iudæorum, per extorſiones, & irrationabiles impoſitiones. Inſuper angariaverunt illos multis laboribus, pro quibus nullam mercedem receperant; ideoque nullam ægyptijs irrogaverunt iniuriam.

CAP. XII. Reflexio 147.

HIc inter comminationem Mortis Primogenitorum, & eius executionem, interponitur præceptum de celebratione Agni Paſchalis; quia talis celebratio inſtituta fuit in memoriam percuſſionis primogenitornm ægyptiorum, & ſalvationis filiorum Iſrael. Notandum eſt autem, quod circa immolationem Agni Paſchalis duo ſunt attendenda. Primum eſt de præſenti, videlicet ſtatus populi Dei exeuntis de ægypto. Secundum autem, erat figuratio ipſius Agni, qui deſignabat paſſionem tunc futuram Chriſti Domini, qui in omnibus Sacrificijs figurabatur; nam ut ait Apoſtolus *pr. ad Corint.* 10. *Omnia in figura contingebant illis*. Et antiqui Doctores Hebræorum, aſſerunt, quod omnes Prophetæ prophetaverunt ad dies Meſſiæ; ideſt principaliter prophetaverunt de his, quæ fieri debebant à Meſſia Sanctiſſimo. Moyſes autem fuit maximus Propheta, ideoque totum quod ſcripſit, ordinabatur principaliter ad Chriſtum Dominum; & ideo in immolatione Agni Paſchalis, duplex eſt ſenſus. Vnus eſt reſpectu populi exeuntis de ægypto, de quo primo dicemus. Alius eſt reſpectu præfigurationis Chriſti Domini pro tunc paſſuri; & hunc ſenſum tangemus poſt prædictum: qui ſenſus licet ſit ultimus in proſecutione, tamen eſt primus in intentione, ſicut finis reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem.

Reflexio 148.

DIxit igitur Dominus ad Moyſen, & Aaron: *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*. Sciendum eſt autem, quod September erat primus menſis anni, ſecundum communem opinionem Hebræorum, quia in eo creatus fuit mundus; & uſque ad illud tempus vocabatur September primus menſis apud omnes Hebræos; ſed ex notabili beneficio quod Deus illis præſtitit in menſe Martij, vocatus fuit de cœtero Martius primus anni menſis. Hoc autem valde faciebat ad memoriam Divini beneficij: videndo namque menſe mutato, recordabantur quod propter eorum liberationem mutatio facta erat, & ſic elevabantur mente devota ad gratias reddendas Divinæ Clementiæ. Inſuper Hebræi mutaverunt ex hoc mirabili eventu Ægyptiacæ liberationis computationem annorum: nam prius computabant ab Orbe condito; ſed tunc incęperunt computare annos ab exitu de Ægypto. Sic Græci, à primo anno Regni Alexandri annos ſuos computant, cum prius computarent illos per Olympiades; quia nimirum Alexander Monarchiam, inter Græcos Reges, primus adeptus eſt. Similiter Romani, annos ſuos computabant ab Vrbe condita; quia conſtructio Romanæ Civitatis, aliquod magnum, & mirabile reputandum erat. Et tandem nos Chriſtiani, maiori & ſanctiori motivo, annos computamus à Nativitate Chriſti Domini, quia iſta fuit beneficiorum omnium maximum, cum extiterit noſtræ reparationis exordium, & totalis cauſa felicitatis æternæ.

Reflexio 149.

POſt conſtitutionem primi menſis dedit Dominus præceptum de immolatione Agni Paſchalis dicens: *Decima die menſis huius tollat unuſquiſque Agnum per fami-*

lias,& domos ſuas. Erit autem Agnus abſque macula, maſculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis, & Hædum; & ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitq; eum univerſa multitudo filiorum Iſrael. Sciendum eſt autem, quod non ſolum Agnus, ſed etiam Hædus poterat immolari; nam ubi tranſlatio noſtra habet: *Iuxta quem ritum tolletis,& Hædum.* In Hebræo habetur: *De Arietibus, vel de Capris accipietis illum.* Iubetur vero ſummi à decima die menſis, & ſervari uſque ad decimam quartam diem, duplici de cauſa. Vna erat, quia filij Iſrael occupati erant in præparando ſe ad receſſum de Ægypto, cum omnibus quæ habebant; in qua præparatione requirebatur magna ſolicitudo, & diſtractio; & ideo ne hoc daretur oblivioni, præceptum fuit,quod acciperetur Agnus, vel Hædus ante ſolemnitatem per quatuor dies. Secunda fuit, ut in illis quatuor diebus videretur, an in illo Agno, vel Hædo, eſſet aliqua macula, propter quam non deberet immolari; eàque reperta,haberent tempus providendi ſibi de alio Agno. Iſte autem debebat eſſe maſculus, quia ſexus maſculinus eſt perfectus, & anniculus, ideſt infra primum annum ab octavo die nativitatis, & non ante, uſque ad completionem anni, & non poſt; quia in hoc tempore iudicabatur magis perfectus: Deo autem debent immolari ſola perfecta, cum ab illo omnis humana perfectio emanet. Immolandus erat Agnus ad Veſperam, quæ incipiebat ab hora ſeptima quartæ decimæ diei; quia tunc ſol incipit tendere ad occaſum; & talis hora iam pertinebat ad diem ſequentem ſolemnem, in quo exierunt Iſraelitæ de Ægypto.

Reflexio 150.

DEterminata immolatione Victimæ iuſſit Deus, ut de ſanguine illius aſpergerentur Poſtes domorum, dicens: *Sument de ſanguine eius,& ponent ſuper utramque Poſtem, & inſuper liminaribus domorum.* Erant autem

Poſtes

Poſtes duo Ligna, intra quæ clauditur Oſtium ſecundum ſuam longitudinem. Superliminare vero, erat Lignum tranſverſale ſuper Poſtes Oſtij, quod vocatur Limen ſuperius; unde tota pars ſuperior Oſtiorum, erat rubricata ſanguine. Per hoc autem diſtinguebantur habitacula Hebræorum à domibus Ægyptiorum: ſicut enim erant diſtincti interius per fidem, ita voluit Deus, quod prædicta ſanguinis aſperſio, eſſet ſignum exterius diſtinguens populum ſuum; & proteſtatio fidei interioris; ideoque ſubditur in Tex. *Videbo ſanguinem*: ſcilicet viſione approbationis, inquantum erat ſignum fidei. Adde quod in ceremonia Agni Paſchalis, intendebat Dominus principaliter, ſignare mortem Chriſti Domini Mediatoris; ideoque mandavit, ut iſte ſanguis poneretur in Poſtibus domorum, ad hoc ut liberæ eſſent à percuſſione futura. Sicut ſanguis Filij Dei liberat fideles à morte æterna: & ſic Hebræi, ſaltem implicitè confiterentur, ſe per Meſſiæ ſanguinem eſſe liberandos. Et idem erat in alijs ceremonijs. Etenim ceremonialia proficiebant Hebræis, non quidem in ſeipſis; ſed quia per ea expreſse, vel tacite profitebantur Meſſiam tunc futurum, in quo illa Vmbratilia ceſſare debebant.

Reflexio 151.

POſt immolationem Victimæ Paſchalis, deſcribitur eius comextio. Et notandum eſt, quod Hebræi debebant comedere carnes nocte illa aſſas igni; quia prædicta immolatio, ſignificabat diſpoſitionem populi ad velociter recedendum de Ægypto; & ideo præcipiuntur carnes aſſari, quia hoc ſpeditius fieri poterat: ſicut pariter iubebatur eis, ut comederent panes azymos; quia iſti ſtatim fieri poterant, ex commixtione aquæ, & farinæ. Cum iſtis autem manducare debebant lactucas agreſtes, ad deſignandam amaritudinem, quam in ſervitute Ægyptiaca ſuſtinuerant; ut cognita miſeria præterita, aſſurgerent humiliter in Dei laudes, cuius

miſericordia fuerant liberati. Non poterant autem cum Agno comedere aliquod crudum: & hoc iubebatur in deteſtationem idolatriæ: nam aliqui Idolatræ in honorem deorum ſuorum, carnes aut crudas, aut ſemicrudas manducabant: nec poterant Hebræi comedere coctũ aqua, propter ſupradictam rationem; nam carnes expeditius aſſantur, quam aqua coquantur. Omnia namque iſta, portendebant quandam velocitatem exeuntium dę Ægypto. Dicitur deinde in Tex: *Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis.* Sed ſciendum, quod in hæbreo non eſt: *Vorabitis.* Et ideo iſta litera non refertur ad comeſtionem, ſed refertur ad aſſationem, de qua immediatè prædicitur. Eſt igitur ſenſus, quod caput Agni de corpore abſciſſum, & pedes non debebant per ſe aſſari; ſed caput iunctum corpori, & pedes ſimiliter. Inteſtina vero amovebantur, ut lavarentur; & lota reponebantur, aſſanda cum corpore Agni. Omnia autem iſta mandabat Deus conſumari; quia hæc erat Victima Domini; ideoque nihil de illa perire debebat, cum eſſet aliquod ſacrum. Demum iubebat Deus, ut omnes Iſraelitæ haberent renes accinctos, & calceamenta in pedibus, tenentes Baculos in manibus, ad denotandum, quod debebant eſſe parati ad exeundum de Ægypto; & quod poſt cœnam illam, nihil aliud agere debebant quam egredi.

Reflexio 152.

POſtquam, Deo concedente, vidimus de Figura, debemus breviter videre de ipſo Figurato. Agnus ergo à Iudæis immolabatur; quia Chriſtus Dominus ab eiſdem pati debebat. Tota multitudo filiorum Iſrael immolat Agnum; quia omnes coram Pilato petierunt Dei Filium interfici. Immolatur Agnus ad Veſperam, quia Chriſtus adveſperaſcente Mundo, & in ultimis diebus paſſus eſt: dies namque Meſſiæ vocantur noviſſimi per Prophetas. Sanguis Agni in utroque Poſte ponitur: quia ſanguis Chriſti Domi-

ni liberat animas ab æterna morte. Iſtud animal debebat eſſe Agnus; ut ſic ſignaret manſuetudinem Chriſti Redemptoris; poterat autem aliquando accipi Hædus qui fœtet; quia Caro Chriſti, licèt eſſet mundiſſima, tamen venit in Mundum in ſimilitudinem carnis peccati. Non confringebatur Os Agni; ad ſignandum, quod in Corpore Chriſti Domini, nullum Os erat in ſua amariſſima paſſione frangendum. Porrò ſicut Agnus iſte typus Chriſti fuit, ita comeſtio illius deſignabat ſumptionem Euchariſtiæ. Carnes igitur Agni comedebantur nocte, quia Corpus Domini in tenebroſa nocte huius Sæculi accipitur à fidelibus, tanquam ſolamen verum infirmarum noſtrarum mentium. De carnibus Agni nihil relinquebatur in mane; quia in mane, quod eſt principium Vitæ glorioſæ futuræ, non ſumemus ſacramentalitèr Chriſtum; ſed delectabimur in illo fruentes ipſo Deo. Carnes Agni erant aſſæ igni; quia Chriſtus Dominus paſſus eſt ex nimio amore ſuæ Charitatis erga nos. Si quid autem maneret de carnibus Agni in nocte, igne cremandum erat; ad ſignificandum, quod ſi de credibilibus pertinentibus ad Chriſtum, in tenebroſa nocte huius ſæculi à nobis aliquid concipi non poteſt, relinquendum eſt Igni Spiritus Sancti. De carnibus Agni nullus alienigena comedebat; quia nullus niſi Catholicus debet accipere Chriſtum ſacramentalitèr. Carnes Agni comedebantur cum Azymis, quia Chriſtus debet ſumi cum magna puritate, & ſinceritate cordis. Comedebatur Agnus etiam cum Lactucis agreſtibus; ad deſignandum, quod debemus ſumere Euchariſtiam cum amaritudine animæ, memores noſtrorum ſcelerum. Renes accingebantur, ut ſignificaretur futuris credentibus, quod non licet ſumere Euchariſtiam, niſi quis abſtineat à carnalibus delectationibus. In eſu Agni tenebant Iſraelitæ Baculum in manibus; ad denotandum quod in ſumptione Euchariſtiæ, debet mens noſtra ſola fide ſuſtentari. Habebant Hebræi calceamenta, & quia illa fiunt de pellibus animalium mortuorum, ſignabat quod ut dignè Chriſtum ſumamus, Sanctorum Patrum, in Domino

mortuorum exempla, mentibus noſtris affigere debemus, ut ſic in virtute proficiamus. Tandem Agnus in una domo comedebatur; ad denotandum quod extra unitatem Eccleſiæ non poteſt ſumi Chriſtus, quandoquidem extrà Eccleſiam non datur verus Sacerdos, qui poſſit Euchariſtiam conficere.

Reflexio 153.

INſtituta, & celebrata Agni Paſchalis feſtivitate, devenitur ad decimam plagam iam comminatam. Etenim in medio noctis illius, in qua comederant filij Iſrael Paſcha, percuſſit Dominus omne Primogenitum in tota Aegypto, tam in hominibus, quam in iumentis; & incæpit plaga à Primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedere debebat, perveniens uſque ad primogenitum Ancillarum: quapropter clamor magnus factus eſt in toto Regno; non enim erat domus, in qua non reperiretur mortuus. In tali nocte prohibiti fuerunt Hebræi exire hoſtium domus; quia apparebant viſiones horribiles, tranſeunte per vicos Angelo exterminatore; undè nimis territi fuiſſent videndo talia. Tunc Pharao ſurrexit de Strato ſuo; & timens totam Aegyptum perituram, ſi Iudæi manſiſſent in illa, ſtatim dedit licentiam illis, ut recederent, & immolarēt Deo, ſicut petierant. Inſuper Aegyptij urgebant populum Iſrael, ut velocitèr de terra ſua exiret. Igitur profecti ſunt filij Iſrael ſexcenta fere millia peditum Virorum, abſque Parvulis, & Mulieribus. Inſuper Vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum Iſraelitis; etenim multi Aegyptij viri, & mulieres, videntes ea, quæ fecerat Dominus pro Hebræis, iunxerunt ſe illis, converſi de Gentilitate ad Iudaiſmum. Habitatio verò filiorum Iſrael, qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum, ut dicitur in Tex. Iſte verò numerus, ſecundum Doctores Catholicos, incipiendus eſt à tempore, quo Abraham receſſit de Aram, ut veniret in terram Chanaam, in qua cum filio ſuo Iſaac manſit, ut peregrinus; & ſimilitèr Ia-

cob

cob uſque ad deſcenſum filiorum Iſrael in Aegyptum, ubi ſolum ſteterunt 210. annos, ut dicunt Hebræi ex ſuis Chronicis: quapropter exponenda eſt litera ſic. Habitatio filiorum Iſrael, qua manſerunt in Aegypto, unita cum illo tempore, quo manſerunt in terra Chanaam ut peregrini, fuit 430. annorum. Tota vero manſio denominatur ab Aegypto, quia fuit diuturnior, & ultima; res autem denominatur à fine. Secundum Hebræos autem numerus prædictorum annorum incipit ab illo tempore, quo Dominus apparuit Abrahæ, dicens ei Gen. 15. *Peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua annis* 400.

CAP. XIII. Reflexio 154.

SEcuta morte primogenitorum Ægyptiorum, ponitur hìc Præceptum de redemptione primogenitorum Iſraelitarum; ut nimirum per hoc ſemper gratias redderent Deo de tanto beneficio ſibi præſtito. Dixit igitur Dominus ad Moyſen: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filijs Iſrael, tam de hominibus, quam de Iumentis, mea ſunt enim omnia*. Sciendum eſt autem, quod licèt omnes res ſint ipſius Dei per creationem, & conſervationem; tamèn primogenita Hebræorum dicebantur eſſe Dei, non ſolum prædictis modis, ſed alio ſpeciali: nam ex hoc quod Dominus, percutiens primogenita Aegyptiorum ſalvavit primogenita Iſraelitarum, fuerunt tunc ſpeciali modo obligata Deo. Prætereà adverte, quod ſanctificatio propriè accepta, eſt applicatio alicuius ad Divina, & hoc modo Tribus Levi fuit ſanctificata Domino. Alio modo accipitur magis largè, nempè pro redemptione illius rei, quæ eſt Domino obligata, & ſic accipitur hìc; quia primogenita debebantur redimi per pretium datum Sacerdoti. Sanctificatio verò animalium primogenitorum, intelligebatur tantum de

mundis, quæ erant immolatitia, & per conſequens applicabilia ad Divinum cultum. Si verò accipiatur ſanctificatio largè, prout ſe extendit ad ſuſtentationem Miniſtrorum; tunc etiam primogenita animalium immundorum ſanctificabantur Domino in quantum redimebantur, ut habetur *num.* 18. & pretium erat Sacerdotum, excepto primogenito canis, qui non redimebatur, ſed interficiebatur. Primogenitum autem Aſini mutabatur Ove immolanda. Et dicunt Rabbini, quod Aſini fuerunt in magno adiutorio filijs Iſrael dum exirent de Aegypto, portando Mulieres, & Parvulos, & reliqua onera; ideoque quantum ad aliquid, primogenitum Aſini fuit poſitum cum animalibus mundis: non quod immolaretur Deo, ſed quod loco ipſius offerretur ovis immolanda pro illo,

Reflexio 155.

POſt ceremoniarum narrationem, redit Divina Scriptura ad hiſtoriæ continuationem, dicens: *Cum emiſiſſet Pharao populū, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſthym, quæ vicina eſt, reputans ne forte pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & reverteretur in Aegyptum.* Adverte autem, quod Divina Scriptura loquitur hic plano modo, ut nos intelligamus: nam ponitur Deus deliberans more humano aliquid conditionalitèr fiendum, quaſi Deus dubitaret quod populus pœniteret in futurum cæpti itineris, & vellet redire in Aegyptum; ſed non eſt talis conditio, aut dubitatio in Deo, qui omnia actualitèr ſcit, ſivè præſentia, ſivè futura. Licèt autem poſſet Deus ſolo nutu defendere Iſraelitas, & Philiſthæos delere, tamen quia nondum demeruerant ſic puniri, & expelli de terra ſua, noluit Dominus Hebræos pergere per dictam terram, ne pugnando illos occiderent; ſed circumduxit illos per viam Deſerti, quæ eſt iuxta Mare Rubrum, & armati aſcenderunt; habuerunt enim arma ab Aegyptijs, qui ſicut dederant vaſa aurea, & argentea, veſteſque pretioſas; ita etiam tradiderunt arma ad illa defen-

fendenda à prędonibus, ſi occurriſſent eis. Dominus autem præcedebat illos per Angelum, qui anteibat exercitum per diem in Columna Nubis, quæ non ſolum oſtendebat viam, ſed etiam protegebat populum ab ardore Solis, cuius calor multum intemperatus eſt in terra illa, cum maior pars Arabiæ ſit in Tertio Climate. Per noctem verò in Columna Ignis. Dicunt autem aliqui Doctores, quod eadem fuit Columna, quæ obumbrabat per diē, & illuminabat per noctem: & vocabatur duplici nomine, propter duplex officium. Alij dicunt quod fuit duplex: Vna per diem, quæ recedebat in Veſpere, peracto officio ſuo, & tunc ſubintrabat Columna Ignis, ut luceret per noctem: utraque autem poſitio poteſt eſſe vera, nam totum illud fiebat Divino miraculo.

CAP. XIV. Reflexio 156.

CVm ſupra deſcriptus fuerit modus procedendi Iſraelitarum, hìc ponitur remotio impedimenti. Igitur cum filij Iſrael pergerent verſus Mare Rubrum, reverſi ſunt aliquantulum, de Præcepto tamen Dei, verſus Aegyptum, poſueruntque caſtra in loco valde periculoſo; nam ut ait Ioſephus, locus ille ex una parte habebat Mare, & ex alio latere Montem aſperrimum, adeout non patebat illis fuga niſi ex illa parte per quam venire poterat Pharao. Qui audiens Iſraelitas poſuiſse Caſtra in loco ſic arctato, tulit ſtatim ſexcentos Currus, & cum Ducibus exercitus ſui inſecutus eſt Hebræos. Fuit autem apud Antiquos Currus bellicum inſtrumentum, eratque Quadrìga habens falces, ſive gladios acutos in Rotis, adeout quicquid obviam haberet ſcinderet, & ſecum traheret. Et ſi quæras, unde Pharao habuerit equos, cum ſupra dicantur omnia iumenta mortua? Dico quod illa mortalitas fuit ſolummodo ſuper animalia, quæ erant in campis, equi autem fortiores, &

pretio-

Digitized by Google

pretioſiores tum Regis, tum nobilium perſonarum, reſervabantur in domibus. Præterea, multi de populo miſerunt ſervos ad illa accipienda, quæ morabantur ad paſcendum in agris; crediderunt enim multi ex Aegyptijs plagæ futuræ à Moyſe comminatæ. Aſcendit igitur obſtinatiſſimus Rex Currum; cumque in conſpectu filiorum Iſrael cum toto ſuo exercitu ſtetiſſet, magnus pavor invaſit populum Dei, adeout Plebs murmuraret contra Moyſen. Tunc ſanctus Dux convertit ſe ad humiliter Deum orandum: cui Dominus dixit: *Quid clamas ad me? loquere filijs Iſrael ut proficiſcantur. Tu autem eleva Virgam tuam, & extende manum tuam ſuper Mare, & divide illud, ut gradiantur filij Iſrael in medio Maris per ſiccum.* Non eſt autem per illa verba: *Quid clamas ad me?* Intelligendum, quod Oratio Moyſis diſpliceret Deo; ſed ut oſtenderetur exaudita. Patet etiam, quod licèt Moyſes eſſet ſecurus de adiutorio Dei, tamen non ceſſabat ab oratione; quia Deus adhuc vult rogari à Sanctis de his, quæ facere diſpoſuit, ad illorum meritum. Præterea, notandum quod noluit Dominus Hebræos pugnare cum Aegyptijs, quia nati erant in ſervitute, & in illa nutriti; ideoque licèt fortitudinem corporis haberent magis quam Aegyptij, tamen eorum animus nimis pavidus erat. Naturaliter enim illi, qui tota vita ſua aſſueti ſunt iugum ferre ſervitutis, inepti ſunt ad bellum, & ad virilitates animoſas, maximè contra illos quos Dominos habuerunt. Et iſta fuit una de cauſis, quare Deus tenuit Hebræos in deſerto, uſquequò moreretur univerſa illa generatio, quæ de Aegypto egreſſa fuerat; introduxitque in terram Chanaam novam generationem natam in deſerto, inter aſperitates viarum, nulloque iugo ſervitutis oppreſſam; ut ſic corde impavido occurreret hoſtibus; nec bellorum labores abhorreret, utpotè aſſueta miſerijs.

Reflexio 157.

ACcepto igitur Moyſes mandato Dei, percutiens Virga Mare, ſtatim diviſum eſt, adeout aqua eſſet quaſi murus à dextris, & à ſiniſtris. Porrò iſta elevatiò Virgæ, & extenſio manus ſecundum ſe nihil proderat; ſed iſta fiebant ad ſignandum, quod Deus ad tale ſignũ dividebat Mare in utilitatem populi ſui. Igitur diviſo Mare ingreſſi ſunt filij Iſrael in fundũ illius, ſiccatum per ventũ immiſſum à Deo, ut mundius, & ſuavius incederent. Deinde Columna Nubis, quæ prohibebat Ægyptios accedere ad Hebræos (erat enim tenebroſa ex parte exercitus Pharaonis, adeout nullo modo poſſent Ægyptij videre Iſraelitas; ex parte verò Hebræorum erat luċidiſſima) noċtem totaliter illuminans, receſſit; & tunc Ægyptij videntes Hebræos per Maris alveum tranſiſſe, perſecuti ſunt illos per eamdem viam, credentes feliciter pergere etiam ipſi per Maris alveum; ſed extendens Moyſes manum ſuã ſuper Mare, reverſum eſt ſtatim ad priorem locum; fugientibuſq; Ægyptijs, occurrerunt aquę, & involuit eos Dominus in medijs fluċtibus: faċtũque eſt Dei ordinatione, ut cadavera eijcerentur ad litus oppoſitũ, tum ad conſolationem Hebræorum; tum ut iſti haberent ſpolia Ægyptiorum, quæ quidem fuerunt multo maiora quam illa, quæ per accomodationem ab ipſis acceperant; tum ut haberent arma ad ſe defendendum contra hoſtes inſurgentes.

CAP. XV. Reflexio 158.

INarrato Divino Beneficio hìc ſubiungitur gratiarum aċtio. Moyſes enim compoſuit Carmen, docuitque filios Iſrael, ut illud unanimiter canerent. Poſt gratiarum autem aċtionem relinquentes Mare Rubrum, ambulaverunt Iſraelitæ tribus diebus per ſolitudinem; & dicit Tex.

Quod

Quod non inveniebant aquam, ſcilicèt ad ſufficientiam, ad eorum ſitim totaliter explendam, & animalium: ſi enim nullam aquam prorſus inveniſſent, non potuiſſent tum homines, tum iumenta hoc ſuſtinere ſpatio trium dierum: ſed in Sacra Scriptura illud quod eſt modicum, nihil eſſe dicitur; nam quod modicum eſt, reputatur quaſi nihil, ex 2. *Phyſic.* Deinde venerunt in *Mara* ubi non poterant bibere aquas eoquod eſſent amaræ; nam erant ſalſuginoſæ, & ſulphureæ: unde populus murmuravit contra Moyſen. Iſti autem fuerunt homines vulgares, qui non reſpiciunt niſi præſentia ſenſibilia. Sapientes verò, qui conſiderabant Dei beneficia præterita, patienter, & humiliter ferebant aquæ inopiam ſperantes de Divino auxilio ſibi affuturo. Tunc Moyſes clamavit ad Deum, qui oſtendit ei Lignum. Et dicunt Doctores quod erat de natura ſua amarum, ad hoc ut ibi eſſet maius miraculum, dum per eius immiſſionem dulces redderentur aquæ. Deinde Dominus videns Iſraelitas otioſos, ne ex hoc declinarent ad peccata, conſtituit illis præcepta, atque iudicia, ut ſic illa meditando, occupati remanerent. Fuerunt autem iſta Præcepta, & iudicia, ſecundum DD. reſpicientia ad communem convictum; ut nimirum ſcirent qualitèr deberent iuſtè ad invicem converſari; nam alia, fuerunt data in Monte Sinai. De Mara venerunt Iſraelitæ in Elim, ubi erant duodecim fontes ſecundum numerum duodecim Tribuum, ut quælibet haberet fontem ſuum, ne ex hauſtu communi oriretur diſſenſio inter illos. Fuerunt etiam ibidem ſeptuaginta Palmæ; tum ut recrearentur Hebræi illarum fructibus; tum in ſignum quod habituri erant ſeptuaginta Iudices ſub Moyſe.

CAP.

CAP. XVI. Reflexio 159.

Poſita aquarum proviſione, hìc ſubſequitur præſtatio alimenti. Igitur profecti ſunt Iſraelitæ de Elim, & venerunt in Deſertum Sin, ubi ut dicitur in Tex. *Omnis congregatio murmuravit*: pauci enim fuerunt qui ſperarent in Divino auxilio, ideoque Divina Scriptura loquitur generaliter. Acceperunt autem Hebræi occaſionem murmurandi, quia decimaquinta die Menſis ſecundi ab exitu de Ægypto defecerunt Victualia, quæ ſecum portaverant: vixerant enim triginta tribus diebus de illis non comedendo ad ſaturitatem, ſed ſolummodo ad famen temperandam. Prædicta namque proviſio erat ut mortem arceret, non ut delicias miniſtraret; ſed iniqua plebs Temperantiæ neſcia murmuravit dicens: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper Ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos de Ægypto, ut occideretis omnem multitudinem ſame*? Tunc Moyſes de Mandato Domini dixit eis: *Dabit vobis Dominus Veſpere carnes edere, & mane Panes in ſaturitate, eoquod audierit murmurationes veſtras, quibus murmuraſtis contra eum*. Sed hìc quæritur, quare dedit eis carnes in veſpere, & Panes in mane ſequenti, cum convenientius videretur dari carnes in mane? Dicendum quod Hebræi conqueſti fuerant primo de defectu carnium, & ſecundo de defectu Panum; & ideo eodem ordine, quo petierunt datus fuit illis cibus. Addunt aliqui DD. hoc fuiſſe, quia convenientius, & ſalubrius eſt comedere magis in nocte quam in meridie, quia in nocte magis uniuntur Spiritus ad ſtomacum propter antipariſtaſim, & ſic efficitur perfecta digeſtio. Præterea, in nocte non eſt anima ita diſtracta à formis ſenſibilibus ſicut in meridie, ideoque totaliter eſt intenta concoctioni. Veſpere igitur aſcenderunt voluntate Divina coturnices in magna abundantia, uſque

uſque ad caſtra, & ibi deſcenderunt, itaut avara plebs poſſet illas capere libito ſuo, & ſine ulla moleſtia, vel labore habere id quod tam vehementer optaverat, ad explendam inordinatæ guloſitatis ſuæ appetentiam.

Reflexio 160.

POſt dationem carnium, miſit Divina liberalitas panem ad populum; etenim in ſequenti mane per circuitum Caſtrorum iacuit Ros, ideſt Manna, quæ erat ad modum Roris congelati; habebat enim ſimilitudinem Pruinæ, quæ eſt Ros congelatus. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilotuſum; videlicet ſicut granum frumenti, à quo Cortex eſt amotus ex percuſſione Pili, ſeu Baculi; tunc enim triticum eſt albi coloris, & huius coloris erat Manna. Vocatur autem Manna, *Minutum*, quantum ad figuram; non enim coniungebatur poſt caſum in unum cumulum; ſed erat totaliter diviſum in Granula, quæ erant ſatis dura. Non cadebat autem in Caſtra, inter Tentoria, ſed extra, in ſolitudine, quia loca Caſtrorum erant immunda propter fęces hominum, & iumentorum, & propter terram pedibus attritam. Dicunt vero Doctores, quod primò cadebat Pruina ſuper terram, & poſtea Manna deſuper; deinde Ros aliquantulum congelatus ſuper ipſum, itaquod Manna erat in medio mundiſſimè cuſtoditum, utpote repoſitum inter duo ſtramenta. Vocatur autem Manna, Panis, quia pro illo tempore erat fundamentum aliorum ciborum, ſicut eſt panis; vel quia ad ignem indurabatur, adeout formarentur inde panes. Naturalis vero guſtus Mannæ, erat quaſi ſapor panis facti de Simila cum mellis Commixtione. Appellavit autem populus Iſrael ipſum, *Man*, ideſt cibum paratum à Deo, quia mittebatur de Cœlo quotidie, ut populus continuè ſuſtentaretur, nec indigeret laborare in colenda terra pro pane recipiendo.

Re-

Reflexio 161.

CVm Divina providentia præſtitiſſet populo Iudaico tam ſingulare beneficium, placuit eidem preſcribere aliquos modos in manducatione Mannæ. Et primò iuſſit ut acciperetur de Manna unum Gomor per ſingula capita. Gomor autem erat decima pars Ephi; ſed quantitas iſtorum nobis prorſus incognita eſt. Sed dices, hanc aſſignationem fuiſſe inconvenientem: nam in tanta multitudine erant perſonæ diverſarum complexionum, quæ plus, & minus indigebant de cibo; non enim eſt idem medium omnibus ſicut dicitur 2. *Ethic*; & ideo illud quod eſt conveniens uni, alteri plus indigenti eſt deficiens; & minus indigenti eſt ſuperabundans. Dicendum, quod ſicut iſte cibus dabatur Divino miraculo, ita eodem modo fiebat, ut plurimum indigenti Gomor ſufficeret; & à minus indigente conſumi valeret abſque ulla ſuperfluitate, vel nimia repletione. Ex Divina namque providentia factum eſt hoc, ne ex cupiditate,& guloſitate illi qui fortiores erant,debiliores opprimerent; & ſic in populo oriretur ſeditio. Sed hoc præceptum Dei non fuit ab omnibus obſervatum: nam aliqui collegerunt plus, alij minus; ſed miniſterio Angelorum non relinquebatur illi, qui cupiditate, & avaritia plus acceperat,de Manna, niſi unum Gomor; & qui minus acceperat, reperit unum Gomor per ſingula capita familiæ ſuæ. Secundum præceptum fuit, ut Manna non relinqueretur in mane. Sed rebellis populus timens ſequenti die non invenire Manna, conſervavit ex illo quod collegerat; ſed computruit,& ſcatere cœpit vermibus. Ratio huius præcepti fuit, ut Hebræi totaliter ſperarent in providentia Divina, expectantes certiſſimè pro qualibet die largitatem Dei; & propter hoc cum incaleſceret ſol liquefiebat Manna; quæ quidem liquefactio non contingebat naturaliter, nam fuiſſet ſimiliter facta liquefactio poſito æquali calore ignis; ſed appoſito igne, dum coqueretur in olla

non

virgæ, ſolummodo ſe extendere ad mala infligenda, non ad concedenda bona; & ideo voluit Deus, quod Moyſes uteretur Virgæ miniſterio in aquarum eductione,ut coram omnibus appareret, quod non ſolum erat inſtrumentum Divinæ Iuſtitiæ in puniendo; ſed etiam Miſericordiæ in benefaciendo. Porro iſte Fons, qui tunc de petra effluxit,uſque hodie abundanter fluit; itaquod Vallis tota irrigatur copioſiſſime; antea vero non erat habitata, propter aquarum penuriam; nunc vero eſt valde populata,& vocatur vallis Moyſis, quia ibi ſilicem percuſſit.

Reflexio 163.

DVm Hebraicus populus quietè moratur inRaphidim, venerunt Amalecitæ, ut contra illum pugnarent: invidebat enim iſte Populus futuræ exaltationi Iſraelitarum, & ideo ſe illis oppoſuit, ne ad terram ſibi promiſſam perveniret. Audiens autem hoc Moyſes,iuſſit Ioſue ut ſtatim eligeret viros, & ſtatim pergeret contra inimicos: non enim voluit expectare hoſtilem exercitum, ne timida plebs paveret, & ne daretur maior audacia adverſarijs. Permiſit autem Dominus iſtud bellum conſurgere contra Populum ſuum, ut ex victoria ſequenti, eſſet audacior de cœtero contra inſurgentes hoſtes, & ut de ſpolijs Amalech muniretur armis, & ſpolijs, quæ inimici fugientes reliquerunt. Moyſes autem cum Aaron, & Hur aſcendit ſuper verticem Collis, cumque levaret manus vincebat Iſrael. Et per hoc oſtendebatur efficacia orationis; nam manus Moyſis elevabantur ad orationem, in qua talis modus contingit, ut docet Apoſtolus. Item hoc fiebat, ut per tale ſignum attribueretur victoria ſoli Deo. Si verò paululum remiſiſſet manus, ſuperabat Amalech Iſraelitas; quæ quidem remiſſio denotabat laſſitudinem in oratione, & diminutionem fervoris Spiritus.Dicitur autem *in tex.* Quod manus Moyſis erant graves. Et per hoc deſignabatur, quod in populo erant aliqui onerati

bene ſententiare in duobus; videlicet in Intellectu recte determinante per prudentiam; & in voluntate recte eligente per Iuſtitiam. Præterea requiritur quædam conſtantia, & vis animæ, ut Iudex non formidet recte iudicare, & executioni mandare ſententiam propter aliquam perſonam, ſed omnes cogat in Virga ferrea. Debent ulterius Iudices valde timere Deum; nam viri magnæ poteſtatis ſi Deum non timeant, cum ex potentia proveniente ex auctoritate, homines non paveant, devoluuntur ad omne genus iniuriarum. In hominibus autem vulgaribus, non eſt hoc tam neceſſarium: nam licet non multum timeant Deum, tamen quia maiores ſe pavent, retrahuntur per timorem humanum ab Innocentium oppreſſione. Tandem debent Iudices odere avaritiam, quia nihil eſt quod magis iudicium pervertat, quam munerum receptio.

Reflexio 165.

AVdito prudenti conſilio, fecit Moyſes omnia quæ illi ſuggeſſerat Iethro; & licet eſſet Dux tanti populi, tamen aſſumens formam diſcipuli, audivit humiliter ſocerum ſuum ſenem conſulentem. Ex hoc apparet, quod Prophetæ non ſunt abundantiores ſapientia, & conſilio alijs hominibus. Et ratio ea eſt: quia Prophetæ nõ cognoſcunt ſuper alios aliquid ex aliquo habitu cognoſcitivo; ſed ex quadam actuali illuminatione quam Spiritus Sanctus operatur in eis, elevando eorum intellectum ad aliquod cognoſcendum; cum autem ceſſat illa illuſtratio, nihil magis cognoſcunt quam cognoverint antè. Si vero imprimeretur Prophetis aliquis habitus cognoſcitivus; tunc ceſſante illa illuſtratione, maneret ille habitus per quem ſemper cognoſcerent, & vere eſſent cœteris ſapientiores, cuius tamen contrarium apparet hìc: nam licet Moyſes eſſet Propheta, & multa alia revelata accepiſſet, tamen ordinationem populi Deus illi non revelaverat; & ideo non habebat cognitionem de guberna-

tione illius. Iethro vero, quia naturaliter perſpicacior erat, & in agibilibus humanis maiorem experientiam habebat, vel quia Deus ad hoc illum elevaverat, potuit dare prædictum bonum conſilium.

CAP. XIX. Reflexio 166.

Deſcripta eductione populi de Ægypto, quæ fuit quædam diſpoſitio remota ad legem recipiendam, hìc ponitur datio ipſius Legis. Igitur cum veniſsent Iſraelitæ in ſolitudinem Sinai, placuit Deo dare illis Legem; & ideo vocavit Moyſen in Montem, deditque illi monita, ut referret illa ad populum: quibus auditis receſſit Moyſes de Monte ad Caſtra; & convocatis maioribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandaverat illi Dominus. Voluit enim Deus, quod populus obſervaret aliqua ante ſuſceptionem Legis. Et primo: quod per duos dies ſanctificarentur, hoc eſt purgarentur in mente a mundanis negocijs, quæ poſſent illos diſtrahere ab attentione requiſita circa receptionem Legis, quam in tertia die audire debebant. Secundo, quod Moyſes conſtitueret terminos, ne Populus irreverenter approximaret ad Montem, cuius radices tangere, prohibitum erat ſub pœna mortis; & licet dicatur in tex. *Cum clangere cœperit Buccina, tunc aſcendant in Montem*. Tamen per hoc intelligitur ſolum data facultas tranſeundi terminos conſtitutos, & accedere ad illam planitiem, in qua incipiebant radices Montis, quæ erat altior loco Caſtrorum; & ideo reſpectu illorum vocatur Mons. Talis autem acceſſio permittebatur in clangore Buccinæ; quia talis ſonus erat ſignum receſſus Deitatis de Monte, quo ad ſpecialem illam preexiſtentiam: nam Deus non poteſt recedere, nec aſcendere, vel deſcendere, cum ſua ſubſtantia ubique de neceſſitate ſit: ſed talia prædicata, quæ in Sacra

Scriptura paſſim reperiuntur, intelligenda ſunt de effectu repræſentante ipſum Deum. Tertio, prohibitus fuit Populus accedere ad uxores. Quamvis enim actus matrimonialis licitus ſit; tamen habet annexam quamdam turpitudinem, quæ non eſt de genere culpæ, ſed de genere penæ, quam opportet excuſare per bona matrimonij. Habet etiam annexam depreſſionem mentis, propter vehementiam carnalis delectationis: ad ſuſceptionem autem legis, requirebatur magna mundities, & elevatio mentis in Deum ad contemplandam Celſitudinem Divinæ Maieſtatis ſuæ.

Reflexio 167.

ADvenerat igitur tertius dies, & ecce cæperunt audiri Tonitrua, micare Fulgura, & clangor Buccinæ vehementius perſtrepebat. Erat enim ſonus terribilis: quæ omnia fiebant miniſterio Angelorum. Nubes vero denſiſſima, & caliginoſa operuit Montem uſque ad radices illius; & ex parte ſuperiori egrediebatur fumus, & ignis de medio nubis. Facta eſt autem talis apparitio, ne populus ad Idolatriam pronus, haberet occaſionem faciendi ſibi Imaginem: Nubes enim & Ignis non habent ſtabilem figuram. Erat vero nubes caliginoſa, ad deſignandum quod in præſenti ſæculo non habemus cognitionem de Divinis, niſi ænigmaticam: apparitiones enim fiunt communiter ſecundum diſpoſitionem illorum quibus fiunt: humanus autem intellectus reſpectu divinarum rerum caligat; nam ad illa ſe habet ſicut oculus Noctuæ ad Lucem Solis. Præterea, iſta terribilia fiebant ante prolationem legis, ut populus ſe diſponeret ad perſeverantem devotionem erga Deum, quæ ex timore conſurgit. Intendebat enim Deus, per Legem deducere Iſraelitas ab bonum: quidam autem homines tenent ſtatum imperfectum, & hos trahi oportet per timorem. Alij ſunt in ſtatu aliqualis perfectionis, qui adduci debent per amorem. In lege autem veteri, erant homines imperfecti, quia nullo

iugo legis antè domiti fuerant. In Nova vero Lege homines, quos Chriſtus Dominus traxit, erant aliqualis perfectionis: nam primi eorum fuerunt Iudæi, qui iam iugo legis conſtricti fuerant; ideoque ad obſervantiam Novæ Legis trahendi erant per amorem; & ideo data fuit Lex Evangelica cum magna tranquillitate; ſedente nimirum in Monte Salvatore Deo, & intuentibus dulciter illum Diſcipulis, ut patet *Matth.* 5. Hinc *Aug.* ait. *Brevis differentia Legis, & Evangelij Timor, & Amor.*

CAP. XX. Reflexio 168.

DIſpoſito Populo ad ſuſcipiendam Legem, hìc agitur de illius promulgatione: & primò ponuntur Præcepta ordinantia in Deum. Et quia homo debet Deo fidelitatem, ideo primò prohibetur infidelitas, dum dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me.* Quibus verbis prohibetur generaliter omnis idolatria, quæ alienat à vero Deo. Loquitur autem Divina Scriptura more humano, videlicet ſecundum opinionem vulgarium; nam ſecundum rei veritatem, unus ſolus eſt Deus, unde impoſſibile eſt, aliquem habere Deos; ſed quia illi qui ſculptilia colunt, putant illa eſſe Deos, & ſic illa denominant; ideo Scriptura vocat *Deos*, & quia non ſunt colendi, dicuntur alieni. Prohibuit autem Deus in hoc primo præcepto omne ſculptile quod fit per dolaturam, vel quocumque alio modo, & omnem ſimilitudinem quæ fit per picturam, ſive illorum quæ ſunt in Cœlo, ſivè in terra, ſive in aquis. Aliqui enim idolatræ impendebant cultum Soli, Lunæ, & Sideribus: aliqui colebant beſtias terræ, ut Ægyptij: Alij Piſces; unde Idolum Dagon, quod adorabant Phyliſthæi, habebat caput piſcis. Vetuit vero Dominus ſpecialiter cultum Luminarium Cœli, quia nihil erat inter res ſenſibiles, ad quod colendum

magis

magis inclinarentur homines, quam corpora Cœleſtia, propter eorum pulchritudinem. Eſt autem adoratio actus Latriæ, pertinens ad reverentiam in actû exteriori; ut cum nos inclinamur coram Deo, orantes, vel audito Divino eius Nomine, vel viſa Imagine Chriſti Domini, inclinamur coram ipſa, tanquam coram ipſo Deo eſſemus: itaut oculi in imaginem, cor vero noſtrum ultra imaginem elevetur, nam imago ad Prothotipum, ideſt ad ſuum ſignificatum reducenda eſt. Chriſtianis autem Imagines, & Statuæ permiſsæ ſunt, tum propter ſimplices; tum quia non eſt talis ſuſpicio quod ſiſtant in ipſis, ſicut erat in Iudæis, pronis ad idolatriam propter diuturnam converſationem cum Ægyptijs. Debent tamen Parochi accuratè docere Populum, quod Latrìa ſoli Deo debetur: Hyperdulìa vero, quæ eſt excellens Dulìa, debetur Beatiſſimæ Virgini Deiparæ, & Cruci Domini: omnes enim res, per quas immediatè venit in nos Salus Redemptionis, adorandæ ſunt adoratione Hyperduliæ; & ideo Beatiſſima Virgo, quæ Salvatorem genuit, exiſtens nobis immediata cauſa ad percipiendum tantum bonum, colitur adoratione Hyperduliæ: & ſimiliter Crux, quæ fuit immmediatum inſtrumentum, in quo Salvator Deus mori dignatus eſt pro humani generis redemptione. Sancti autem venerantur adoratione Duliæ; quia cum ſint in vita beata, habent quamdam connexionem ad Deum.

Reflexio 169.

SEquitur ſecundum præceptum Primæ Tabulæ, pertinens ad Latrìam, dum dicitur: *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit Nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Sciendum eſt autem, quod nomen Domini poteſt dupliciter accipi in vanum. Vno modo, frequentando illud in communibus locutionibus. Alio modo fruſtra, iurando pro aliqua re. Notandum eſt autem, quod vanum dicitur, nihil ens; vel nihil ha-

habens; & ratio eſt, quia vanum eſt quod non habet finem, vel non aſſequitur illum; quapropter omnes actiones noſtræ, quæ finem intentum non conſequuntur, vocantur vanæ: VG. ſi aliquis ambulat ut ſanetur; & ex ambulatione non ſequatur ſanitas, illa ambulatio dicitur vana, ideſt nihil: nam res totam perfectionem ſuam ſortitur ex fine: nihil autem, & malum, æquiparantur; & ideo ſequitur, quod qui accipit ſine cauſa, ſeu ſine Nomen Domini, ſicut accidit in prædictis duobus modis, peccat, ſicut ille qui accipit illud ad malum finem; ut ſi aſſumeretur ad confirmationem falſitatis. Quando vero adeſt cauſa; tunc aſſumptio Divini Nominis licitè fit; non enim accipitur tunc nomen Domini in vanum, quia debitum finem habet. In Ægypto mos eſt, ut ſi quis per vitam Regis iuraverit, & non impleverit, morte moriatur, à qua liberari nequit, etiam ſi omne aurum, & lapides pretioſos exhiberet. Pudet hoc exemplo frœnare temerarium uſum noſtri ſæculi, in quo tam faciliter nomen Domini in vanum aſſumitur; adeout non videatur optimus diſcurſus, niſi accedat Divini nominis uſurpatio.

Reflexio 170.

POſtquam Dominus removit impedimenta Divini cultus, nempe idolatriam per primum præceptum; & irreverentiam Divini nominis: per ſecundum dat deinde tertium, & ultimum Præceptum primæ Tabulæ, dicens: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Debet enim homo non ſolum fidelitatem Deo, ſed etiam famulatum in recognitionem ſui dominij. Hæc autem ſanctificatio, eſt applicatio diei prædicti totaliter cultui Divino; meditando de Divinis beneficijs, & gratias exhibendo Bonitati Summi Dei. Sciendum eſt autem, quod hoc præceptum partim eſt morale, partim ceremoniale. Eſt morale, in quantum dirigit mores, & inſurgit ex iudicio rationis naturalis, ex cuius dictamine homo tenetur vacare Divinis. Eſt ceremoniale, inquantum

habet

habet determinationem temporis, quæ nihil refert ad ſubſtantiam naturalis obligationis prædictæ: nam quod vacatio fiat in aliqua die ad laudandum Deum, & gratias reddendas, naturaliter inditum eſt: quod autem fiant iſta in die ſeptimo non eſt naturale, ſed ceremoniale: & quia ceremoniæ veteris Legis, ceſſant adveniente veritate Evangelij; ideo in Nova Lege non obſervatur dies Sabbati, ſed loco illius obſervatur dies Dominica. Cuius ratio eſt quia in Sacra Scriptura duo opera præcipuè tractantur; ſcilicet opus Creationis, & Redemptionis. Opus creationis eſt præcipuum in Lege Veteri; in Nova autem eſt opus redemptionis, ideoque dies Divini cultus debuit aſſignari ille, in quo facta fuit Redemptio, nobiſque innotuit: ſed redemptio die Veneris facta nobis innotuit in die Dominica, in qua Dei Filius reſurrexit à mortuis, tribuens nobis ſpem reſurgendi; ideo Eccleſia, ut tantum beneficium meditaretur a fidelibus, tranſtulit Sabbatum in Dominicam, in qua vacandum eſt ab operibus ſervilibus. Advertendum tamen eſt, quod in Nova Lege non eſt neceſſaria tam rigoroſa obſervatio ab operibus manualibus ſicut in Veteri Lege: nam poſſunt parari cibaria, & aliqua alia fieri in die Dominica, quæ non erant licita in Sabbato, quia illa vacatio erat Figuralis, ſicut totus ille ſtatus: à Figura autem quantumcunque modicum ſubtrahatur, tota ſignificatio mutatur: ſicut una littera ſubtracta ab hoc nomine, Lapis, facit mutationem totalem ſignificationis. At circa totum Lapidem poſſunt aliqua addi, & ſubtrahi abſque mutatione ſubſtantiæ.

Reflexio 171.

POſt Præcepta dirigentia hominem in Deum, ponuntur præcepta ordinantia in proximum. Et primum eſt de honore Parentum, tamquam caput ſecundæ Tabulæ; quia ſicut Deus eſt principium omnium rerum, ita Parentes habent rationem principij reſpectu filiorum. Honor autem

iſte

iſte non ſolum intelligitur de reverentia exteriori, ſed etiam de proviſione neceſſariorum vitæ ſi indigeant. Omnia autem quæ dicuntur de Patre, ſunt prorſus intelligenda de Matre, quæ pariter communicavit filio eſſe per generationem; nam Pater, & Mater ſunt unum totale generans, & licet Pater magis agat ad generationem filij, (nam virtus formativa corporis eſt in ſemine paterno, maternum vero magis ſe habet per modum paſſivi contemperati) tamen mater ſub alia ratione excedit patrem, tanquam determinata ad partus conſervationem. Nam per novem menſes fovet fœtum; ſuſtinet labores, & in edendo partu ad lucem propriam vitam exponit. Præterea filij maius beneficium recipiunt à matribus, reſpectu continuæ educationis; nam filij magis cum matre, quam cum patre converſantur in tenera eorum ætate, in qua fiunt fortes impreſſiones. Nam tunc potentiæ ſuſceptivæ multum diſpoſitæ ſunt, quia teneræ; ideoque quicquid infigitur, funditus infigitur, cum inveniant potentiam non occupatam. *Hinc Ariſt.* in fine *pr. Polit* ait: Quod ad reddendum filios bonos, non modicum refert habere curam mulierum. Porrò in nullo alio præcepto ſpecialiter ponitur præmium, & retributio niſi in iſto; obſervantibus enim prædicitur vitæ longitudo. Cum enim filius vitam accipiat à parentibus, condecens eſt ut prolongetur vita recepta, dum bene ſe habet ad illos qui ei vitam contulerunt. Veruntamen quia bona temporalia ordinantur ad ſpiritualia, & æterna, aliquando contingit ex Divina ordinatione, nobis prorſus occulta, quod aliqui filij honorantes parentes, parum vivant; aliqui vero contrarium facientes, multum: tamen totum ordinatur ad augumentum præmij bonorum, & pœnæ malorum. Maximè quia in prædicta promiſſione intelliguntur principaliter promiſſa bona æterna, cum actus honorandi parentes factus in charitate, ſit promeritorius vitæ æternæ. Sed quia Deus loquebatur populo rudi promittebat bona ſenſibilia quæ amabat, cum Cœleſtia, & æterna non intelligeret.

Re-

Reflexio 172.

SEquitur ſecundum præceptum ſecundæ Tabulæ, quo prohibetur homicidium. Adverte autem quod in ſecunda Tabula ponuntur præcepta ordinantia hominem ad proximum ſuum, quantum ad vitationem mali: poteſt autem aliquis ſe habere ad alterum dupliciter. Vno modo, bona impendendo; alio modo, nocumenta, & damna prorſus cavendo. Quantum ad primum, datum fuit præceptum de honorando parentes. Quantum ad ſecundũ, ponuntur præcepta negativa de non offendendo proximo, quæ quidem præcepta ſunt maioris obligationis, & per conſequens maioris tranſgreſſionis. Nam licet quis teneatur benefacere proximo ſuo, tamen magis tenetur non ei nocere. Exprimuntur ergo hìc ſex genera nocumentorum, & primum eſt de non occidendo: hoc enim eſt maius nocumentum quod proximo poſſit inferri, nam mors tollit eſſe ſimpliciter, quod eſt fundamentum aliorum bonorum; in alijs autem nocumentis non tollitur totum eſſe ſimpliciter, ſed ſolummodo aliquid, quod manet in ipſo eſſe, tamquam pars in toto, videlicet aliqua perfectio. Sub hoc autem præcepto de non occidendo, intelligitur generaliter prohibitum omne damnum in perſona proximi, ut mutilatio, verberatio, ſanguinis effuſio, & ſimilia.

Reflexio 173.

POſt prohibitionem nocumenti, quod infertur in perſonam propriam proximi, ſequitur illud per quod removetur offenſio in perſona ſibi coniuncta: hæc autem eſt propria Vxor, cum ſit una caro cum viro ſuo. Igitur hìc prohibetur adulterium, cum dicitur: *Non mœchaberis*. Eſt autẽ Mœchìa, copula carnalis cum Vxore alterius Viri; quod quidem peccatum, non ſolum eſt contra fidelitatem quam habere debemus erga proximum, ſed etiam contra prolem

ipſam

ipſam, inquantum falſus hæres ſubſtituitur, & verus defraudatur. Per hoc præceptum intelliguntur prohibita non ſolum omnia vitia nefanda, ſed etiam ipſam ſimplicem fornicationem, & omnes concubitus, qui fiunt ſine fœdere Matrimonij. Eſt enim ſimplex fornicatio naturaliter mala, quia actus efficitur bonus, aut malus ex fine ſuo; unde ſi aliquis actus ſit ordinatus in finem indebitum, neceſſe eſt ut ſit malus: ſed delectabile quod eſt in tactu, & guſtu non dicuntur eligibilia propter ſe, ſed neceſſaria, ut ait *Ariſt. 7. Ethic.* itaquod ſi non intenderetur aliquis finis, nunquam deberent eligi: delectabile enim quod eſt in cibo, & potu eſt propter conſervationem individui: adeout ſi poſſet animal vivere ſine cibo, & potu, non deberet iſta ſumere. Sic pariter delectabile tactus in actu venereo, eſt eligibile propter conſervationem ſpeciei per generationem; adeout ſi daretur quod ſpecies poſſet conſervari ſine coitu, tunc nullus deberet hunc eligere, quia talis actus eſſet malus cum eſſet propter ſolam delectationem. Delectabile enim ut prædictum eſt ſolum eſt eligibile propter alterum; & tunc eligeretur propter ſe.

Reflexio 174.

CVm per duo præcepta ſupradicta, prohibita fuerint nocumenta in perſonam proximi, prohibetur ſubſequenter nocumentum per ablationem rerum. Hoc autem accidit in furto; ideoque datur negativum præceptum, quo prohibetur ablatio rei alienæ dum dicitur: *Non furtum facies*. Pertinet autem hoc Præceptum ad directionem concupiſcibilis, ſecundum quam reſpicimus aliquod utile; nam illa quæ furto ſubtrahimus, utilia reputamus. Per hoc Præceptum, intelliguntur prohibita ſequentia, nempe indebitæ extorſiones quas exercent Domini, vel Superiores à ſuis ſubditis. Iniuſta Tributa; Fraudes; Vſuræ; Simoniæ; novæ impoſitiones Penſionum inconſuetarum, vel indiſcretarum. Item omnes contractus per quos aliquis iniuſtè acqui-

acquirit, vel retinet res alienas contra voluntatem Domini. Similiter ſi aliquis, non per ſe, ſed conſilio ſit cauſa alicuius furti, talis conſiliatio vel perſuaſio pertinet ad furtum, & per conſequens eſt vere tranſgreſsor huius præcepti.

Reflexio 175.

POſt furtum ſequitur quintum præceptum ſecundæ Tabulæ dum dicitur: *Non loquèris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Hoc Præceptum eſt directivum iraſcibilis; nam ſicut per iraſcibilem aliquis offendit alium facto, in propria perſona eum occidendo; ita per eamdem offendit verbo, lædendo famam illius. Hoc autem valde magnum malum eſt, quia in communicatione politica, nihil magis valet homini quam nomen bonum; nihilque magis nocet, quam malum. Prohibetur vero hìc falſum teſtimonium; tum in Iudicio, tum contra: veruntamen quod in Iudicio fit, cœteris paribus, peius eſt, quam illud quod profertur extrà, quia ſecundum illud fertur ſententia, & perconſequens manet aliquis de iure infamatus: per illud autem quod eſt extra Iudicium, non, licet infamia facti poſſit contingere. Poteſt autem alicui videri, ex eo quod hìc prohibetur falſum teſtimonium, quod non ſit Reus huius præcepti ille, qui contra Proximum ſuum dicit verum teſtimonium. Sed ſciendum, quòd licet verum, ſecundum ſe non ſit malum; tamen aliquæ veritates ſunt, quas dicere peccatum eſt: ut ſi aliquis cognoſcat de Proximo ſuo aliqua ſcelera, eaque proferat in publico. Licet enim verum dicat, tamen mortaliter peccat, quia Chriſtus Dominus mandavit fieri correctionem privatam; & ideo peccat, tum quia tranſgreditur Dei præceptum, tum quia ex mala intentione agit: nam dicere Proximi peccata in publico, non ex charitate, ſed ex odio procedit.

Reflexio 176.

TAndem ponuntur duo ultima Præcepta prohibentia inordinatam concupiſcentiam. Per unum prohibetur concupiſcentia Vxoris alterius; & per aliud concupiſcentia rei. Sicut autem priora mandata ordinabant concupiſcibilem, & iraſcibilem, quantum ad actum exteriorem;ita iſta duo ordinant eamdem vim,quantum ad actum interiorem, videlicet ad ſolum deſiderium. Ratio autem quare duo præcepta ponuntur ad repreſſionem concupiſcentiæ eſt, quia bonum dividitur per utile, & delectabile; itaquod eſt alia ratio utilis, & alia delectabilis. Nam contingit aliquem habere pronitatem ad unum,& non ad aliud; immò affectum ad unum, & abominationem ad aliud: ſicut apparet in eo, qui concupiſcit Vxorem alterius, ſed abominatur furtum rerum illius: quapropter, ad reprimendam iſtam duplicem concupiſcentiam debuit aſſignari duplex præceptum. Hìc quæri poteſt, cur prohibetur expreſsè deſiderium Vxoris alterius, & ſuarum rerum; non verò deſiderium occidendi, vel deſiderium colendi Idola, ſed ſolummodo operatio? Dicendum, quod deſiderare Vxorem Proximi, & ſuarum rerum dominium, pertinet ad concupiſcibilem, quæ eſt de delectabilibus, & perconſequens multum inclinat: deſiderium autem occidendi, pertinet ad iraſcibilem: & deſiderium colendi Idola pertinet ad rationalem, quæ non ſunt de bono delectabili, niſi ex aliqua ſuppoſitione, ideoque non tantum inclinant; & ideo non tam expreſsè prohibetur eorum deſiderium. Vxoris vero alterius,& rerum deſiderium, nimis inclinant; & ideo ut homines arcerentur à tam vehementi paſſione, ipſum deſiderium prohibetur.

CAP. XXI. Reflexio 177.

DEſcriptis Præceptis moralibus, agitur conſequenter de Iudicialibus. Notandum eſt autem, quod præcepta ſunt quædam regulæ directivæ actuum humanorũ in finem ſuum; & reſpectu Veteris Teſtamenti poſſunt diſtingui in quatuor genera. Quædam ſunt quæ adhærent ipſi Intellectui practico, de quibus nullo modo dubitari poteſt: VG. quod bonum eſt agendum, & malũ fugiendũ. Iſta tamen magis vocantur prima principia quã Pręcepta; nec datur de iſtis Lex dirigens, quia eſſet ſuperflua, cum quilibet ſit de talibus ſufficienter eruditus, & ad illa facienda determinatus. Secundum genus, ſunt illa, quæ inſurgunt immediatè ab ipſis primis principijs Intellectus; & talia ſũt decem præcepta Decalogi: nam ſunt quædam concluſiones immediate elicitæ ex dictamine rationis naturalis; quapropter iſta non obligabant ſolummòdo Iudœos, ſed etiam omnes Gentes, cum non haberent præcipuam obligationem ſuam ex datione Legis, ſed ex dictamine rationis naturalis; & ideo manent etiam in Nova Lege, quia Ius naturale eſt immutabile: & Chriſtus Dominus Auctor naturæ, non dextruit ipſam naturam, ſed perficit. Licèt autem Præcepta Decalogi, ut prædictum eſt, ſint de iure naturæ, tamen fuerunt data per Legem poſitivam; quia humanus intellectus ex conſuetudine peccandi offuſcatur, & tunc incipit ignorare, adeout in practicis non cognoſcat bonitatem, vel malitiam eligibilium; ideo propter hoc fuerunt explicita in Lege. Tertium genus erant Præcepta iudicialia, quæ derivantur ex ſecundo genere Præceptorum; & talia non ſunt nota cuilibet, ſed ſolum Sapienti, quia non immediate naſcuntur ex principijs Iuris naturalis, ſed mediantibus quibuſdam magnis illationibus, & partim dependent à Iure naturali, partim verò à voluntate Legislatoris. Quartum genus

nus erant Præcepta ceremonialia, quæ non dependent à radice Iuris naturalis, ſed à mera voluntate Legiſlatoris, & iſta duo genera Præceptorum prorſus evacuata ſunt per Legem Novam: aliter tamen, & aliter: quia ceremonialia ſic evacuata ſunt, quod ea obſervare poſt promulgationem Evangelij, eſſet mortiferum: cuius ratio eſt, quia ceremoniæ antiquæ Legis erant quædam Figuræ, & proteſtationes Chriſti Domini, tunc futuri, & Novi Teſtamenti, unde illas obſervare, eſſet dicere Chriſtum Dominum non veniſſe, nec veritatem figurarum impletam, quod impium, & ſacrilegum eſſet. Thurificatio vero, quæ erat de ceremonialibus veteris Teſtamenti, remanet in Novo, quia non figurabat directè aliquod futurum tempore Novi Teſtamenti, ſed devotionem Populi erga Deum; quæ devotio magis eſt in Nova Lege, quam in Veteri, cum ſtatus Populi colentis Deum ſit perfectior. Præcepta vero iudicialia ſic ſunt evacuata, ut non obligent in Nova Lege; tamen illa obſervare ſi inſtituerentur à Principe Chriſtiano, non eſſet mortiferum: cuius ratio eſt, quia iſta erant inſtituta, ad conſervandam pacem Populi per opera Iuſtitiæ commutativæ, non vero figurabant aliquod in Nova Lege; ideoque poſſent obſervari in quantum inſtituta de novo à Legiſlatore Principe: nam ſi ſervarentur tamquam obligatoria ex Lege Veteri, eſſet mortiferum, quia hoc eſſet aſſerere, quod adhuc maneret ſtatus Veteris Teſtamenti. Et ſi dicas quod quia Deus non poteſt errare in Lege quam dat, deberent per conſequens omnes Populi accipere iudiciales Leges datas Hebræis, non valet illatio: nam licet ſit impoſſibile, quod illa Lex quam Deus dat alicui Populo ſit mala illi Populo; tamen bene poſſibile eſt, & ſic eſt de facto, quod talis Lex eſſet pro alijs Populis mala: nam multa ponuntur in iſtis Præceptis iudicialibus, quæ obſervata, militarent contra ſtatum Politiæ noſtræ. Adde quod Deus dedit Iudæis præcepta iudicialia, quæ non erant ſimpliciter bona, quia Populus ille erat imperfectus; ideoque aliqua ei permiſit ad imperfectionem illorum toleran-

randam. Legiſlator namque non debet ſemper dare Leges ſimpliciter bonas, ſed tali populo bonas. Sicut medicus, non dat ægrotanti cibum ſimpliciter ſanum, quia cibi ſimpliciter ſani, conveniunt corpori totaliter ſano; ſed tribuit cibum, qui eſt illi ægroto ſanus.

Reflexio 178.

CIrca Præcepta iudicialia, primò ordinatur homo quantum ad partem iraſcibilem. Tendit autem iraſcibilis in bonum ſub ratione ardui, & in malum ſub ratione vindicativi; nam ira eſt appetitus vindictæ, & ideo prius regulatur. Iraſcibilis in dominatione; nam alijs dominare eſt quid arduum. Statuitur igitur hìc de ſervis, & dicitur, quod ſervus Hebræus per ſex annos ſervire debebat, in ſeptimo vero liber exire. Ratio huius determinationis erat, quia Dominus redemerat filios Iſrael de ſervitute Ægypti, ut eſſent ſervi ſui; & ideo noluit quod venderentur ſimplicitèr, ſed ad tempus modicum: quapropter, non erant propri ſervi, ſed quaſi mercenarij locati ad tempus. Si verò Dominus dediſſet ſervo ſuo Hebræo in Vxorem Ancillam Gentilem, & hæc peperiſſet filios, talis mulier non egrediebatur libera cum filijs in anno remiſſionis, ſed remanebat cum ipſis in ſervitute. Et ratio eſt, quia Partus ſequitur Ventrem: quapropter cum talis mulier eſſet ſimpliciter ſerva, remanebat ſemper in ſervitute cum filijs. Quod ſi prædictus maritus Hebræus noluiſſet in ſeptimo anno egredi de ſervitute, inductus amore vxoris, & liberorum ad remanendum, renuncians per hoc iuri ſuo: tunc Dominus offerebat illum Iudicibus, & perforabatur auris illius Subula, & dabatur ei talis pœna, eo quod noluit uti libertate à Deo ſibi conceſſa: perforabatur vero magis auris quam alia pars corporis, quia per hanc intelligere debebat Legem de libertate. Fiebat autem iſta ceremonia, ut non videretur Dominus detinere ſervum Hebræum ultra ſeptimum annum contra Præceptum Divi-

næ Legis. Remanebat vero talis Hebræus ſervus in ſæculum, ideſt uſque ad annum Iubilæi; nam in illo anno omnes poſſeſſiones redibant ad priores Dominos; & ideo omnis ſervus efficiebatur liber, loquendo tamen de Iudæis.

Reflexio 179.

Acto de hominibus Hebræis in ſervitutem exiſtentibus, ſubſequitur de Ancillis Hebræis; tradebatur enim multoties Puella in ſervitutem, ut Dominus illam acciperet in uxorem, vel pro ſe, vel pro filio: tradebatur autem in parva ætate, ad hoc ut Dominus perfectè cognoſceret mores illius. Si vero Dominus, adveniente pubertate, non accipiebat puellam in uxorem, vel non tradebat eam filio ſuo, exibat puella de ſervitute, ad hoc ut poſſet alteri nubere, nulla data pecunia pro redemptione ſua. Et ratio ea erat, quia tunc imminebat periculum caſtitatis; cum enim eſſet apta ad virum, poterat ab aliquo deflorari; ante tempus autem pubertatis, non imminebat tale periculum. Igitur, adveniente pubertate, ſtatim erat libera; non enim expectabatur annus remiſſionis ſeptimus, quia quod erat in viris annus remiſſionis, hoc erat in puellis pubertas, propter periculum perdendæ virginitatis. Quod ſi fuiſſet à filio Domini deflorata, debebat pater dare arbitrio Iudicis pretium amiſſæ pudicitiæ, ut ſic inveniret aliquem, qui illam in uxorem acciperet. Licèt autem puella Hebræa poſſet vendi Domino Hebræo ob cauſam prædictam, tamen vendi non poterat Gentili; tum quia erat manifeſtum periculum perdendi fidem unius veri Dei; tum ne Hebræi facerent multoties tales venditiones, propter lucrum ad quod dediti erant, propter eorum avaritiam: maximè quia talis contractus non fuiſſet ad tempus, ſed ſimpliciter: quandoquidem præceptum de anno remiſſionis, obligabat ſolummodo Hebræos non vero Gentiles.

Re-

Reflexio 180.

POſtquam regulata fuit Iraſcibilis in dominio, regulatur conſequenter in læſionibus, quæ habent rationem vindicativi, & ſtatuitur pœna mortis in homicidio voluntario. Si autem occiſor non fuiſſet inſidiatus Proximo ſuo, ſed Deus tradidiſſet illum in manus eius, ſalvabatur talis occiſor in Civitate Refugij. Permittit enim Deus, aliquando hominem interfici altiſſima ſua Providentia, quæ nihil iniuſtum patitur; licet nobis cæcutientibus, & in tenebris comedentibus, ex his quæ fiunt, aliqua videantur diſtorta, ſed caſſa imaginatione ſeducimur: nam is, qui talia ſuſtinet, ea promeruit; vel ei bonum eſt hoc pati. Si verò per inſidias aliquis occidiſſet Proximum ſuum, evellendus erat etiam ab Altare Dei, ut moreretur; quia talis inſidiator indignus erat ut immunitas Sanctuarij ei ſuffragaretur. Similiter, qui furatus fuiſſet hominem, eumque vendidiſset, pœnam mortis incurrebat, quia homo factus eſt ad immaginem Dei; & ideo ratione tantæ dignitatis, pro eius furto imponebatur pœna mortis. Similiter Dominus, qui ſervum percuſſiſſet Virga, & mortuus fuiſſet, erat reus homicidij, tamquam ſi occidiſſet hominem liberum. Et ratio ea eſt, quia ſervus non debet domino vitam, ſed tantum labores ſuos. Accedit, quod dominus inferebat damnum ſtatui politico: expedit enim Reipublicæ ne quis re ſua malè utatur. Præterea toti naturæ humanæ irrogabat iniuriam. Si autem prædictus Dominus, intendens non occidere, ſed corrigere ſervum ſuum, modum correctionis exceſſiſſet, & ſervus mortuus eſſet, non puniebatur tamquam ſi occidiſſet alium hominem, quia ſervus eſt pecunia Domini ſui: unde perdendo ſervum perdebat Dominus rem ſuam, taliſque pœna ſufficiebat. In læſionibus autem, in quibus mors non ſequebatur, erat conſtituta pœna Talionis. Dicunt vero aliqui Doctores, quod erventi oculum Proximo ſuo, non erat ervendus ei oculus, ut vide-

videtur ſonare hìc litera; ſed pretium pro oculo, ſecundum taxationem Iudicum; idemque erat in alijs læſionibus. Alij dicunt quod eruendus erat, ſi exoculatus voluiſſet; ſi vero elegiſſet pecuniam, tunc ſecundum taxationem Iudicis illam recipiebat.

CAP. XXII. Reflexio 181.

POſita ordinatione Iraſcibilis, hìc agitur de directione concupiſcibilis, aſſignando pœnas primò in furto. Et determinatur, quod ſi quis furatus eſſet Bovem, aut Ovem teneretur reddere quinque boves pro uno, & quatuor oves pro una. Ratio autem quare præcipiebatur in tali furto tanta reſtitutio, cum in alijs rebus ſufficeret reddere duplum, ea eſt: quia aliqua peccata debent graviùs puniri, non ſolum propter maiorem gravitatem, ſed etiam propter reprimendam pronitatem ad illa, ne ſubditi nimis ad talia ſe laxent. Res autem quæ cuſtodiuntur in domo, ut aurum, argentum, & ſimilia, non ita de facili poſſunt ſubtrahi ſicut oves, quæ paſcuntur in campis, & nemoribus: & quia facilitas accipiendi rem alienam inducit ad commiſſionem furti; ideò in prædictis caſibus maior pœna imponitur, quam in alijs. Quia vero boves difficilius cuſtodiuntur quam oves, quia non ita gregatim ſe tenent in paſcuis, & perconſequens facilius furari poſſunt; non quatuor, ſicut in furto ovis, ſed quinque pro uno præcipiuntur reſtitui. Si autem inventum fuiſſet apud furantem animal vivum, tenebatur reſtituere ſolummodo duplum. Et ratio diverſitatis pœnæ erat, quia poterat haberi aliqua præſumptio, quod vellet reſtituere, ex eo quod reſervabat ipſum animal. Fure effringente de nocte domum, & in tali actu occiſo, non erat percuſſor, reus ſanguinis. Si vero orto Sole hoc feciſſet, incurrebat pœnam mortis. Ratio primi caſus eſt: quia præſumptio ſtabat contra

furem;

furem; nempe quod non ſolum veniſſet ad furandum, ſed etiam ad occidendum, ſi in furando inveniſſet reſiſtentiam. In ſecundo vero caſu, debebat occiſor conſiderare, cum clara eſſet dies, quod fur non veniebat ad occidendum, ſed ſolummodò ad furandum.

Reflexio 182.

POſt furtum, reprimitur contrectatio rei alienæ alicui commiſſæ per depoſitum; & determinatur quod ſi res commodata furto fuiſſet ablata, teneretur depoſitarius iurare coram Iudicibus, ſe non extendiſſe manum in rem Proximi ſui ad perpetrandam fraudem, & hoc facto liberabatur. Si autem Iudices iudicaſſent illum commiſiſſe aliquam fraudem, tunc tenebatur duplum reſtituere ſicut fur. In illo autem caſu, in quo committebatur res ad cuſtodiendum pro mercede, ut cum tradebatur animal Paſtori, & moriebatur, vel debilitabatur, vel capiebatur ab hoſtibus; non cogebatur Paſtor reſtituere damnum, quia non poterat præcavere morti, vel debilitationi, quæ contingunt ex cauſa naturali; nec poterat reſiſtere violentiæ hoſtium. Si vero animal furto fuiſſet ſublatum, tenebatur paſtor reſtituere damnum. Et ratio ea erat; quia pro cuſtodia habuit mercedem. Similiter, ſi quis accepiſſet à Proximo ſuo animal mutuò, nempe ad opus illius qui accipit, & tale animal debilitatum, aut mortuum fuiſſet, tenebatur mutuatarius reſtituere damnum. Et ratio eſt, quia tota utilitas animalis in illo opere erat ſua. Limitabatur autem hoc in illo caſu, in quo Dominus erat præſens: tunc enim poterat videre, an animal nimis gravaretur, & hoc viſo impedire. Præterea, quia concupiſcibilis multum viget circa delectabilia carnis, ſpecialiter reprimitur, dum determinatur, quod ſi Virgo ſeducta fuiſſet ab aliquo, adeout intercederet copula ſub ſpe matrimonium contrahendi, tunc tenebatur ſeductor dotare illam, & in uxorem accipere. Si vero pater noluiſſet illi

dare filiam ſuam, tenebatur dare pecuniam pro dote, quæ erat 500. ſiclorum argenti. Tandem iubetur, ut malefici occiderentur. Et ponitur talis Lex inter illas, quæ reprimunt concupiſcentiam carnalem, quia ſortilegia ut plurimum, fiunt in his, quæ pertinent ad actus venereos.

Reflexio 183.

ORdinata Iraſcibili, & concupiſcibili, conſequenter ordinatur Rationalis; tum erga Deum, tum erga Proximum: erga Deum, dum ſub pœna mortis prohibetur, ne immolaretur Dijs. Eſt enim immolatio actus proprius, & debitus ſoli Deo Vero; nam alij actus ſunt aliquo modo communes Deo, & hominibus, ut adoratio, genuflexio, ſupplicatio, & ſimilia. Immolatio autem nulli unquam exhibita fuit, niſi ei qui verus Deus erat; aut reputabatur verus Deus. Erga Proximum autem ordinatur ipſa rationalis, dum prohibetur ne Advenæ contriſtentur, & Viduæ, & Pupilli. Licèt autem Lex iſta intelligenda ſit generaliter de omnibus noſtris Proximis; tamen exprimuntur prædictæ perſonæ, quia frequenter opprimuntur, eoquod non poſſunt reſiſtere ſuis oppreſſoribus: afflictio autem talium nimis aggravat peccatum, & accelerat Divinam vindictam. Deinde datur Præceptum de modo mutuandi pecuniam Proximo, & de pignore. In mutuo autem iubetur, ne repetatur debitum cum nimia auſteritate, quando Proximus eſt impotens ad ſolvendum. In pignore vero præcipitur, quod ſi eſſet veſtimentum, redderetur Proximo ante ſolis occaſum. Et dicunt Doctores, quod ſi veſtimentũ erat Proximo neceſſarium de die, debebat reddi in mane, & reſumi in veſpere. Si vero fuiſſet neceſſarium de nocte, debebat reddi veſpere, & poſt reſumi in mane: & hoc iubebat Deus ad imprimendam cordibus Iſraelitarum memoriam Divinæ miſerationis, qua quotidie Deus nobis peccantibus relaxat facinora, cum ad ipſum verè pœnitentes clamamus.

CAP. XXIII. Reflexio 184.

DAtis Præceptis Iudicialibus particulares perſonas dirigentibus, hic traduntur illa, quæ dirigunt publicas, cuiuſmodi ſunt Iudices tum Sæculares, tum Eccleſiaſtici. Iſtis autem iubetur, ne in iudicando acquieſcant iudicio plurimorum; adeout ſi maior pars Iudicum declinet ad ſententiam iniuſtam, non propter hoc debet aliquis de Iudicibus declinare à recto tramite Iuſtitiæ, ſed inconcuſsè tenere veritatem. Similiter in cauſa pauperis, non debet Iudex intuitu paupertatis ſuſtinere illius cauſam ſi ſit iniuſta, quia ſanctum eſt præhonorare veritatē, ut dicitur *pr. Ethic.* Deinde præcipitur ne Iudex accipiat munera, quod intelligitur etiā pro Iudicio vero, nam tunc venderet Iuſtitiā, & teneretur ad reſtitutionem accepti. Iudex enim ſi ſit inferior debet eſſe contentus de ſtipendijs ſuis. Si ſuperior, de eo quod accipit à communitate pro obſervatione Iuſtitiæ. Prohibetur etiam, ne Iudex ſit moleſtus peregrinis; tales enim cum ſint extra terram ſuam, ſunt deſtituti omni humano favore; ideoque multum decet Iudicem eſſe illis benevolum. Subiungitur deinde incidenter Præceptum de reducendo animali inimici ad ipſum inimicum; quia ex litigijs, de quibus Legiſlator immediatè fuerat locutus, ſolent homines fieri inimici; ideo poſuit Deus hoc Præceptum, ut inter Iſraelitas amicitia ſemper eſſet, & civilia odia prorſus ceſſarent: etenim per talem reductionem inimicus inclinabatur ad amicitiam, & amorem ipſius reducentis. Obſtinatam nanque mentem beneficia ipſa miteſcunt, & conceptum adimunt furorem. Alia etiam erat cauſa, videlicet, ne animal à feris devoraretur: & quia Iudæi erant crudeles, inducebat illos Dominus ad pietatem, iubendo eos eſſe mites, etiam circa animalia irrationalia, ut ſic inclinarentur ad pietatem erga homines.

Reflexio 185.

POſt inſtructiones Iudicum Sæcularium inſtruuntur conſequenter Sacerdotes, dum agitur de Feſtis, & ſolemnitatibus; quæ licet deberent obſervari à toto Populo, tamen earum directio pertinebat ad Sacerdotes. Primò igitur iubetur, ut ſeptimo anno terra non coleretur ullo modo. Et ratio huius dimiſſionis erat ad hoc ut Advenæ, Peregrini, & Pauperes, illo ſeptimo anno ſatiarentur de illis, quæ ſponte terra producebat. Secundò præcipitur, ut tribus vicibus per ſingulos annos, celebrarentur Feſtivitates, in quibus omnis maſculini ſexus appareret coram Deo. Primum Feſtum erat Paſcha Azymorum, quod celebrabatur decimaquinta die menſis primi; ideſt Martij, qui dicebatur menſis Novarum Frugum, quia in craſtino illius diei fiebat oblatio de novis Fructibus qui ante alios pervenerant ad maturitatem. Vnde ſi quis intrans campum ſuum, vidiſſet ibi aliquas ſpicas, vel ficum in ficulnea, appropinquantes ad maturitatem, debebat illas colligere, & ad Templum deferre in prædicta ſolemnitate Paſchali. Secundum feſtum erat Pentecoſtes, quod celebrabatur quinquageſima die à die Paſchæ, in memoriam beneficij Dei in datione Legis; quæ data fuit in Monte Sinai quinquageſima die ab exitu filiorum Iſrael de Ægypto; & dicebatur menſis primitivorum, quia in tali ſolemnitate offerebantur Panes de Novis Frugibus; ſicut in Paſchate Azymorum, primitiva in Spicis. Tertium erat Feſtum Tabernaculorum, quod celebrabatur in memoriam Beneficij, quo Dominus Deus habitare fecit filios Iſrael in Tabernaculis in ipſo deſerto; & de tali loco deduxerat ipſos in terram delicioſam, & fructiferam; ideoque in hoc Feſto debebant habere ramos virides, & fructus pulcherrimos arborum.

CAP. XXIV. Reflexio 186.

PRæmiſſa legiſlatione, & inductione ad obſervantiam illius, hic deſcribitur eius receptio. Venit enim Moyſes acceptis à Deo præceptis Iudicialibus, & denunciavit illa populo; quibus auditis, reſpondit ſe facturum omnia verba Domini. Tunc Moyſes ſcripſit, ut dicitur in Tex. univerſos ſermones Domini; ideſt, ut volunt multi DD., non ſolùm prædicta Præcepta Iudicialia, ſed etiam omne id quod continetur, à principio Geneſis uſque ad Præcepta Decalogi. Deinde in mane conſtructo Altari ad radices Montis, miſit Iuvenes, qui fuerunt primogeniti duodecim Principum Iſrael, & obtulerunt Holocauſta; quia Sacerdotium erat tunc temporis annexum primogenituræ, & duravit uſque ad inſtitutionem Sacerdotis Aaron. Immolatis igitur Victimis, ſumpſit Moyſes de ſanguine Victimarum, fundens illum ſuper Altare, in ſignum Fœderis inter Deum, & Populum. Deus autem cum Spiritus ſit, non poteſt ſanguine aſpergi; ideo loco eius aſperſit Altare, deinde Populum: ad denotandum, quod deberet effundi ſanguis tranſgreſſorum Divinæ Legis. Tunc ſeptuaginta Seniores aſcenderunt, erant enim digniores, gerentes totius Populi vices, adeout quod fiebat cum eis, erat quaſi fieret cum toto Populo. Ex parte etiam Dei ſecuta fuit confirmatio Legis per hoc, quod poſt prædicta, oſtendit ſe gratioſè illis; nam ut dicitur in tex. *Iſraelitæ viderunt Deum; & ſub pedibus eius quaſi opus Lapidis Sapphirini, & quaſi Cœlum cum ſerenum eſt*. Hæc autem viſio non eſt intelligenda de viſione Divinæ eſſentiæ, cum iſta inviſibilis ſit humanis oculis; ſed intelligeretur de ſimilitudine ipſum Deum repreſentante: ſub cuius pedibus erat quaſi opus Lapidis, ſeu Lateris, ut eſt in Hebræo, Sapphirini; ita quod figura Lateris, reducebat Iſraelitas ad memoriam laboris, & anxietatis, quam ſuſtinuerant fa-

faciendo Lateres in Ægypto. Color autem Cœleſtis ipſius lateris, deſignabat eorum libertatem, quam ex miſericordia Dei conſecuti fuerant, & ſpem futuræ Gloriæ in Cœlo, tranſactis laboribus, & miſerijs vitæ præſentis. Quod autem ſub pedibus Dei eſſet Lapis, qui eſt terra, figurabat expreſsè quod Deus aſſumpturus erat carnem humanam. Poſt hanc viſionem Iſraelitæ comederunt, & biberunt, ut dicitur in tex. Quod notatur ad exprimendam eorum culpam: quandoquidem, non multum curaverunt de Viſione Dei; ſed magis delectati rebus temporalibus, converſi ſunt ad epulas, præponentes ipſas tali ſuaviſſimo Obiecto, quod erat initium, vel ſaltem Imago perfectæ felicitatis; & ex hoc diſpergi meruerunt. Sed Dominus diſtulit eorum pœnam, ne dies tantæ lætitiæ, mortuorum plantu fœdaretur.

Reflexio 187.

CONfirmata Legis receptione, iuſſit Dominus Moyſi, ut aſcenderet in Montem, ad Tabulas Legis recipiendas. Dicunt autem DD. quod iſtæ Tabulæ fuerunt à Deo creatæ noviter, ut in eis ſcriberentur verba Legis, ab Angelo repræſentante ipſum Deum. Angelus enim miniſtrabat Domino, quantum ad iſtos effectus Legis promulgandæ: vel Deus creavit Tabulas ſic ſcriptas ſicut creare poterat rudes, & impolitas. Addunt aliqui, quod iſtæ Tabulæ erant de Sapphiro. Igitur aſcendente Moyſe, operuit nubes Montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum Nube ſex diebus. In ſeptimo autem vocavit Deus Moyſen de medio caliginis. Hic adverte quod totus Mons opertus fuerat Nebula, & iſta erat aliqualiter rara; ſed circa Cacumen Montis erat denſa, quæ vocatur hìc caligo. Super caliginem autem erat quaſi ſpecies Ignis, & videbatur Populo tendere uſque in Cœlum; & talis Ignis dicitur Gloria Domini; quia repræſentabat Divinam Maieſtatem. Moyſes verò licèt fuerit ſex diebus intra Nebulam, non fuit tamen

intra

intrà caliginem, in quam intrare minimè auſus fuiſſet niſi vocatus à Deo. Ratio autem quare Dominus non ſtatim vocavit Moyſen, ſed expectavit per ſex dies continuos, fuit quia volebat tunc ſpecialius loqui cum eo, quam alijs vicibus; ideoque oportebat illum eſſe valde elongatum à curis terrenis; fuerat vero Moyſes paulò ante cum popularibus; ideò voluit Deus, ut maneret per aliquos dies procul, ut ſic eius Intellectus diſtraheretur à terrenis, & elevaretur ad contemplanda Divina. Septimo igitur die aſcendit Moyſes ad vocem Domini in cacumen Montis, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, abſque cibo, & potu. Viſio namque illa ita conſolativa, & clara fuit, quod abſtulit ab eo omnem appetentiam naturalem cibi, & potus. In his autem diebus Deus docuit Moyſen illa, quæ infra ponuntur: nempe fabricationem Tabernaculi, & Vaſorum illius. Item multas quæſtiones Legis, omneſque ritus Sacrificiorum, qui præſcribuntur in Levitico: in fine autem dedit ei duas Tabulas Lapideas, Præcepta Decalogi continentes.

CAP. XXV. Reflexio 188.

Poſitis ſupra Iudicialibus præceptis, hìc agitur de pertinentibus ad cultum Divinum. Voluit namque Dominus ſibi fieri Sanctuarium, ut in eo tribueretur Divinæ ſuæ Maeſtati ſpecialis cultus, & quod eſſet portatile, ut ubicumque Populus eſſet, haberet ſtatim ſpecialem locum ubi coleret Deum ſuum. Pro fabricatione autem Tabernaculi iuſſit Dominus Moyſi, ut acciperet primitias ab omni homine, qui non coactus, ſed ſpontaneus illas offerret. Non accipiuntur tamen hìc primitiæ ſicut accipiuntur ubi mandatur ſolvi decimas, & primitias; ſed intelliguntur de rebus pretioſis, de quibus debebat fieri oblatio, quæ vocantur primitiæ,

quia

quia dabantur de optima parte rei poſſeſſæ. Hebræi autem habebant aurum, argentum, lapideſque pretioſos, & multa alia: tum quia de mandato Domini expoliaverunt Ægyptios; tum quia, in ſummerſione illorum in Mari Rubro, valdè ditati fuerant, & in victoria Amalecitarum, multa ſpolia receperant. Iuſſum eſt autem fieri Tabernaculum, & omnia ad ipſum pertinentia de auro, argento, & alijs rebus pretioſis, quia Deo deputandum eſt illud, quod in humanis pretioſiſſimum inveniri poteſt. Vnde in Levitico præcipitur, quod Sacerdotes nullam maculam habeant, qui erant ſpecialitèr Deo deputati. Porrò Tabernaculum erat longitudinis triginta cubitorum, & decem latitudinis, & dividebatur in duas partes inæquales. Nam prima pars occidentalis continebat decem cubitos per quadrum, & dicebatur *Sanctum Sanctorum*, vel *Tabernaculum interius*. Alia vero pars Orientalis continebat cubitos viginti longitudinis, & decem latitudinis, & dicebatur *Sanctum*, vel *Tabernaculum exterius*; & diſtinguebantur iſtæ partes Velo intermedio. Oſtendit autem Dominus Moyſi viſione immaginaria Tabernaculum, cum omnibus ad ipſum pertinentibus; & ſecundum iſtam ſimilitudinem, menti illius clarè & firmiter impreſſam, explanavit Moyſes omnia ipſis Artificibus, ut perfectam facerent operis conſtructionem.

Reflexio 189.

PRimum & principale quod erat in Tabernaculo, fuit Arca, quia in illa reponendæ erant Tabulæ Legis: unde maior reverentia erat ad ipſam, quam ad omnia alia; & ideo Dominus iuſſit hanc primò conſtrui de Lignis Setim, quæ erant imputribilia. Porrò Arca erat quaſi Scrinium ſine pedibus, & erat longa duos cubitos, & dimidium: latitudo vero erat cubitum, & dimidium: altitudo ſimiliter cubitum, & ſemiſſum. Erat autem veſtita Laminis aureis foris & intus, itaut tota Arca videbatur aurum, ſuper quam erat Corona

aurea

aureæ quadrata; erat enim quoddam Labrum in circuitu elevatum, quaſi ſpatio quatuor digitorum ſuper Operculum Arcæ, ſicut fit in marginibus Scachorum. Erant deinde quatuor circuli aurei in quatuor angulis Arcæ, ut per eos Vectes intrarent, ad hoc ut Sacerdotes illam ferrent, quando Caſtra movebantur. Super Arcam erat *Propitiatorium* eiuſdem longitudinis, & latitudinis; nam erat operculum Arcæ, & dicebatur Propitiatorium, quia de illo loco audiebantur reſponſa Divinæ Pietatis. Vocabatur etiam *Oraculum*, quia per orationes impetrabantur Divina reſponſa. Hoc Propitiatorium, non erat ſicut Arca de lignis Setim; ſed totum de auro mundiſſimo: & hoc propter excellentiam Summi Dei ibidem ſedentis. Decebat enim, ut honorifica ſedes, prout erat poſſibile, pararetur Divinæ Maieſtati. Et licèt omnia quæ in Tabernaculo erant ſpectarent ad Dominum; tamen nihil magìs pertinebat ad Deum, quam Propitiatorium, quia in hoc ſpecialitèr Deus eſſe dicebatur. Ex utraque autem parte Oraculi erant duo Cherubin de auro puriſſimo, ſe mutuò reſpicientes, & tegentes alis ſuis Propitiatorium; habebant verò ſimilitudinem Puerorum, vel Iuvenum.

Reflexio 190.

DEſcriptis illis, quæ erant in Tabernaculo interiori, ponuntur illa, quæ erant in exteriori. Et prima fuit Menſa, quæ habebat longitudinem duorum cubitorum, & latitudinem unìus. Licèt autem in ea multa ponerentur neceſsaria ad miniſterium Altaris Holocauſtorum; tamen præcipuus eius uſus erat in locandis panibus propoſitionis, à quibus recipiebat Menſa denominationem. In iſta ponebantur duodecim panes, in recordationem coram Deo duodecim tribus Iſrael. Per circuitum menſæ erat Labrum aureum, nempè Lamina aurea altitudinis duodecim digitorum, affixa ſpiſſitudini tabulæ ipſius menſæ per circuitum, ſicut fit in Scacheis, quæ habent Labrum ex utraque parte,

quando

Digitized by Google

quando ex una parte pingitur Ludus ſcaccorum, & ex altera Ludus alterius rei. De ſpiſſitudine autem menſæ non fit mentio in Tex. Tamen dicunt DD., quod erat quatuor digitorum. Cum autē Labrum aureum eſſet duodecim digitorum, quatuor adhærebant ſpiſſitudini menſæ, quatuor remanebant ſub tabula, operientes partem ſuperiorem pedum menſæ; & ideò dicitur in Tex. *Ipſi Labro coronam interſatilem, altam quatuor digitis*. Et dicitur interſatilis, hoc eſt in aliquo loco rara, habens aliquas ſculpturas, & ſpatia intermedia plana; & fortè erant intermixti aliqui flores, aut arbores. Alij verò quatuor digiti elevabantur ſuper menſam in circuitu; & ideò dicitur in Tex. *Et ſuper illam alteram coronam aureolam*. Inſerviebat autem hæc corona ad hoc, ut nullomodo caderent illa, quæ ponebantur in menſa. Subter hanc coronam erant circuli aurei, ut Vectes mitterentur per eos, ad portandam menſam. Vectes autem erant de lignis ſetim, ſed totaliter cooperti Laminis aureis. Similitèr vaſa, quæ hìc exprimuntur, erant omnia de auro puriſſimo. Acetabula verò erant vaſa, in quibus examinabatur Incenſum, & Simila, de qua fiebant panes propoſitionis, ad videndum ſi eſſent apti ad oblationem. Dicitur enìm acetabulum non ab aceto, ſed ab accipiendo illa, quæ in Sacrificijs erant neceſſaria. Phialæ verò, erant vaſa, in quibus examinabatur vinum, & alia liquida. Thurribula erant vaſa, in quibus ponebatur incenſum, prius examinatum ſuper panes propoſitionis; nempè unum Thurribulum ſuper ſex panes, & aliud ſuper alios ſex.

Reflexio 191.

SEcundum principale in Tabernaculo exteriori erat Candelabrum factum per malleationem, non vero opere fuſorio, de auro puriſſimo. Haſtile eius nempe ſtipes procedebat directè in altum, habens inferiùs tres pedes, & ſurſum ſex calamos, egredientes de Haſtili; tres ex una parte, & tres ex altera, tendentes ſurſum obliquè, quouſque per-

pertingerent ad altitudinem Haſtilis, in quo erant quatuor Scyphi;unde in totum erant viginti duo Scyphi: & non erant de opere plano, ſed cum aliquibus figuris, & ſic diſpoſiti in candelabro, quaſi Calamus tranſiret per medium Scyphi; erantque multi pomelli, & flores, ad decorem ipſius candelabri, in quo erant ſeptem lucernæ. Pondus autem Candelabri habebat Talentum auri puriſſimi;& dicunt aliqui DD. quod tale pondus erat centum viginti librarum. Verumtamen non eſt de hoc ulla certitudo, quia pondera auri, & argenti multum variantur ſecundum diverſa tempora. Erant deinde Emunctoria, ideſt forfices aureæ,quibus amovebatur illud, quod erat combuſtum de Lychinio,ne fœdaret oleum puriſſimum, quod ardebat. Similiter de auro puriſſimo erant alia Vaſa, ubi extinguebantur illa, quæ emuncta erant,ne facerent fumum: uolebat enim Deus in miniſterio ſuo maximam puritatem, & munditiam, ad hoc ut ipſum miniſterium eſſet magnæ reuerentiæ.

CAP. XXVI. Reflexio 192.

PRæmiſſis illis quæ erant intra Tabernaculum, hìc deſcribitur ipſum Tabernaculum. Hoc autem erat domus facta de tabulis, ut citò poſſet erigi, & diſſolui. Illius operimentum quadruplex erat. Primum erat de Cortinis quatuor colorum, ſcilicètByſſo retorta, ut firmius eſſet. Hyacintho, quod eſt ſericum habens cœleſtem colorem. Purpura, Coccoque bis tincto; erat enim Sericum, quod ut magis haberet colorem rubeum duplicitèr tingebatur; erantque prædictæCortinæ uariatę opere plumario,ideſt opere Acus; in ipſis enim erant figuræ florum,arborum,aliarumq; rerum, non tamen hominum, nec animalium. Secundum operimentum erant Saga cilicina facta de pilis caprarum,

Ter-

Tertium erat de pellibus Arietum rubricatis, quod operiebat tectum Tabernaculi; & ſuper hunc erat quartum operimentum de pellibus Hyacinthinis, quæ habebant colorem cœleſtem. Operimenta verò de Sagis, & pellibus Arietum erant fortitèr affixa terræ, cum funibus, & Paxillis ne à ventis, & imbribus moverentur. Tabulæ Tabernaculi erant 48. de lignis Setim; videlicèt 20. in latere Meridionali, & 20. in Aquilonari, & octo in latere Occidentali, & ponebatur quælibet Tabula ſuper duas Baſes argenteas; unde prædictæ Baſes erant 96. Tabulæ autem erant coopertæ laminis aureis, & ſic totum Tabernaculum erat interius aurum. Deinde erat Velum de Hyacintho, & Purpura, Coccoque bis tincto, & Byſſo retorta, pulchra varietate contextum. Erant enim ibi diverſæ figuræ florum, ſicut dictum eſt de Cortinis; & pendebat ſuper quatuor columnas de lignis Setim totalitèr coopertas laminis aureis, habentes Capitella aurea, & baſes argenteas. Hoc Velum dividebat *Sancta Sanctorum* ab illa parte, quæ dicebatur *Sanctum*. Extrà velum in parte Aquilonari poſita erat Menſa propoſitionis, & in meridionali candelabrum. In introitu verò Tabernaculi, erat aliud velum loco parietis, ſimile, quantum ad materiam, Velo prædicto, & pendebat à quinque columnis de lignis Setim, totalitèr coopertis laminis aureis, & habebant capitella aurea, & Baſes æneas. Dicit autem Ioſephus, quod Tabernaculum in exteriori parte erat totum coloris cœleſtis; nam operiebatur totalitèr pellibus Hyacinthinis; unde homines à longè illud aſpicientes, & admirantes, putabant eſſe Cœlum, Voluit enim Deus, ipſum Tabernaculum conſtrui valdè pulchrum, ut Divinus cultus in ſumma haberetur reverentia.

Reflexio 193.

PRæmiſſa deſcriptione eorum quæ erant, tum in Tabernaculo interiori, quod dicebatur *Sancta Sanctorum*, tùm in exteriori, quod vocabatur *Sanctum*, videndæ ſunt, Deo

Deo concedente, rationes litterales omnium prædictorum. Igitur per partem Tabernaculi interiorem, figurabatur pars Orbis nobis inviſibilis, nempè Cœlum Empyreum, ubi Deus ſe manifeſtat Beatis; & ideo erat ibi vox ſuper Cherubim, qua Dominus ſe manifeſtabat, dando orantibus reſponſa. Per Propitiatorium, quod erat quaſi ſedes Dei, denotabatur ipſe Deus præſidens omnibus rebus; qui licet ſit ubique per Eſſentiam, Præſentiam, & Potentiam, tamen ſpeciali modo eſt in loco Beatorum per apertam viſionem, & fruitionem. In illa ſede non erat aliqua Immago repræſentans ipſum Deum; quia Deitas nullomodo eſt figurabilis: extremæ namque dementiæ eſſet, velle pingere Divinitatem. Per Cherubin, qui verſis vultibus ſe reſpiciebant, denotabatur Natura Angelica, & eorum perpetua concordia, & obſequium circa Divinam Maieſtatem. Per Arcam, quæ erat totaliter clauſa, deſignabatur, quod rationes omnium effectuum in Creaturis viſibilibus, procedūt de Aula ſancta Dei; ſed ſunt nobis prorſus occultæ. In Arca autem tria continebantur, ſcilicèt Manna; Virga Aaron; & Tabulæ Divinæ Legis; ad tria præcipua repræſentanda, quæ nobis ſunt cœlitus collata: nempe vitam, quæ per Manna deſignabatur; nam omnibus naturalitèr dulce eſt vivere. Secundum, eſt in humanis poteſtas Regiminis; nam omnis poteſtas à Deo eſt, & hoc figurabatur per Virgam Aaron. Tertium, eſt Sapientia cœlitus data hominibus, per quam dirigitur Poteſtas Regiminis, & hoc figurabatur per Tabulas, in quibus erat ſcripta Divina Lex: hæc enim eſt vera noſtra ſapientia, per quam ſolam perfectè dirigimur in agendis.

Reflexio 194.

VIſo de ſignificatione partis Tabernaculi, quæ dicebatur *Sacta Sanctorum*, videndum ſupereſt de ſignificatione alterius partis, quæ dicebatur *Sanctum*. Igitur per hanc figurabatur alia pars Orbis, quæ eſt à Cœlo ſidereo

reo uſque ad Terram. Nam per Cortinas diverſorum colorum, & multiplicitèr variatas, quæ immediatè tangebant Tabernaculum, figurabatur Cœlum ſidereum varijs ſtellis ornatum. Et quia Firmamentum acceptum in tota ſua latitudine, dividit aquas Cryſtallinas, ſeù Cœleſtes ab Elementaribus; ideo in Tabernaculo erat Velum, quod ponebatur ante *Sancta Sanctorum*, diſtinguens Tabernaculum interius ab exteriori. Per Septem Lucernas, quæ erant in Candelabro, ſignabantur ſeptem Planetæ: ideoque Candelabrum, erat poſitum in parte Auſtrali; quia motus Planetarum ab Oriente in Occidentem in Emiſpherio noſtro, declinat ab Æquinoctiali, vergens ad Auſtrum. Menſa continens panes, denotabat ubertatem; & ideò ponebatur in parte Aquilonari, quia Panis, & cœtera terræ naſcentia, magis abundant in parte Aquilonari, quam in Meridionali; nam iſta propter nimium calorem ſolvitur in ſiccas arenas; terra vero Aquilonaris magis humida eſt, ideoque magis fructificat, ſicut ſunt Climata in quibus nos habitamus; nam terra nimis Septentrionalis æterno frigore congelata, nihil fert. Operimentum de Pellibus Rubricatis figurabat Elementum Ignis. Operimentum de pellibus Hyacinthinis, Elementum Aeris. Operimentum de Sagis, Elementum Aquæ. Tabulæ verò parietum, & Baſes, quæ erant de Lignis, & Metallis, denotabant Elementum Terræ, quia Ligna ſunt terræ affixa, & Metalla generantur in terræ viſceribus. Et ſic per Tabernaculum, quod Vniverſum Mundum figurabat, ratione ſuarum partium, ſignabatur quod erat deputatum cultui Veri Dei, qui toti Orbi dominatur.

CAP. XXVII. Reflexio 195.

DEſcripto Tabernaculo, & illa quæ intrà ipſum erant, hìc deſcribuntur ea, quæ erant extrà Tabernaculum, ad ipſum tamen pertinentia. Præcepit ergo Dominus Moyſi, ut faceret Altare de Lignis Setim

tim

tim opertum Ære: erat autem quadratum ſecundum longitudinem, & latitudinem, ſcilicèt quinque Cubitorum: altitudo autem erat trium Cubitorum, carens fundo, & operculo, itaquod habebat ſuperficiem terræ pro Fundo. Interius verò erat totalitèr concavum, & vocabatur *Altare Holocauſti*; non quia ſolummodò ponerentur in eo Hoſtiæ Holocauſtorum, nam etiam Victimæ pacificæ, & pro peccato, ponebantur; ſed quia Hoſtia Holocauſti dignior erat, cum tota crematetur ad honorem Divinum. Denominatio autem, fit à digniori. Non erat hoc Altare intra Tabernaculum; tum propter munditiam Sanctuarij: tum quia non potuiſſent Hoſtiæ cremari, quia inflammarentur Cortinæ manentes ſuper Tectum, cum non diſtarent à pavimento niſi decem cubitis. Quia vero Sancta non debent tangi à rebus profanis, fuerunt iuſſu Dei aſſignata inſtrumenta ſpecialitèr inſervientia in Miniſterio Altaris. Et primò *Lebetes*, quos nos Bacinos appellamus, quibus amovebantur Cineres de Altari, & in ipſis Lebetibus portabàntur extra Caſtra in loco mundo. Secundo erant *Forcipes*, & vulgariter dicuntur *Tenacula*, quibus tenebantur Carbones, & movebatur ignis à Sacerdotibus quòcumque vellent. Tertio erant *Fuſcinulæ*, quæ inſerviebant ad extrahendas Carnes de Chaldarijs, & ad ponendum ſuper Altare illa, quæ ibidem cremabantur. Quarto erant *Ignium Receptacula*, ideſt vaſa, in quibus de Altari accipiebantur Carbones vivi, ut portarentur intra Tabernaculum ad cremandum Thymiama mane, & Veſpere ſuper Altare Incenſi. Quinto erat *Craticula in modum Retis*, videlicèt magna Lamina conſtructa multis foraminibus. Sexta erat *Arula*, quæ ponebatur in concavitate Altaris, & in tali Vaſe ponebatur ignis conſumens Sacrificia. Tandem erant quatuor *Circuli Ænei* per quos ponebantur Vectes, ad ipſum Altare portandum de loco ad locum.

Reflexio 196.

POſt Altare Holocauſti iuſſit Dominus conſtructionem Atrij. Hoc autem erat quædam Platea magna ſub aperto Cœlo, habens centum Cubitos in longitudine ab Oriente in Occidentem: & in latitudine, quinquaginta ab Auſtro verſus Aquilonem; & erat clauſa Columnis, in quibus pendebant Cortinæ de Byſſo retorta uſque ad terram, ubi cum Paxillis, & funibus figebantur, ne à ventis moverentur. In latere Aquilonari erant viginti Columnæ, & totidem in Auſtrali. In latere verò Occidentali decem; & tot in Orientali; unde in totum erant ſexaginta Columnæ de Ære, & omnes veſtitæ Laminis, & Cęlaturis argenteis, quæ circundabant Columnas in modum floſculorum. Similiter Capitella Columnarum erant tota argentea: Baſes autem Aeneæ. Cortinæ habebant in latitudine quinquæ Cubitos ſecundum longitudinem Columnarum, & erant factæ cum Acu reticulato opere, itaquod vulgus manens extra Atrium, per foramina Cortinarum poterat videre Sacrificia, & oblationes, quæ fiebant in Altari Holocauſtorum per Sacerdotes. Pars verò Orientalis huius Atrij claudebatur Cortina facta de quatuor coloribus, ſcilicèt Hyacintho, Purpura, Coccòque bis tincto, & Byſſo retorta; & poterat trahi, & retrahi pro ingreſſu eorum, qui intrabant Atrium, & exibant. Ratio huius Atrij fuit reverentia Tabernaculo Dei debita: cum enim eſſet locus eximiæ Sanctitatis, non ſolum illicitum erat Vulgo intrare ambitum illius; ſed etiam nimis ad illum accedere, magna reputabatur irreverentia. Item ut Sacerdotes, & Levitæ poſſent liberiùs, & devotius officia ſua exercere, Divinaſquæ Ceremonias, exiſtente à longè populari multitudine.

CAP. XXVIII. Reflexio 197.

DEſcripto Tabernaculo cum ſuis pertinentijs, conſequentèr agitur de Miniſtrorum Ornamentis. Refert autem Ioſephus, qui fuit de genere Sacerdotali, decem fuiſſe Ornamenta Summi Sacerdotis. Primum erant *Femoralia Linea*, ad operiendam turpitudinem carnis ſuæ. Secundum erat *Tunica de Byſſo*, & dupla per totum. Tertium erat *Balteus*, ideſt Cingulum de diverſis coloribus latitudinis quatuor digitorum, cuius extremitates pendebant in parte anteriori Sacerdotis; & habebant fimbrias de auro, alijſque coloribus mira varietate contextis. Quartum erat *Thiara*, ſive Mitra de Byſſo in capite, tendens ſuperius in acutum; & cum Bindello ligabatur ſub mento, itaut nuditatem Colli tegeret, fortiterque Mitram teneret ne caderet de capite Sacerdotis miniſtrantis. Quintum erat *Tunica* dicta *Poderis*, ideſt talaris, Hyacinthina, habens circa Collum, & in extremitatibus manicarum oras contextas ex diverſis coloribus, & Lapidibus pretioſis: in margine autem inferiori, habebat Malogranata facta de Hyacintho, Purpura, & Byſſo retorta, & Tintinnabula aurea ſic intermixta, quod inter duo Malogranata erat unum Tintinnabulum; & è converſo, inter duo Tintinnabula unum Malogranatum. Sextum erat *Superhumerale*, quod ponebatur ſuper dictam Tunicam Hyacinthinam; & quantum ad materiam, erat de panno contexto quinque generibus filorum factis de Auro, Hyacintho, Purpura, Byſſo retorta, Coccoque bis tincto, cum pulchra varietate; tum propter diverſitatem materiæ, tum propter Flores ibìdem figuratos. Quantum verò ad formam, erat veſtis quadrata altera parte longior, habens in medio aperturam, per quam intrabat caput Summi Sacerdotis: Latitudo autem tangebat humeros. Vna pars longitudinis pen-

debat retrò, operiens dorſum uſque ad Renes; altera pendebat antè, operiens pectus. Latera vero utriuſque partis, iungebantur in lateribus Sacerdotis nodulis aureis. Habebat hæc Veſtis ſuper humeros duos Lapides Onychinos magnos, in quibus erant ſculpta nomina filiorum Iſrael, ſex in uno Lapide, & ſex in altero. In medio autem pectoris habebat hæc Veſtis foramen quadratum, magnitudinis unius palmi, & in tali loco vacuo ponebatur Septimum Ornamentum quod vocabatur *Rationale Iudicij*: quia in ipſo quærebatur iudicium illarum rerum, quas Sacerdos ſcire deſiderabat, præmiſſa oratione ad Deum. Pannus Rationalis, erat de eadem materia cum ſuperhumerali, in quo erant duodecim Lapides pretioſi quatuor ordinibus diſpoſiti; in quibus erant ſculpta nomina duodecim filiorum Iſrael, ſecundum ordinem nativitatis ſuæ: habebat autem magnitudinem unius palmi in quadrum, itaut impleret preciſè locum dimiſſum in ſuper humerali. In quatuor vero Angulis, habebat quatuor Anulos aureos, quibus correſpondebant alij quatuor Anuli exiſtentes in ſuperhumerali; & per iſtos ſtringebatur Rationale, & Superhumerale ligaminibus Hyacinthinis, tranſeuntibus per iſtos Anulos; & ſic Rationale, & Superhumerale ſimul iuncta manebant. Quapropter applicando Superhumerale, applicabatur etiam Rationale; quia hoc erat tanquam pars Superhumeralis; & ideo denominabatur totum *Ephod*, ſivè Superhumerale. Virtus tamen, ſecundum quam revelabantur illa, quæ requirebantur, erat tantum propter Rationale. Sciendum eſt autem, quod in Rationali erat *Doctrina, & Veritas*; quæquidem ſecundum Ioſephum, erat quidam fulgor procedens de Lapidibus Rationalis, qui deſignabat Deum placatum, & reſponſum proſperum, & quod ſic impleretur in effectu, ſicut à Pontifice petebatur. Dicit etiam idem Auctor, quod iſte ſplendor, ceſſavit per ducentos annos antequam ſcriberet Librum Antiquitatum, quem ſcripſit tempore Titi, & Veſpaſiani; & ſic conſtat, quod iſte fulgor ceſſavit apparere 160. annos ante Chriſti

Do-

Domini Natiuitatem. Alij dicunt, quod Doctrina, & Veritas, erat Nomen Domini *Tetragrammaton* poſitum in Rationali ſub Lapidibus prædictis, virtute cuius manifeſtabatur Veritas à Pontifice in Oratione requiſita. Octauum ornamentum erat *Balteus*, ſiuè Cingulum contextum quinque coloribus pulchra varietate ſicut Superhumerale, cuius extremitates auro contextæ, pendebant in parte anteriori Sacerdotis. Nonum Ornamentum, erat *Mitra Hyacinthina* poſita in capite Summi Pontificis, ſuper aliam Mitram Byſſinam, habens in inferiori parte Semicirculum aureum, procedentem à capite, uſque ad utramque aurem. Decimum erat *Lamina aurea* pendens in fronte Summi Sacerdotis, ligata cum Mitra filis Hyacinthinis, in qua inſcriptum erat Nomen Domini Tetragrammaton.

Reflexio 198.

EXplicatis Pontificalibus ornamentis, reſtat videre eorum rationes in ſpeciali, quantum ad ſenſum literalem. Sciendum igitur, quod per ornamenta Summi Sacerdotis figurabatur totus Orbis. Vndè Sapientiæ 18. dicitur *In Veſte enim Poderis quam habebat, totus erat Orbis terrarum*. Tunica namque linea figurabat Terram, quia linum de terra naſcitur. Balteus illam cingens, denotabat Oceanum terram undique circundantē. Tunica Hyacinthina, ratione coloris, deſignabat elementum Aeris, in qua poſita erant tintinnabula, quia in Aere generantur tonitrua. Balteus cingens Tunicam Hyacinthinam, ſignabat Elementum Ignis, qui ambit Aerem. Superhumerale figurabat Cœlum Sidereum, erat enim multis coloribus, & picturis adornatum, ad ſignandam pulchritudinem Stellarum. Duo lapides Onijchini poſiti in Superhumerali, ſignificabant duo Luminaria magna Solem, & Lunam. Duodecim Gemmæ poſitæ in Rationali, denotabant duodecim Signa Zodiaci; & ideo hoc ornamentum dicebatur Rationale, quia rationes terrenorum ſunt in Cœ-

leſtibus, cum ab ipſis emanent terreſtria; & in Zodiaco ſunt rationes omnium iſtorum effectuum naturalium; & ideo ab eo cuncta generabilia, & corruptibilia regulantur. Vnde *Ariſt. 2. de Generat.* ait: Quod *per acceſſum, & receſſum Solis in Circulo obliquo, nempe in Zodiaco, fiunt generationes, & corruptiones in ſublunaribus.* Per Mitram, quæ ſuper omnia Ornamenta ponebatur, denotabatur Cœlum Empyreum. Per Laminam tandem auream poſitam ſuper Mitram, repræſentabatur ipſe Deus, præſidens omnibus Creaturis: propter quod in illa erat inſculptum Nomen Domini Tetragrammaton, quod convenit ſolummodò Deo, Creatori omnium rerum.

CAP. XXIX. Reflexio 199.

DEſcriptis veſtibus Sacerdotalibus, quæ erant inſtrumenta ſine quibus in Altari non poterant fieri functiones ſacræ, hìc ponuntur Conſecrationes Aaron, & filiorum eius, quæ erant diſpoſitiones magis immediatæ ad exequendum officium Sacerdotale. In tali autem conſecratione offerebatur primò Vitulus pro peccato. Et ratio ea erat, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; ideo ad hoc ut poſteriora Sacrificia accepta eſſent Deo, oportebat præmitti Sacrificium pro expiatione peccati Sacerdotis. Poſt Vitulum mactabantur duo Arietes; unus in Holocauſtum, in memoriam obedientiæ Abrahaæ, qui obtulit Arietem pro filio, cuius obedientiæ Sacerdotes debebant eſſe imitatores. Alius pro hoſtia pacifica, in memoriam Agni immolati in exitu de Ægypto, cuius ſanguine fuerunt Iſraelitæ liberati ab Angelo exterminatore. Deinde offerebantur panes azymi: ad denotandum, quod Sacerdotes debebant eſſe abſque fermento corruptionis malitiæ, & nequitiæ. Deinde offerebatur Cruſtula, quæ erat panis quaſi totus cruſta, valde tenuis, & optimus, cum oleo admixto, &

Laga-

Lagana pariter linita oleo: ad denotandum, quod Sacerdotes debent, ultra puritatem, habere pinguedinem Charitatis, per oleum deſignatæ. Poſt hæc Aaron cum filijs ſuis accedebant ad Labrum Æneum, quod erat circa oſtium Tabernaculi, ibique lavabantur. Deinde Moyſes digito ſuo fundebat oleum unctionis ſuper caput Aaron, & ſuper Veſtes Sacerdotales. Reliqui autem Sacerdotes non ungebantur in capite: ad denotandum, quod poteſtas offerendi derivabatur ab ipſo Pontifice ad Sacerdotes inferiores, ſicut à Capite diffunduntur Spiritus animales ad reliqua corporis membra. Vocabatur autem hæc Vnctio, non ſimpliciter oleum, ſed oleum unctionis, quia erat quaſi quoddam unguentum: nam miſcebatur oleum illi ſanguini, qui erat in Crateris ſuper Altare, & ſic fiebat quædam mixtio; ad ſignificandam devotionem Iacob, fundentis oleum ſuper Lapidem; & in recordationem Sanguinis Agni immolati in exitu de Ægypto: & in hac aſperſione olei unctionis, terminabatur Conſecratio Sacerdotum; licet poſt hæc ſequerentur quædam aliæ ceremoniæ, quæ ſolummodo erant de ſolemnitate conſecrationis, ſed non de ſubſtantia illius. Licèt autem iſta unctio, ſecundum ſe eſſet maculativa, tamen non maculabat Veſtes Pontificales, & Sacerdotales, Deo ſic iubente.

Reflexio 200.

Poſt unctionem Aaron Summi Sacerdotis, & filiorum eius, iuſſit Deus Moyſi, ut applicaret Vitulum prædictum coram Tabernaculo teſtimonij, ſuper quem imponerent Sacerdotes manus ſuas. Hoc autem erat, ut tali ceremonia confiterentur, quod ex rigore Divinæ Iuſtitiæ digni erant morte; ſed ex Dei clementia, transferebatur eorum mors in ipſum animal: unde mactato Vitulo, ſumebat Moyſes de ſanguine illius, tingens digito ſuo Cornua Altaris, ad denotandum, quod per peccatum meretur homo mortem, quia offendit Deum à quo recepit vitam. Sicut au-

tem quando contra aliquem Principem malè actum eſt, ſi fundatur ſanguis iniuriantis coram eo, ſtatim quieſcit ira illius; ita Deus dum ſanguis eorum, qui peccaverunt funderetur, placaretur: quia vero Deus miſericors eſt, non vult ſanguinem peccatorum fundi: ideoque, ſi loco humani ſanguis fundebatur ſanguis pecorum, recipiebat ſatisfactionem. Sed Deus in Altari ſpecialiter dicebatur eſſe; ideo cornua Altaris tingebantur ſanguine animalis immolati, loco ſanguine peccatoris. Hæc autem locum habuerunt antequam Dei filius aſſumeret carnem noſtram; in qua factus obediens uſque ad mortem ſatisfecit pretioſiſſimo ſuo ſanguine pro omnibus hominum delictis, & reconciliavit nos Deo: unde loco veterum Sacrificiorum imperfectorum, & umbratilium, ſubijt perfectiſſimum Euchariſtiæ Sacrificium, in quo recolimus memoriam ſuæ paſſionis: ut ſicut ſemel per ſanguinem Agni immaculati ſufficienter fuimus redempti; ita per continuam huius Sacrificij frequentationem, tanto beneficio gratias exhibentes, fructus effuſionis ſanguinis Filij Dei participes fieri mereamur. Inexcogitabilis eſt enim fructus huius Sacrificij, ſi tamen ſanctè tractaretur.

Reflexio 201.

IMmolato Vitulo iuſſit Deus Moyſi, ut immolaret ſecundum Arietem, ſuper quem ſimiliter Sacerdotes manus imponerent, & ſumerent de ſanguine illius, ponerétque ſuper extremum Auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum eius: ad denotandum, quod debent habere aures apertas, & eſſe obedientes ad Præcepta Domini; quod totum deſignabatur per extremum Auriculæ quod eſt molle, & tenerum, non reſiſtens, & in ſcripturis ſanctis pars dextera bonum deſignat. Deinde ponebatur Sanguis ſuper Pollicem; ad denotandum, quod Sacerdotes debebant eſſe prompti, & expediti in oblationibus Sacrificiorum. Poſt hanc Conſecrationem præcepit Deus Moyſi, ut tolleret tum Carnes iſtius ſecundi Arietis

immo-

immolati pro gratiarum actione; tum oblationes panis azymi, & Cruſtulæ conſperſæ oleo, & Lagana, poneretque omnia ſuper manus Aaron, & filiorum eius. Talis autem impletio, quæ etiam dicitur initiatio, erat applicatio eorum ad officium Sacerdotale. Et dicunt DD. quod Moyſes ſupponebat manus ſuas manibus Aaron, & filiorum tenentium prædicta, elevans primò ſurſum, poſtea retrahens deorſum, deinde deducens verſus Orientem, & verſus Occidentem, & ad Aquilonem, & Meridiem: ad deſignandum quod illa offerebantur verò Deo qui ubique dominatur. Patet etiam, quod prædicta deductio fiebat in modum Crucis: in quo pulchrè figurabatur, quod Chriſtus Dominus noſter, offerendus erat in Cruce pro totius Mundi ſalute. De iſto Ariete comederunt Sacerdotes in ſua Conſecratione; quia in hoſtia pacifica remanebat una pars ſpectans ad ipſum offerentem. Et quia Sacerdotes tunc erant offerentes, præcipiebat illis Deus, ut partem offerentibus ſpectantem, comederent in loco ſancto, ſcilicet in Veſtibulo Tabernaculi: fiebat enim magnus Ignis intra Atrium, & ibi coquebantur omnes Carnes pacificorum. Per hoc autem denotabatur Deus placatus. Sicut in humanis, nihil eſt quod magis oſtendat Dominum vere placatum alicui ſervo, quam admiſſio illius ad propriam ſuam Menſam. Sciendum eſt autem, quod iſtæ operationes ceremoniales, non erant de ſe bonæ, nec malæ; tamen per iſtas placabatur Deus; non ratione earum, ſed ex fide, & obedientia facientium.

CAP. XXX. Reflexio 202.

DEſcripta conſecratione Sacerdotum, eorumque in Altari Holocauſtorum adminiſtratione, hìc conſequenter agitur de Altare Thymiamatum. Duo namque erant Altaria; unum in atrio Tabernaculi ad facienda Sacrificia ſub Divo; aliud intus ſuper quo incendebatur Thymiama; in qua

qua crematione erat conſumatio Sacrificij: ad denotandum quod Sacrificia Veteris Legis, non erant de ſe accepta, ſed tantum ex fide,& devotione offerentium; quæ quidem devotio, & fides ſignificabatur per Incenſum: hinc Apoſtolus ad *Heb.* 9. ait: *In priori quidem Tabernaculo, ſemper intrabant Sacerdotes Sacrificiorum officia conſumantes.* Hoc Altare erat de Lignis Setim, & quadratum, habens unum Cubitum longitudinis, & alterum latitudinis; duoſque Cubitos altitudinis: totum coopertum Laminis aureis: & habebat Cornua, ideſt Labrum in circuitu, aliquantulum ſupereminens, ſicut ſupra dictum eſt de Menſa; eratque ſituatum contra Velum ante Arcam, ita quod Velum erat medium inter Arcam,& hoc Altare. Habebat inſuper Craticulam, quæ erat operimentum ſuum, coopertam Laminis aureis, & ſimiliter Vectes. Duabus vero vicibus per diem ſuper hoc Altare cremabatur Incenſum; videlicet in Mane, & in Veſpere, quando Sacerdos componebat Lucernas. Septem enim Lucernæ Candelabri, ardebant de nocte; in mane vero extinguebantur quatuor, & tunc primò cremebatur Incenſum. In Veſpere autem redibat Sacerdos, & incendebat quatuor Lucernas extinctas cremans denuo Thymiama. Super hoc Altari, ſemel tantum in anno deprecabatur Deum Aaron, innitens ſuper illud, & tingens illud ſanguine Victimæ oblatæ pro peccato.

Reflexio 203.

POſtquam actum eſt de Sacrificijs, agitur conſequenter de his quæ neceſſaria erant pro ipſis comparandis. Sciendum eſt autem, quod Sacrificia quæ offerebantur à ſingularibus perſonis, fiebant de expenſis eorum proprijs; ſed illa quæ fiebant pro tota Communitate, fiebant de expenſis totius populi. Et quia pro iſtis erat neceſſaria multa pecunia, ideo Dominus præcepit, ut omnis Iſraelita qui tranſibat ad Numerum ſolveret medium Sicli. Æqualiter

liter autem dabant hìc pauperes, & divites, ne reputarentur divites ſanctiores pauperibus, vel magis participare de Divinis. Per hoc autem quod ſinguli ponebant medietatem Sicli, conſtabat de numero virorum, per computationem dimidiorum Siclorum. Si vero aliter fuiſſent numerati, erat plaga in Populo, ſicut accidit tempore David 2. *Reg.* 24. Iſte medius Siclus ſolvebatur non ab omnibus Iſraelitis, ſed ſolummodo ab illis, qui tranſibant ad Nomen; ideſt qui habebantur in numero virorum procedentium ad bellum; tales autem erant qui compleverant vigeſimum annum; qui vero non compleverant, non nominabantur ac ſi non eſſent nati. Porro ſolutio huius medij Sicli dicebatur dari ab Iſraelitis pro animabus ſuis; quia nimirum Sacrificia facta de illis expenſis, proficiebant ratione fidei, devotionis, & obedientiæ animabus eorum. Dicebatur etiam prædicta pecunia dari Domino; quia dabatur, non ſolum ad ſumptus Sacrificiorum, ſed aliorum neceſſariorum in miniſtrationibus Sanctuarij.

Reflexio 204.

ACto de expenſis neceſſarijs pro Sacrificijs, ponuntur conſequenter duo alia pro miniſtratione perfecta. Et primum eſt Labrum Æneum quod habebat in lateribus duos Canales, per quos aqua effundebatur, in qua Sacerdotes lavabant manus, & pedes. Et ex hoc patet, quod Sacerdotes ingrediebantur Tabernaculum nudis pedibus. Ratio autem cur ante Sacram Miniſtrationem fieret talis lotio, erat quia iſtæ duæ partes magis contrahunt ſordes; pedes ex pulvere; manus autem ex contrectatione diverſarum rerum: ad denotandum, quod qui Deo inſerviunt, & miniſtrant, debent eſſe mundi à pravis operationibus, quæ per manus notantur, & puri affectibus, figurati per pedes, ut ſic digni accedant ad Altare. Secundum fuit Vnctio pro Sanctuario: præcepit enim Deus, quod pro iſta ſumeret Moyſes

Aromata primæ Myrrhæ: Eſt autem Myrrha nomen Arboris Aromaticæ, ex qua per modum ſudoris duplex Gutta procedit; & iſta eſt prima Myrrha, & melior. Alia fit per inciſionem Corticis, & hæc dicitur ſecunda Myrrha, eſtque minus efficax; unde ad differentiam huius, dicitur hìc, quod Moyſes ſumeret Aromata primæ Myrrhæ. Hæc igitur, unà cum alijs Aromatibus, commiſcebatur cum oleo, & poſtea ungebatur Tabernaculum in quolibet angulo, intincto digito in unguento, & ſic dicebatur ungi totum Tabernaculum. Sicut modo in Novo Teſtamento in conſecratione Eccleſiarum fiunt quædam Cruces in angulis earum, & hoc ſufficit ad hoc quod dicatur tota Eccleſia conſecrata. Non poterat autem iſto oleo ungi caro Hominis, exceptis Sacerdotibus, & Regibus quando accipiebant poteſtatem regnativam: prædicti enim, quantum ad officium, ſunt ſupra homines; nam Sacerdotes ſunt medij inter Deum, & Populum, pro quo tenetur orare: Principes verò, clementer ipſum regere. Præcipitur autem confici Thymiama purum, ex Aromatibus hìc enarratis, ut ſic mereretur applicari ad Dei cultum; nam Deus purus eſt; ideoque illa quæ Divino cultui mancipantur, debent eſſe in ſe pura. Prohibetur vero ſub pœna mortis, ne quis componeret ſimile Thymiama, ut tali odore perfrueretur: & hoc erat, propter reverentiam Divinæ Maieſtatis, cum enim tale Vnguentum eſſet applicatum Divino cultui, indecens erat, ut inſerviret ad uſum, vel delectationem mortalis hominis.

CAP. XXXI. Reflexio 205.

DEſcripta forma Tabernaculi, & conſecratione Sacerdotum, hìc agitur de electione Artificum. Dominus namque manifeſtavit Moyſi, quod deputaverat Beſeleel, & Oliab ad extructionem Tabernaculi, ac cœterorum, quæ prædicta ſunt, dicens: *Ecce vocavi ex nomine Beſeleel, & im-*

implevi eum Spiritu Dei Sapientia, & intelligentia, & Scientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrè fieri poteſt; dedique ei ſocium Oliab, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi. Dicitur autem vocatus Beſeleel; quia tunc Deus vocat aliquem, quando præordinat illum ad aliquid faciendum; & dicitur impletus Spiritu Dei Beſeleel, quia ultra naturalem Sapientiam acquiſitam, recepit tunc à Deo etiam infuſam: quicquid autem homo in anima recipit à Deo, dicitur recipere Spiritum Dei; ſive illud ſit virtus Moralis; ſive Theologica; ſive habitus Prudentiæ. Impreſſit ergo Deus in animam Beſeleel, & Oliab aliquod ſpirituale, virtute cuius poterant facere omnia quæ Deus præceperat; nam virtus eorum acquiſita, non ſufficiebat ad opus tam difficile, & tam mirabile perficiendum. Repetitur deinde Præceptum de obſervatione Sabbati, ut manifeſtaretur cauſa finalis ipſius Tabernaculi: ad hoc enim fiebat, ut deputaretur Divino cultui, qui pro magna parte conſiſtebat in obſervatione Sabbati. Item quia Iudæi credere poterant, quod licitum eſſet facere opus Tabernaculi in Sabbato, eoquod ordinabatur ad cultum Divinum, ideo ad hoc excludendum repetitur Præceptum.

CAP. XXXII. Reflexio 206.

POſt Præceptum de conſtructione Tabernaculi, hic deſcribitur ſuperveniens impedimentum. Iniquus enim Populus impatiens moræ Moyſis in Monte, congregatus adverſus Aaron, petivit fabricationem Idoli; qui ut plebem tumultuantem ab inſania revocaret, petijt inaures aureas Vxorum, & filiorum; firmiter credens, quod tam Vxores, quam filij nullomodo paterentur à ſe abſtrahi eorum ornamenta, & ſic ceſſaret conatus populi contrà ſeipſum, vel ſaltem retardaretur plebis audacia uſque ad

ad Moyſis adventum, qui illam reprimeret. Igitur prudentiſſima reſolutione coercere voluit importunitatem inſanæ Plebis: ſed prævaluit iniquitas populi temperamento Summi Pontificis: ſtatim namque attulerunt omnia ornamenta pretioſa, dederuntque illa ipſi Aaron, petentes Idoli conflationem. Videns ergo Aaron ſibi mortem imminere, niſi ſatisfaceret petitioni eorum, formavit opere fuſorio Vitulum: talem enim Iudæi voluerunt, quia erat in ſimilitudinem Apis Bovis venerati ab Ægyptijs. In hoc autem fuit Aaron valde imperfectus; ſi enim confiſus fuiſſet in Domino, tunc Deus illum liberaſſet ab impetu perverſæ plebis; vel ſi non liberaſſet, melius erat ei per Martyrium ex hac vita migrare, quam metu mortis derelinquere Legem Dei. Igitur formato Vitulo, ſtatim dixerunt Hebræi: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de Ægypto*: attribuentes miracula veri Dei ſordidiſſimo Idolo; eique obtulerunt Holocauſta, & hoſtias pacificas, comedentes de immolatis Dæmoni, nihil curantes de Manna, ſibi tam mirabiliter à vero Deo præſtito. Poſt commextionem ſurrexerunt ludere, ideſt corizare, & canere in venerationem Idoli.

Reflexio 207.

SEcuta Populi Idolatria, manifeſtavit Dominus Moyſi exiſtenti in Monte, ſcelus Populi, & deinde dixit: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam*. Sciendum eſt autem, quod hìc loquitur Deus ad modum alicuius Patris familias, qui offenſus à proprio filio tenet gladium in manu, ſignans velle filium percutere, dicitque aſtantibus: dimittite me verberare: in quo tamen magis notat, non velle percutere. Sic Deus, ab Iſraelitis offenſus, dicebat velle deſtruere illos, quantum ad ea quæ foris monſtrabat; ſed non erat voluntas beneplaciti, quæ ſemper impletur; ſed Signi, qua ſecundum illa quæ perpetraverant, merebantur mortem; tamen hoc non diſpoſuerat Deus

Deus, ſed volebat quod Moyſes pro illis oraret, ut mererentur vitam precibus ſervi ſui; & ſua voluntas Signi, non maneret irrita. Tunc enim videtur irriſoria voluntas, quæ mota non complet opus ſuum; dummodo non ſit ſatisfacta aliquo rationabili motivo; ſicut accidit in exemplo allegato patris, qui vult quidem parcere filio, ſed vult etiam ut aliquis pro ipſo intercedat. Hic quæres, quæ gens eſſet illa, ſuper quam Deus dixit velle conſtituere Moyſen, tamquam Ducem? Dico quod non dabatur illa Gens: nam Deus non ordinaverat præficere Moyſen alteri genti quam Hebræis; ideo verba Domini intelliguntur conditionaliter, ſcilicet, quod ſi Deus deleturus fuiſſet Hebræos, conſtituiſſet Moyſen Ducem ſuper aliam gentem; & tunc daretur illa gens.

Reflexio 208.

AVdiens Moyſes peccatum Populi, oravit ad Dominum pro venia; deinde deſcendit ad Caſtra, quia ad Prælatum pertinet, manifeſta ſubditorum peccata corrigere, & punire; etenim facilitas veniæ eſt incentivum delinquendi. Portabat autem duas Tabulas Teſtimonij in manu ſua ſcriptas ex utraque parte. Et dicunt aliqui DD. quod ibi erat unica ſcriptura; tamen legibilis indifferenter ex utraque parte, quod totum erat miraculum: nam littera ex una parte formata ordine recto, apparet eius figura in parte oppoſita, modo etiam oppoſito. Alij DD. dicunt quod litteræ erant duplices, ita quod Præcepta erant ſculpta ex una parte, & ſimiliter ex altera. Appropinquante igitur Moyſe ad Caſtra vidit Vitulum, iratuſque vehementer proiecit Tabulas; illaſque confregit ad Radices Montis: iuſtè iudicans Populum Idolatram eſſe indignum recipere Legem digito Dei ſcriptam. Porro hæc fractio Tabularum, fuit ſignum, ſecundum omnes Doctores, evacuationis legalium in Adventu Chriſti Domini. Deinde Sanctus Dux, ardens zelo Divini honoris, combuſſit coram Populo Vitulum, redigens illum

in pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael. Dicunt autem aliqui DD. quod iſtæ aquæ erant amaræ, & nocivæ culpabilibus, cauſando in eis inflationem, & languorem, per quem deinde poterant ab alijs diſcerni; illis autem qui non peccaverant dulciſſimæ erant, & utiles. Alij DD. dicunt quod color auri remanſit circa ora illorum, qui idolatrando peccaverant; & per hoc totaliter diſtinguebantur ab innocentibus. Et ſi quæras, quare Iſraelitæ biberunt has aquas cum probabiliter ſcirent, malum aliquod ex potatione ſibi eſſe futurum? Dicendum quod Moyſes, Deo ſic diſponente, apparuit tam terribilis, ut nullus auſus fuerit ei contradicere. Sicut fuit in Chriſto Domino, quando facto flagello eiecit ementes,& vendentes de Templo, nullo audente ei reſiſtere. Manifeſtatis igitur Idolatris per aquæ potationem, ut prædictum eſt, ſtetit Moyſes in Porta Caſtrorum, & ait: *Si quis eſt Domini iungatur mihi*. Statimque congregati ſunt ad eum omnes filij Levi, ut patet in Tex. Ex quo deducunt DD. quod nullus de Tribu Levi peccavit in adoratione Vituli. Iſtis ergo congregatis,iuſſit illis Moyſes ut occiderent omnes peccatores; quibus iuſſa implentibus, ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.

Reflexio 209.

POſtquam Moyſes punivit Idolatras, & induxit totum Populum ad pœnitentiam, aſcendit in Montem, & pro remiſſione perpetrati ſceleris ſic Deum precatus eſt: *Obſecro, peccavit Populus iſte peccatum maximum; aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*. Pro intelligentia Textus adverte, quod Deus continet in ſe ſimplici cognitione ſua, omnia quæ ſunt, & quia iſta non traduntur oblivioni, ſicut ea quæ in mentibus noſtris ſunt per deletionem ſpecierum intelligibilium, vocatur ſua cognitio *Liber*; quia ſic res ibi immobiliter manent, ſicut in Libro. Sed hic occurrit duplex difficultas. Prima eſt,

quo-

quomodo aliqui deleantur de libro Vitæ, cum ſit idem quod Divina Prædeſtinatio, quæ eſt immobilis? Ad hoc dicendum quod in Libro Vitæ dicuntur aliqui ſcribi dupliciter. Vno modo, ſimpliciter, in quantum Prædeſtinati ſunt in notitia Divina, tamquam ordinati ad vitam æternam, ex prædeſtinatione Dei, & tales nunquam delentur. Alio modo dicuntur ſcripti, ſecundum quid, ideſt ſecundum diſpoſitionem in eis actu exiſtentem, ſcilicet ſecundum præſentem iuſtitiam: nam exiſtentes in gratia, per hoc ſunt digni Vita æterna. Sed quia aliquando cadunt à gratia, ideò dicuntur deleri: tamen iſta deletio non refertur ad Divinam notitiam, quaſi aliquid ignoret quod prius noverat: ſed ad mutationem de gratia ad culpam exiſtentem in homine. Secunda dubitatio eſt: quomodo potuit Moyſes petere deleri de Libro vitæ? Etenim, ſi accipiatur deleri ſimpliciter, impoſſibilis eſt deletio, ut viſum eſt, & Moyſes bene ſciebat hanc impoſſibilitatem. Si autem accipiatur in ſecundo caſu; videlicèt pro caſu de gratia in peccatum, tunc elegiſſet Moyſes offendere Deum, quod eſt inconveniens, cum ſit contra charitatem. Dicendũ quod Moyſes dixit hoc ex impetu paſſionis, non ex deliberatione perfecta rationis. Alij dicunt quod verbum Moyſis, eſt ipſius rationis proponentis diſpoſitionem partis inferioris animæ, licèt hoc non eſſet in parte ſuperiori. Sicut Chriſtus Dominus, petivit transferri à ſe Calicem paſſionis, licèt vellet pati. Et hoc modo contingit in humanis communiter: nam aliquis petens ab alio aliquid cum magno deſiderio, dicit: aut facies hoc, aut aufer à me vitam; licèt magis vellet carere, non ſolum illo quod petit, ſed omnibus alijs quam vità. Exaudivit autem Dominus orationem Moyſis pro Populo ſibi commiſſo humiliter exhibitam; præcepitque ei, ut illum duceret ad terram promiſſionis: proteſtans tamen, quod in die ultionis viſitaret hoc peccatum. Iſte vero dies ſecundum aliquos DD. intelligitur captivitas Babylonica. Alij aſſerunt fuiſſe captivitatem per Romanos factam. Alij volunt, fuiſſe totum illud tempus, in

quo omnes Iſraelitæ, qui erant in deſerto, mortui ibidem ſunt.

CAP. XXXIII. Reflexio 210.

POſtquam placuit Divinæ Bonitati non delere Populum, ſicut meruerat, iuſſit Dominus Moyſi, ut aſcenderet ad terram promiſſionis, dicens. *Aſcende de loco iſto tu, & populus tuus, & mittam præcurſorem tui Angelum: non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis eſt, ne forte diſperdam te in via.* Sciendum eſt autem, quod cum Deus ubique ſit, per iſta verba non eſt intelligendum quod cum Iſraelitis non eſſet per eſſentiam; præſentiam, & potentiam; ſed ſolummodo, quod non adeſſet per miraculorum operationem, ſicut antè. Item non loquitur hìc Deus ſecundum beneplacitum, ſeù determinationem abſolutam, ſed ſecundum ſignum; nam poſtea conſenſit aſcendere, ut patet in littera. Similiter, dum dicit ſe miſſurum Angelum præcurſorem, ne forte ipſe Deus diſperderet populum, non eſt per hoc intelligendum, quod Angelus eſſet proclivior ad miſericordiam Ipſo Deo, ſed quod ſi adeſſet Dei præſentia, per miraculorum operationem, rebellio populi maior fuiſſet: aggravata verò culpa, maius motivum aderat ad puniendum populum. Et iſta erat cauſa, quare Deus puniebat magis Iudæos peccantes idolatrando, quam alias gentes: recipiebant enim Iſraelitæ continuè a Deo miraculoſa beneficia, & ſpeciales gratias. Gentiles vero ſolum univerſalia, & communia. Audiens autem populus hæc verba amarè flevit. Tunc Deus dixit: *Depone ornatum tuum, ut ſciam quid faciam tibi.* Mandavit vero Deus id quod erat illis ſalubre: depoſitio nanque ornatus convenit pœnitentibus, & ſe humiliantibus àd impetrationem Veniæ: hìc enim erat imponenda pœna pro peccato, ſed iſta mitigatur per contritionem, & dolorem, & per

aſperi-

aſperitatem voluntariè aſſumptam. Per illa autem verba: *Vt ſciam quid faciam tibi*. Non eſt intelligendum, quod Deus cognoſcat aliquid de novo, ſed ſolum quod ex mutatione populi de ſuperbia in humilitatem, apparebat extrinſece, quid ſibi condecens eſſet fieri à Deo. Porrò Ornatus iſte, erant Coronæ, quas ſibi impoſuerant principales de populo in die dationis Legis: tunc enim per illius ſuſceptionem fuit populus deſponſatus cum Deo, & ideo fuerunt coronati ad modum Sponſæ. Sed quia per idolatriam à Deo receſſerant, præcepit Deus, ad eorum confuſionem, & humiliationem, ut Coronas prædictas deponerent. Sicut ſi Sponſa, relicto Sponſo ſuo, miſceretur alteri viro, deberet perdere dotem, & ornamenta recepta in honorem deſponſationis.

Reflexio 211.

Accepto Moyſes mandato pergendi cum populo ad Terram promiſſionis, oravit prius ad Dominum dicens: *Præcipis ut ducam populum iſtum, & non indicas mibi, quem miſſurus es mecum? ſi ergo inveni gratiam in conſpectu tuo oſtende mihi faciem tuam*. Adverte autem, quod per iſta verba petivit Moyſes, ut Deus eſſet ſibi, & populo ita familiaris ſicut ante fabricationem Vituli. Sciendum eſt autem, quod licet Dominus dixiſſet Moyſi, ſe miſſurum Angelum antecedentem populum; tamen hoc non ſatisfaciebat intentioni Sancti Ducis: nam optabat aliquem præcedere, qui miracula operaretur in neceſſitatibus. Angelus autem, non poterat operari miracula, cum ſolus Deus iſta faciat; ideoque dicebat, nullum fuiſſe ſibi indicatum: unde Deus volens etiam in hoc ſervum ſuum conſolare, reſpondit: *Facies mea præcedet te*. Ideſt, ego deducam te ſicut petis. Videns autem Moyſes petitionem ſuam exauditam, accepit ſanctam audaciam petendi viſionem Divinæ Eſſentiæ dicens: *Oſtende mihi gloriam tuam*. Ideſt Teipſum, ſicut videris in Gloria tua. In hoc autem non fuit Moyſes exauditus; nam

reſpondit illi Deus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet*. Talis namque viſio, non conceditur in præſenti vita, ubi eſt locus pugnæ, & meriti, ſed in futuro, cum ſit merces, & præmium. Ad aliqualem tamen conſolationem Sancti Ducis, cauſavit Deus quoddam Corpus lucidiſſimum, & pulchrum, quale numquam fuit, nec erit, in quo poterat eſſe ſumma quietatio, non Intellectus, qui in ſola Dei viſione quieſcit, ſed potentiæ viſivæ, tamquam in perfectiſſimo ſuo obiecto viſibili in hac vita. Ordinaverat autem Dominus iſtud Corpus ſic: ut in parte anteriori, quæ dicitur hic *facies*, eſſent radij intenſiſſimæ lucis, & maximæ gratitudinis; itaut nullus mortalis oculus, ſecundum armoniam quam habet in corpore corruptibili, eam poſſet intueri, & ſi forte illam intueretur, ita erat exceſſiva, ut occidiſſet hominem: ſicut fit quando videmus aliqua terribilia; ideoque Dominus noluit monſtrare iſtam partem anteriorem Moyſi. Pars vero poſterior hebebat radios lucis multum quidem intenſæ, & gratæ; tamen oculi humani poterant ferre ipſam lucem, & quieſcere in ea, tamquam in perfectiſſimo, & adæquato ſuo obiecto. Placuit enim Deo perficere Moyſen, monſtrando ei bonum, quod eſset perfectiſſimum ſecundum corpus: potiſſima autem perfectio corporalis, eſt ſecundum potentiam perfectiorem, hæc autem eſt potentia viſiva; ait *Ariſt. in proemio Metaph. Senſum viſus plus diligimus, quia plures rerum differentias nobis oſtendit*. Ab iſta Luce corporis prædicti quam conſpexit Moyſes, tantum mutatus fuit, quod eius vultus, radios induit luminoſos, itaut non poſſent intendere in eum filij Iſrael. Per hoc vero quod Moyſes non vidit faciem prædicti corporis, intellexit quod non concederetur ſibi viſio clara, & perfecta Dei: tales namque apparitiones ſenſibiles, vel imaginariæ fiunt communiter ad denotandum illud quod fit, vel fieri debet cognitioni intellectivæ.

CAP.

CAP. XXXIV. Reflexio 212.

SVpra poſita fuit reſponſio Dei de directione itineris, hìc ponitur reparatio violatæ Legis. Igitur cum primæ Tabulæ fractæ fuiſſent, iuſſit Dominus Moyſi, ut præcideret alias duas ſicut priores, & quod eſſet paratus mane ut aſcenderet Montem Sinai: talis enim hora eſt convenientior ad loquendum cum Deo: nullusque videretur per totum Montem; tum ob reverentiam Divinæ Maieſtatis ibidem deſcendentis in ſigno viſibili: tum ne Moyſes diſtraheretur à contemplatione Divina, quæ ſpecialiſſime requirebatur circa imminentem viſionem. Aſcenſo ergo Moyſe in Montem, deſcendit Dominus per Nubem: erat enim Nubes gloriæ elevata in Aere ſupra verticem Montis in aliquali altitudine, & tunc declinavit ad Cacumen Montis, ut Deus loqueretur per Angelum ipſi Moyſi. Repetivit autem Deus omnia quæ prius dixerat, ut magis filijs Iſrael imprimerentur, & precipuè, quod non inirent amicitias cum habitatoribus terræ Chanaam, ne per ipſos traherentur ad Idolatriam, ſed ſubverterent Aras eorum. Deinde repetivit, quod omnis Maſculini Sexus, tribus anni temporibus appareret in conſpectu Dei, promittens quod nullus inſidiaretur terræ eorum. Licèt enim in alijs temporibus, hoſtes Hebræorum invaderent illos, tamen tunc non invadebant. Deus enim immittebat in corda eorum quemdam terrorem, vel voluntatem hoſtium ad alia diſtrahebat, itaquod nihil cogitarent de tam facili invaſione. Manſit autem Moyſes in Monte quadraginta dies, & quadraginta noctes ſine ullo cibo: refocillabatur enim ſola Dei præſentia; adeout per abſtinentiam cibi, licèt tam longam, nulla fieret in eo ſubſtantiæ deperditio. Tranſactis autem prædictis diebus, deſcendit de Monte ad Caſtra, portans ſecum duas Tabulas ſcriptas

Digitized by Google

à Deo ſicut priores, & ignorabat quod Cornuta eſſet facies ſua; ideſt quod mitteret radios. Sicut enim Cornua procedunt de facie animalis, ita de facie Moyſis procedebant radij miri fulgoris in altum, quos Apoſtolus 2. ad *Corinth.* vocat gloriam vultus Moyſis. Erant autem ita ſplendidi, ut offenderent oculos intuentium; quapropter hoc cognito, poſuit Velamen ſuper faciem ſuam, providens per hoc infirmitati aſpicientium ipſum.

CAP. XXXV. Reflexio 213.

DEſcripta ceſſatione impedimenti conſtructionis Tabernaculi per combuſtionem Vituli fabricati à populo, & data iuſtiſſima punitione Idolatrantium, hic deſcribitur operis executio. Et primo repetitur Præceptum de obſervatione Sabbati, ut conſtaret, quod obſervatio talis diei, tenenda erat etiam tempore quo fabricabatur ipſum Sanctuarium. Vocatur autem Sabbatum *requies Domini*; tum quia Deus in iſto die ab omni opere requievit; tum quia talis dies in qua ceſſamus à negocijs, & laboribus noſtris, non debet applicari ad Ludos, Crapulas, & corporalem deſidiam; ſed ad Dei laudes, & ad iugem conſiderationem Divinæ ſuæ Maieſtatis, & ad recordationem beneficiorum Dei. Deinde iuſſit Moyſes, ut ſepararentur Domino primitiæ ab omni qui voluntariè, & prõpto animo vellet illas offerre. Deus enim non recipit munera coacta, quia magis ei voluntas placet, quam res ipſa exhibita. Accipiuntur vero hìc primitiæ pro melioribus partibus rei; nempe Auri, Argenti, Æris, quæ omia portaverant Iſraelitæ de Ægypto. Licèt autem de auro, & argento non ſit mirandum, tamen de quibuſdam alijs rebus, ut de ære, & de pellibus, tam Arietinis, quam Hyacinthinis, & de Lignis Setim, valde mirandum eſt quomodo Hebræi ſecum ea detu-

detulerint, cum vix poſſent deducere ſecum Vxores, & filios. Sed Deus fecit quod omnia iſta haberent, & movit eorum animum ad iſta congreganda, & ferenda, ut deinde conſtrueretur Divino ſuo Nomini Sanctuarium.

CAP. XXXVI. Reflexio 214

Acto de diſpoſitione Sanctuarij, agitur hic de devota, & prompta Populi exhibitione in neceſſarijs ad prædictam executionem: Sciendum eſt autem, quod principales Artifices erant Beſeleel, & Oliab; ſub iſtis verò erant multi alij ſubordinati, quibus dederat Dominus Sapientiam, ſicut dicitur in textu: Et accipitur Sapientia impropriè; nam Sapientia propriè accepta, pertinet ad habitus ſpeculativos, & eſt primus, & perfectior: hìc autem accipitur pro habitu factivo, qui eſt habitus artis. Cum igitur Artifices quotidie inſtarent operi, offerebat populus mane vota ſua, & hoc erat in Aurora, quia tunc populus vacabat Orationi, eratque intentus laudibus Divinis; prima enim pars diei debet offerri Deo. In alijs autem diei partibus, poſſumus, immo debemus divertere ad opera noſtra peragenda, quæ bene nobis, Deo iubente, evenient, cum optimum habuerint principium. Oblatio autem populi, tam copioſa fuit, ut non ſolum ſufficeret, ſed etiam valde excederet neceſſitatem operis: quapropter ipſi Artifices dixerunt Moyſi: *Plus offert Populus quam neceſſarium eſt.* Et in hac confeſſione, manifeſtè apparuit puritas, & fidelitas eorum: cum enim commiſſa fuiſſent illis omnia donaria totius populi, proculdubio poterant ſurripere quicquid vellent, cum nullus eſſet, qui notaret quantitatem rerum exhibitarum, nec earum qualitatem, & ideò multæ res pretioſæ poterant verti in particularem utilitatem, ſed quia timebant Deum, non elegerunt ſibi lucrum, nec paſſi ſunt bona populi

puli per continuam, & non neceſſariam oblationem fruſtra diminui.

CAP. XXXVII. Reflexio 215.

DEſcripta fabricatione illarum rerũ, quæ erant partes Tabernaculi, hìc ponitur executio operis, quantum ad illa, quæ erant intra ipſum Tabernaculum. Et primò illa, quæ erant intra *Sancta Sanctorum*, ut *Arca*, *Propitiatorium*, *& Cherubin*, quæ omnia totalitèr clauſa manebant, propter eorum ſanctitatem; adeout non poſſent à nemine videri. Secundò ponitur executio illarum partium, quæ erant quidem in Tabernaculo, ſed extra *Sancta Sanctorum*; & talia fuerunt *Menſa*, *Candelabrum*, *& Altarę Thymiamatis*. De Arca autem dicitur in Text. Quod erat veſtita intus, & foris auro: erat enim hoc ſpeciale in ea, propter dignitatem eorum, quæ intus ſervabantur: nam quod eſſet extra cooperta Laminis aureis, generale erat in omnibus rebus, quæ ad Tabernaculum pertinebant: quandoquidē omnes, aut totaliter aurum erant, aut auro mundiſſimo tegebantur. Arca verò propter dignitatem eorũ, quę in ipſa continebantur, cooperienda erat etiam intus Laminis aureis, ut illa quæ reponebantur ad ibìdem ſemper manendũ, non eſſent ſuper lignum nudum, ſed veſtitum laminis aureis, ut res Sacræ à ſolo auro puriſſimo, & mundiſſimo tangerentur: de talibus autem videnda ſunt illa, quæ diximus ſuprà ſuis locis ſpecialibus.

CAP. XXXVIII. Reflexio 216.

DEſcripta fabricatione Tabernaculi, & illarum rerum, quæ intra ipſum continebantur, hìc agitur de conſtructione earum, quæ erant extra ipſum Tabernaculum, inter quæ primum locum obti-

nuit

nuit *Altare Holocauſtorum* ; in hoc enim offerenda erant Deo Sacrificia. Secundo loco fuit *Atrium*, quod erat ſpatium magnum, ſeu Platea, extra quam Populus manere debebat, ne approximando ad Altare Holocauſtorum, impediret miniſteria Sacerdotum, & Levitarum. Tertium fuit *Labrum Æneum* cum Baſi ſua, factum de Speculis Mulierum. Dicunt autem DD. quod iſtæ erant Mulieres devotæ, quæ frequenter veniebant ad orandum Deum, ad Oſtium Tabernaculi: ut autem darent ſignum, quod nolebant amplius intendere ornatui exteriori, & vanitatibus, & pompis Sæculi, obtulerunt Deo Specula ſua, quarum Capſæ erant Æneæ, & de iſtis fabricatum fuit prædictum Vas. Alij DD. aſſerunt, quod circa Labrum Æneum erant Specula affixa, ad hoc ut Sacerdotes ingredientes Sanctuarium, antequam accederent ad ipſum Altare, pro Victimis Deo immolandis, poſſent aſpicere maculas ſuas, ſi aliquas haberent, eaſque tergere; quæquidem ſpecula fuerunt quidem oblata à Mulieribus prædictis, ſed non fuerunt redacta per fuſionem in Labrum Æneum: quapropter dum dicitur hìc in Textu, quod Beſeleel fecit & Labrum Aeneum de ſpeculis Mulierum, accipitur facere pro aptare, vel ornare iuxta conſuetudinem ſermonis hebraici.

CAP. XXXIX. Reflexio 217.

DEſcripto vario apparatu Vaſorum, hìc agitur de Veſtibus Sacerdotalibus pro miniſtratione fienda in Sanctuario, dum Sacerdos Sacras functiones corã Deo exercere debebat. Iuſſit ergo Deus quod Ornamenta, tam Pontificalia propria Summi Sacerdotis, quam veſtes pro minoribus Sacerdotibus, eſſent ſummæ venerationis, ut ſic Populus magis elevaretur in Deum, & præſtaret debitum obſequium

quium, & reverentiam Dei Miniſtris. Deinde formata fuit *Lamina Sacra venerationis*: ideſt Lamina Sancta, quæ denominatur Sacræ venerationis, quia nimirum erat inſculptum in ea Nomen Domini *Tetragrammaton*, & ponebatur in fronte Summi Sacerdotis, ubi naturaliter apparet verecundia: ad denotandum per hoc, quod Sacerdotes, non debent erubeſcere confiteri Sanctitatem Dei, & illius magnitudinem, nec timere ſæcularem potentiam, ubi agitur de ſervitio Dei; de utilitate ſpirituali populi; de propagatione, & dilatatione fidei, ſed conſtanter ſe exponere etiam morti, ſi opus ſit, pro tuenda gloria Dei, & pro conſervanda Religione in ſua perfectione. Completis tandem omnibus Ornamentis ab ipſis Artificibus, benedixit Moyſes illis: quæ quidem benedictio, ſecundum omnes Doctores, fuit imprecatio boni ſpiritualis; videlicèt quod Deus dignaretur conſervare omnia ad ſuam puram gloriam, & honorem, & quod omnia miniſteria in illis facta, eſſent accepta Divinæ ſuæ Maieſtati: maximè quia, omnia dirigebantur per Sacerdotes miniſtrantes, ad honorem Divinum, & ædificationem Populi; qui intendebat laudes Divinas dare Deo ſuo, in ipſis ſacerdotalibus adminiſtrationibus.

CAP. XXXX. Reflexio 218.

COmpleto opere Tabernaculi, & omnium rerum quæ ad ipſum pertinebant, hìc deſcribitur eius erectio, quæ accidit primo Menſe, & iſte erat Martius; nam, ex inſtitutione Divina, talis Menſis erat conſtitutus primus in menſibus anni, ob ſingulare beneficium acceptum ab Hebræis à Divina clementia, dum illos eduxit de duriſſima ſervitute Ægypti, de qua exierunt in tali menſe. Erecto autem Tabernaculo, Nubes operuit illud, Populo hoc à longè ſpectante: quod quidem fuit expreſſum ſignum

accepta-

ceptationis Divinæ,& præſentiæ particularis, ut populus firmiter crederet, quod orantibus in Sanctuario, orabant ubi Deus præſens erat, & in loco electo à Deo, ad hoc ut condeſcenderet poſtulationibus populi ſui. Dicitur autem in Text. Quod Moyſes *non poterat ingredi tectum fœderis*: hoc autem erat, propter reverentiam Divinæ præſentiæ: & ſimile habetur 3. *Reg. cap.* 8. Vbi dicitur, quod *non poterant Sacerdotes miniſtrare propter nebulam*: non quod obſcuraret eorum aſpectum, ſed quia erat Divinæ præſentiæ ſignum; ideoque non poterant appropinquare, propter reverentiam Deo debitam. Sic Moyſes prohibitus fuit appropinquare Rubro, in quo Deus loquebatur, propter reverentiam, quam mortalis homo debet habere Deo, ſibi ſpecialitèr præſente. Poſtquam autem Nubes operuit Sanctuarium, receſſit de medio Tabernaculi, ſtans aliqualitèr elevata ſuper ipſum, & tunc ſignum fuit, quod Moyſes poterat ingredi Sanctuarium ad miniſtrandum Deo.

CAP. I. Reflexio 219.

Mvlta Sacrificia iuſſa fuerunt à Deo in Veteri Lege, propter triplicem rationem. Prima fuit, ad revocandum Iudæos ab idolatria, ad quam proni erant, ut multitudine Sacrificiorum occupati, non poſſent vacare cultui Idolorum. Secunda fuit, ut per frequens Sacrificij exercitium generaretur in eis habitus, quouſque ad Dei cultum delectabilitèr adducerentur. Tertia fuit, quia Sacrificia Veteris Legis erant Figuræ unius veri Sacrificij Novæ Legis, nempè Chriſti Domini, tunc in Ara Crucis Immolandi: illud autem quod eſt perfectum, non poteſt per unum, vel pauca imperfecta repræſentari: quapropter ſicut perfectio Divina unica exiſtens, variè, & multipliciter repræſentatur in perfectionibus Creaturarum; ita decens fuit, ut noſtrum perfectiſſimum Sacrificium figuraretur per varia Sacrificia imperfecta Veteris Legis. Primum autem Sacrificium erat *Holocauſtum*, quod totum incendebatur ad honorem Divinum, & dicitur ab *Holon*, quod eſt totum, & *Cauma*, quod eſt incendium: & per hoc deſignabatur, quod Anima debebat totaliter inflammari, & referri ad amorem, & honorem Dei. In Holocauſto debebat animal eſſe maſculum, non fœmina; hæc enim eſt quid imperfectum, reſpectu maſculi. Debebat eſſe immaculatum, ideſt abſque defectu membrorum: unde antequam animalia introducerentur in Atrium, probabantur per Sacerdotes in quadam Eſdra remota, utrum eſſent apta ad immolandum. Inteſtina vero, & pedes lavabantur antequàm incenderentur; quia inteſtina continent Sordes. Et ſimiliter pedes, quia calcant lutum.

Pellis

Pellis etiam detrahebatur, quia reputabatur immunda: in Dei autem Sacrificijs neceſſaria eſt totalis munditia. Non ſolum autem de Bobus, Ovibus, & Capris iuſſit Dominus ſibi offerri Holocauſta, ſed etiam de Avibus: nempe Turturibus, & Pullis Columbæ, ut ſic provideret devotioni pauperum, ut qui non haberent Animalia maiora, poſſent offerre minora: prædicta autem Volatilia, ſunt in maxima multitudine in Paleſtina, & ideo ab omnibus capi poterant, vel parvo pretio emi. Porrò mandavit Deus ſibi offerri Turtures, & non filios earum, & vice verſa non Columbas, ſed filios illarum, quia Turtures ſunt meliores quam filij, & pulli Columbarum pinguiores quam Matres; Deo autem ſunt offerenda meliora, & perfectiora.

Reflexio 220.

QVia in Sacrificijs Domini recenſentur ſpecies quorumdam animalium, meritò quæri poteſt: quare fiebat Deo Sacrificium de tribus tantum ſpeciebus, ſcilicet Bovis, Ovis, & Capræ: et de duabus ſpeciebus Avium, nempè Turturis, & Columbæ? Ad cuius quæſiti reſolutionem notandum eſt: quod ſicut Sacrificia Veteris Legis fuerunt inſtituta ad tria ſupradicta, ſcilicèt ad revocandum Hebræos ab idolatria. Secundò ad inducendos illos ad cultum veri Dei. Tertiò ad figurandum perfectiſſimum Sacrificium Novæ Legis; ita ex hac triplici ratione conveniens fuit, aſſignare prædictas ſpecies Animalium. Propter primam: quia Ægyptij, inter quos Iudæi converſati fuerant, colebant prædicta animalia, Agnum videlicet, & Arietem, quia tali forma, quantum ad aliquid, ipſum Iovem repræſentabant; pingebant enim ipſum cum capite Arietis. Bovem vero, quia Apis, quod Aegyptij maximum Numen credebant, in ſpecie Tauris apparebat. Hircum verò, quia Dæmon aliquando apparebat eis in tali forma. Quapropter, apud Aegyptios nefas reputabatur mactare talia animalia, & ideo

ideò per oppoſitum, præcepit Deus ſola ſibi immolari iſta animalia, ut retraheret Iſraelitas ab errore Ægyptiorum. Similitèr propter ſecundam rationem: tunc enim homo debitè Deum colit, quando bona quæ habet recognoſcit ſe illa habere à Deo, eique de ipſis facit oblationem. Ideò convenientèr ordinavit Dominus, ſibi fieri Sacrificia de prædictis tribus ſpeciebus animalium, quia talia communiùs veniunt in uſum hominum; reliqua autem, vel ſunt Silveſtria, quibus homines communitèr non utuntur, vel ſi domeſtica, ſunt immunda. Similitèr propter tertiam rationem, nàm Bos ſignificabat Chriſti Domini fortitudinem; Ovis eius Innocentiam; Capra autem, & Hircus quæ fœtent, ſimilitudinem carnis peccati. De Turturibus, & Columbis ſimilitèr fiebat Sacrificium, quia frequentèr cadunt in uſus hominum, & ſunt mundi nutrimenti. Cœteræ verò Aves, vel ſunt magis ſilveſtres, vel ſi ſunt domeſticæ, veſcuntur ut plurimum, cibo immundo, ut Gallinę, & Anatres, & ſimiles. Item quia Turtur ſignificabat Chriſti Domini Caſtitatem; Columba, quæ felle caret, eius mitem dulcedinem. De piſcibus autem non fiebat Sacrificium, quia cum habitent in aquis, non ſunt ita præparati ad uſus hominum. Item quia extracti de aqua, citò moriuntur; & ideo non poterant vivi deferri ad Templum: Sacrificium autem propriè fit de viventibus.

CAP. II. Reflexio 221.

ACto de Sacrificio rerum viventium, hìc agitur de oblationibus rerum non viventium. Et primò ponitur Simila, quæ erat farina tritici purgatiſſima, & conſperſa oleo. De iſta tollebat Sacerdos ſolummodò pugillum, & cremabat ſuper Altare: ad denotandum, quod omne id quod habebat offerens, à ſolo Deo habebat. Cum

Simila offerebatur Thus, quod totum comburebatur, quia hoc directè pertinebat ad Deum. Signabat enim devotionem, & honorem erga Deum exhibitum ab offerente. Simila autem non ſpecialiter ad Deum magis, quam aliæ res pertinebat; ideo aliquid de illa, poſt cremationem pugilli, remanebat Sacerdoti, non verò de Thure. Tertia oblatio erant Panes abſque fermento conſperſi Oleo; & Lagana azyma ſimilitèr Oleo commixta. Quarta erat oblatio de Sartagine, cocta in patella cum Oleo. Quinta erat paſta cocta in craticula: cum iſtis autem ſemper ponebatur ſal. Cuius ratio erat, quia ſal præſervat à corruptione, quæ ſemper debet eſſe remota à Sacrificijs Dei. Prætereà ſal ſignat diſcretionem, quam Philoſophi appellant Prudentiam, ſine qua nulla Virtus moralis eſſe poteſt, & cum ea omnes virtutes morales eſſe neceſſe eſt, ut patet ex *Ariſt. 6. Ethic.* Et ideo per Sal denotabatur, quod nullum Sacrificium Deo placet, niſi fuerit factum cum diſcretione. Ratio verò reliquarum prædictarum oblationum ea eſt: quia oblatio debet fieri Deo de his, quæ communitèr veniunt in uſum hominis ad ſuſtentationem Vitæ: de Terræ autem naſcentibus, aliqua communiùs veniunt in ſuſtentationem hominis per modum nutrimenti, ut panis, & vinum quod infra iubetur offerri; aliqua veniunt per modum condimenti, cuiuſmodi ſunt ſal, & oleum; aliqua per modum medicamenti, & quantum ad hoc ponebatur Thus, quod eſt Aromaticum, & ſolidativum. Ratio verò ſpecialis Thuris, erat quia per hoc ſignificatur Devotio; & ideo ponebatur in omnibus oblationibus: ad ſignificandum, quod Sacrificia Veteris Legis, non erant accepta Deo de ſe, ſed tantum ex fide, & devotione offerentium. Ab oblatione fienda in Altari removebatur ſemper fermentatum: ut Iſraelitæ quotidie recordarentur de beneficio eductionis de Ægypto, in qua panes non fermentatos, ſed azymos comederunt. Similitèr excludebatur ab Altari Mel; ut ſemper haberent in memoriam amaritudinem Ægyptiacam, à qua Deus mirabiliter illos liberaverat. Item quia

fer-

fermentum ſignificat corruptionem; Dulcedo verò mellis, denotat carnis Laſciviam: iſta autem debent eſſe procul à Sacrificijs Domini. Licèt autem non poſſent iſta duo offerri in Altari; tamen de ipſis debebant dari primitiæ Sacerdotibus. Et ideò quando Iudæi coquebant panes fermentatos in domibus ſuis ad proprios uſus, mittebant ad Sacerdotes unum panem, antequam ullus de domo comederet. Similitèr de melle, mittendo primam partem Sacerdoti.

CAP. III. Reflexio 222.

CVm actum ſit de Holocauſto, & oblationibus requiſitis in illo, hìc redit Divina Scriptura ad proſequendum de Sacrificijs carnium, & agitur de Hoſtia pacifica, quæ offerebatur pro impetratione beneficij: & ſi illud erat obtentum, habebat rationem gratiarum actionis: ſi autem eſſet obtinendum, habebat rationem poſtulationis, & ideo vocabatur Hoſtia pacifica, quia quando Deus confert beneficium homini, videtur ei pacificatus. Similiter homo recipiens illud, pacificatur in animo, quia completur ſuum deſiderium. Hoc Sacrificium, non erat ita perfectum, ſicut Holocauſtum, & ideò etiam femella poterat offerri, & fiebant de illo tres partes. Vna incendebatur ad honorem Dei, videlicèt tota pinguendo partium interiorum cum Renunculis. Alia, cedebat in uſus Sacerdotum; nempe Armus dexter, & Pectuſculum. Alia erat offerentium, & ideo Hoſtia pacifica fiebat ſolum de Bobus, Ovibus, & Capris, non vero de Avibus, quia iſtæ non dividebantur. Sanguis autem Victimæ effundebatur per circuitum Altaris, ubi ſpecialiter repræſentabatur Deus; ut per hanc ſanguinis effuſionem, ſignaretur coram Deo remiſſum peccatum, quod reddebat hominem reum mortis, pro qua acceptabat Dominus mortem Pecoris. Similiter totus Adeps comburebatur ad ho-

norem Dei. Et ratio erat, quia ſicut ſupra dictum eſt, de illis potiſſimè debebat fieri oblatio Domino, quibus vita humana maximè ſuſtentatur: Sanguis autem eſt, in quo conſiſtit vita animalium; Adeps verò cauſatur ex abundantia nutrimenti, quo vita reparatur. Et ideò ut homines recognoſcerent ſe habere vitam, & ſuſtentationem à Deo, Adeps totus cremabatur ad honorem Dei; Sanguis autem ad crepidinem Altaris effundebatur. Sub pœna autem mortis prohibitus erat, tum Adeps, tum Sanguis; quia iſta duo erant ſpecialitèr dicata Deo, ut dictum eſt ſupra.

CAP. IV. Reflexio 223.

Viſo de duobus generibus Sacrificiorum, hìc agitur de tertio, quod erat hoſtia pro peccato: & primò ponitur de Sacrificio, quod fiebat pro peccato Summi Sacerdotis, in quo offerebatur Vitulus, in memoriam Vituli Conflatilis, quem fecit Aaron timore mortis in deſerto, & ponebat manus ſuas ſuper caput Hoſtiæ, ad proteſtandum, quod ſicut Vitulus erat occidendus, ita ipſe Summus Sacerdos, erat morte dignus pro tranſgreſſione Præcepti, niſi accepta eſſet eius oblatio ex miſericordia Dei. Deinde hauriebat de ſanguine Vituli, & aſpergebat ſepties coram Domino: ad deſignandam perfectam expiationem, quæ deſignatur per ſeptennarium numerum, qui univerſitatem denotat. Nam omnia quæ à Deo facta ſunt, in die ſeptimo completa fuerunt, & tota noſtra vita, per ſeptem dierum circulum agitur. Pellem verò, & omnes carnes Victimæ immolatæ efferebat extra Caſtra; ad denotandam gravitatem peccati, cuius Sacrificium non erat dignum comburi in Sanctuario Dei, nec in Caſtris, ſed extra illa. Maiora namque peccata, plus debent deteſtari quam minora: nullum autem peccatum ita magnum eſt, quam peccatum Summi

mi

mi Pontificis, tum intenſivè, tum extenſivè. Intenſivè quidem, quia in ſupremo ſtatu conſtituitur, unde tenetur honeſtius ſe habere quam cœteri. Adde quod hìc agitur de peccato propter ignorantiam; in Summo autem Sacerdote, ignorantia nimis deteſtanda eſt, cum teneatur ſcire Legem, & ad eius quæſtiones reſpondere. Extenſivè verò, quia peccante Summo Pontifice ad totam plebem extenditur occaſio peccandi; cum enim Paſtor per abruta graditur, conſequens eſt, ut Grex ad præcipitium ſequatur.

Reflexio 224.

POſt Sacrificium pro peccato Summi Sacerdotis, ſequitur de Sacrificio pro peccato Populi, & dicitur: quod ſi omnis Turba ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt, deberet offerre Vitulum. Peccabat autem tota Turba, quando aliqua ceremonia omittebatur, quæ à toto Populo erat obſervanda; vel tota Turba dicebatur errare, quando illi, qui principaliores erant in Populo, peccabant ignorando Legem quam ſcire tenebantur; in iſtis enim totus Populus eminenter continebatur. Adverte autem quod hìc non intelligitur de peccatis contra Decalogum; quia in his numquam contingeret totum Populum, aut omnes maiores delinquere, aut ſi contingeret, non eſſet hoc per ignorantiam, quia talia ſunt de dictamine rationis naturalis: ſed intelligitur de mandatis ceremonialibus, in quibus ex ignorantia, vel inadvertentia poterat totus Populus, vel maiores de illo errare. In hoc autem Sacrificio offerebatur Vitulus, in memoriam Vituli conflatilis in Deſerto, in quo ipſe Populus idolatrando deliquerat. Sacerdos autem magnus portabat ipſum Vitulum extra Caſtra, ibique illum comburebat. Per hanc autem cremationem extra Caſtra Vituli immolati, pro peccato totius Populi, expreſsè ſignificabatur, teſte Apoſtolo ad *Hebræ.* 13.

 Chriſtus

Chriſtus Dominus, qui pro peccatis totius humani generis paſſurus, & moriturus erat extra Civitatem Ieruſalem. Et hæc erat præcipua cauſa litteralis.

Reflexio 225.

Acto de Sacrificio pro peccato totius Populi, agitur deinde de Sacrificio pro peccato Principis, pro quo offerebatur Hircus. Et per hoc deſignabatur eius Principatus; quia Princeps eſt Dux Populi, ſicut Hircus Dux Caprarum. Per tale autem animal deſignabatur etiam gravitas ſui peccati: nam Hircus eſt animal fœtidum. Præterea peccatum Principis, eſt magnum extenſivè, quia contaminat Populum valde: nam ignara Plebs, putat eſſe licitum quicquid Princeps facit. Nobiles vero ipſum ſequuntur; tum ratione adulationis; tum ne incurrant eius indignationem, & lucra perdant. Carnes huius Sacrificij non cremabantur extra Caſtra; quia peccatum Principis, non reputabatur ita deteſtabile, ſicut Peccatum Summi Pontificis, & totius Populi; & ideo de Sanguine hoſtiæ immolatæ tingebantur ſolummodo Cornua Altaris Holucauſti; reliquus autem Sanguis, fundebatur ad Baſim illius: hoc erat enim generale in omnibus Sacrificijs, propter ſignificationes ſuperius adductas: ſed non inferebatur ſanguis intra Tabernaculum ſicut in duobus ſacrificijs prædictis ob rationem iam dictam.

Reflexio 226.

Dicto de peccato Principis, ſequitur de Sacrificio pro peccato privatæ perſonæ, in quo offerebatur Capra, ad denotandam ignorantiam peccatoris; quia Capra ſignat ſtoliditatem, quæ fuerat cauſa ſui peccati; nam ut ait Philoſophus: *Omnis peccans eſt ignorans*. Adverte autem, quod cum dicitur hic in teſtu: quod orante Sacerdote pro ipſo offerente, remitteretur illi peccatum, non intelligitur

tur quod remitteretur ei ex conditione Sacrificiorum, dicente Apoſtolo ad Hebræ: decimo: *Impoſſibile eſt ſanguine Hircorum, aut Vitulorum auferri peccata*, ſed remittebatur peccatum ex fide, & obedientia, & contritione ipſius offerentis. Vnde ſi aliquis, exiſtens in peccato mortali, obtuliſſet Sacrificium, non erat hoc placabile Deo, ſed abominabile; ideoque offerens debebat prius conteri, & dolere de peccatis, ut ſuæ Victimæ eſſent Deo acceptæ. Igitur, id quod per Sacrificium expiabatur, non erat culpa, cum ablatio culpæ non fieret niſi per actionem contriti cordis: nec iſta Sacrificia de ſe, ſufficiebant ad deletionem pænæ debitæ pro peccatis; ſed Offerentes merebantur ex ſua fide, & devotione, ut tolleretur pœna debita peccato in parte, vel in toto, ſi devotio magna fuiſſet. Hinc patet, quod Lex Moſaica per obſervationem ſuam non inducebat directè aliquam utilitatem; & per violationem ſuam inducebat mortem.

CAP. V. Reflexio 226.

SVpra actum eſt de Sacrificio exhibendo pro peccato ignorantiæ: hìc agitur de Sacrificijs pro peccato paſſionis, & negligentiæ. Primum contingebat ex inordinata affectione amoris, vel odij: videlicèt quando requirebatur ab aliquo Iuramentum de veritate dicenda; & hanc tacebat ex inordinato amore ad illum qui puniretur, vel damnificaretur, ſi ipſe detuliſſet teſtimonium veritatis: vel è contrario, quando tacebat veritatem ex odio; ut quando aliquis fuiſſet liberatus a calumnia, ſi veritatem dixiſſet. Peccatum vero per negligentiam erat, quando ex tactu rei immundæ aliquis polluebatur, & negligebat recurrere ad purificationem, oblituſque ſuæ immunditiæ intrabat Atrium Tabernaculi; vel comedebat de ſanctificatis, quæ non erant licita niſi hominibus mundis. Item peccatum ex negligentia erat, quãdo aliquis iurabat ſe facturum aliquod,

& negligebat adimplere, & ex iſta negligentia dabatur res oblivioni; poſtea vero recordabatur: tunc ergo debebat prius agere, ut dicitur in Tex, pœnitentiam, & poſtea offerre Sacrificium. Et per hoc patet, id quod ſupra diximus, ſcilicet: quod Sacrificia Veteris Legis, non proficiebant ex ſeipſis, ſed ex devotione offerentium; ſine pœnitentia autem, nulla eſt devotio; ideoque ſine pœnitentia, non poterat prodeſſe Sacrificium. Pro peccato igitur negligentiæ, & ex paſſione offerebatur Agnus, ſive Capra; & ſi peccans non potuiſſet propter paupertatem offerre iſta animalia, offerebat duos Turtures, vel duos Pullos Columbæ: quod ſi nec iſta potuiſſet invenire, tenebatur offerre decimam partem Ephi Similæ, ſed non ponebatur in ea Oleum aut Thus. Cauſa erat, quia per Oleum deſignabatur miſericordia Dei; per Thus vero, quod eſt odoriferum, ſignabatur acceptatio Divina; & ideo in oblatione pro peccato, non ponebatur Oleum nec Thus; quia peccator non debet ſeipſum aſſecurare, quod ſibi ſit dimiſſum; vel munus ſuum Deo acceptum; ſed ſemper debet timere.

Reflexio 227.

POnitur poſt prædicta, Sacrificium pro peccato commiſſo in abuſu Sacrorum; hoc enim pertinebat ad negligentiam. Circa quod ſciendum, quod aliqua fuerunt Sacra, quibus non erat licitum uti, ſicut Thymiamate pro delectatione odoris, & oleo unctionis pro medicamine infirmitatis, ut ſupra dictum eſt in *Exod. Refl.* 204. Alia erant, quæ non poterant quidem venire in uſus hominum modo prædicto: attamen peccabant, qui illa tangebant, niſi eſſent deputati ad illud officium. Alia erant Sacra, quæ debebantur Miniſtris Dei, ut Decimæ, & Primitiæ, & de abuſu talium, per errorem facto, tenebatur quis offerre Arietem, & inſuper ſi convertiſſet decimas in uſus ſuos, debebat dare rem ablatam ipſi Sacerdoti, & ulterius, quintam partem ipſius rei. Dicitur autem hic in Tex. in fine. *Dimittetur ei, quia per errorem*

torem deliquit in Domino: Ex quibus verbis, non infertur quod peccata, quæ ſunt per malitiam, non remittantur à Deo: nam quæcumque facinora perpetrata fuerint, ad unum gemitum animæ vere pœnitentis poſſunt deleri: peccata tamen quæ ſunt per ignorantiam, facilius remittuntur, cum non habeant in ſe tantam gravitatem. Nec obſtant verba Salvatoris Dei *Matth.* 12. ubi dicitur: *Quod peccatum in Spiritum Sanctum, non remittetur, neque in hoc Sæculo, neque in futuro*. Nam dico, quod peccatum in Spiritum Sanctum, ſi proprijſſimè accipiatur, excludit omnem contritionem, & dolorem de peccatis; & iſtud peccatum eſt unicum, videlicèt Finalis Impœnitentia; tunc enim impoſſibile eſt, quod remittatur, quia ſine dolore nulla ſit remiſſio, & de tali peccato loquitur Salvator Deus. Alij dicunt, quod ſi aliquis peccet per puram malitiam, tunc dicitur peccare in Spiritum Sanctum; utpote ſi deſperet de Divina miſericordia, iudicando non eſſe in Deo tantam Bonitatem, ut pœnitentibus gratis remittere velit. Sed dicendum, quod adhuc iſtud peccatum non eſt conſumatum, niſi per totam vitam teneat peccator hanc poſitionem, & in ea diem claudat. Super hanc autem maior malitia eſſe non poteſt, cum directè repugnet Bonitati Divinæ, quæ Spiritui Sancto attribuitur. Vnde dicendum, quod tale peccatum non remittitur in hoc Sæculo, neque in futuro; quia peccator tenuit illam malitiam per totam vitam in hoc Sæculo; & in futuro dolere fructuosè non poteſt, cum non ſit amplius in Via, ſed in Termino, in quo ceſſat poſſe mereri, vel demereri.

CAP. VI. Reflexio 228.

SVpra deſcripta fuerunt Sacrificia, quæ interpollatè fiebant, hìc deſcribitur illud, quod fiebat omni die; ideoque vocabatur *Iuge Sacrificium*, ideſt continuum, ſivè aſſiduum, & fiebat de publicis ſumptibus. Erat autem duplex

duplex. Vnum fiebat in mane, aliud in veſpere. Poſt Sacrificium autem matutinum, quod erat in aurora, fiebant omnia alia Sacrificia, quæ Populus offerre volebat, quæ poterant durare uſque ad veſperam: tunc enim offerebatur Sacrificium veſpertinum, poſt quod nullum aliud fieri poterat, & durabat per totam noctem, uſque ad auroram. Sacerdos namque miniſtrans debebat ſucceſſivè ponere partes Sacrificij ſuper Altare, & per totam noctem vigilare in Sanctuario, ut continue cremarentur partes Hoſtiæ,in veſpere immolatæ, & durarent uſque ad Auroram, in qua incipiebat Sacrificium matutinum. Porrò Sacerdotes quotidie accipiebant Cineres de Altari, & portabant illos extra caſtra in loco mundo, & hoc erat ad reverentiam Divini cultus; nam omnia quæ ad Deum colendum pertinuerant, debebant haberi in magno honore, & ſeparari à rebus profanis, nè iſtis admixtis, in contemptum haberentur. Comburebantur autem prædicti cineres uſque ad favillam, ne ibidem remaneret aliqua res Sacra, puta, pars oſſis non combuſti Victimæ immolatæ; aut aliqua pars Ligni non reſoluti, quæ quidem erat Sacra, cum res Sacras tetigiſset. Dum autem fieret reſolutio uſque ad favillam, non poterat dici, quod ibi eſſet res Sacra. Portando autem Sacerdotes cineres prædictos, deponebant veſtes Sacras, & accipiebant vulgares, quibus ſemper uti ſolebant; quia extrà Sanctuarium non licebat eis uti veſtibus Sacris.

Reflexio 229.

DEterminato de Sacrificiorum ritu, ponitur ſubſequentèr de illorum uſu: ſcilicèt à quibus, ubi, & qualitèr deberent comedi. Simila igitur, quæ poſt pugilli cremationem remanebat, ſpectabat ad Sacerdotes, qui illam comedebant in Loco Sancto, non ſub divo, ſed in quadam Eſdra ad hoc parata. Ibi enim Sacerdotes faciebant

ciebant panes ex ea, non fermentatos, ſed Azymos; quia nimirum talis ſimila erat pars illius quæ oblata fuerat Domino; quapropter ſequi debebat rationem totius: totum autem non erat fermentatum; ideo nec pars proveniens Sacerdotibus fermentari debebat. Iſti panes non poterant educi extra Sanctuarium, ſed comedi in eo à ſolis filijs maſculis Sacerdotum. Similitèr de carnibus Hoſtiæ immolatæ pro peccato, propter ſanctitatem Sacrificij, non erat licitum comedi à Filiabus Sacerdotum, vel Mulieribus de domo, nec à Servis; ſed ſolum filij maſculi comedere poterant, exceptis Sacrificijs exhibitis pro peccato Summi Pontificis, & totius Populi: in iſtis enim, totum quod erat in ipſo animali, præter Adeps, cremabatur extra Caſtra; & differebant à cæteris, quia pro iſtis inferebatur ſanguis intra Tabernaculum, & aſpergebatur ſepties contra Velum Sancti Sanctorum, & tingebantur cornua Altaris Thymiamatum; in cæteris autem ſolummodo effundebatur Sanguis ad Baſim Altaris Holocauſti. Porrò, ſi de Sanguine Hoſtiæ pro peccato, Veſtis fuiſſet aſperſa, lavabatur in loco Sancto, non verò extra ipſum, ne humor ſanguineus ibi exiſtens, humori aqueo cōmixtus, deflueret in loco immundo. Vas autem fictile in quo caro Sacrificij cocta fuerat, confringebatur. Si vero fuiſſet Æneum defricabatur ſolummodo, & poſtea lavabatur aqua. Ratio erat, quia per contactum aliquæ partes terreæ ipſarum carnium, reſolutæ in humores, adhæſerant vaſis fictilibus, quæ habent multas partes poroſas, à quibus non poterat auferri prædictus humor intruſus per actionem ignis; ideò confringebantur, ne amplius humanis miniſtrationibus deſervirent; deinde extra caſtra in Loco mundo deferebantur, ne inter res immundas conculcarentur. Vaſa autem Ænea non habent ullam poroſitatem, cum ſint ex materia ſolidiſſima, & terſa; ideo ſufficiebat quod defricarentur, & lavarentur.

CAP.

CAP. VII. Reflexio 230.

SVpra actum eſt de Sacrificio pro peccato, hìc agitur de Ritu Hoſtiæ pro delicto. Differt autem peccatum à delicto, quia peccatum conſiſtit in commiſſione, ſivè voluntaria, ſivè per ignorantiam. Delictum verò in ommiſſione. Vnde peccatum eſt, cum aliquis agit contra aliquam Legem poſitam; delictum verò, cum aliquis ommittit facere quod Lex fieri præcipit. Vtriuſque tamen Hoſtiæ una Lex erat quo ad uſum; nam carnes Sacrificij pro peccato commiſſionis, vel ommiſſionis erant Sacerdotis offerentis, exceptis his, quæ offerêbantur Deo: illi autem pro quibus offerebatur Sacrificium, non habebant de illo aliquam partem: ad denotandum quod debebant elongari à peccato perpetrato, & cavere à recidiuo. Prædicta autem quæ cedebant in uſum Sacerdotis offerentis, æqualiter dividebantur cunctis filijs Aaron; quæ quidem æqualitas ſic ſervabatur: quod quilibet Sacerdos habebat diem deputatum ad offerendum; & oblationes illius diei pertinebant ad ipſum pro ſe, & domo ſua. Similiter in Holocauſto, pellis Victimæ erat Sacerdotis offeren tis.

Reflexio 231.

ACto de Ritu, & uſu ſacrificiorum pro peccato, ſubſequitur de uſu Hoſtiæ Pacificæ, in qno terminabatur totus Ritus Sacrificiorum: & dicitur quod in Hoſtia pro gratiarum actione debebant Carnes comedi eadem die; & ſi quid remaneret,in craſtinum cremandum erat. Ratio præcepti erat, ne putreſceret, vel à beſtjs comederetur illa Caro quæ fuerat Deo oblata. Si verò Voto, vel ſponte quiſpiam obtuliſſet Hoſtiam,comedebantur ſimilitèr eadem die eius carnes; & ſi quid in craſtinum remanſiſſet, licitum

erat

erat veſci de illis carnibus, non autem in die tertio; adeoùt ſi offerens tertia die de illis comediſſet, irrita fiebat eius oblatio; ita quod redderetur indignus divina gratia. Ratio verò quare in Hoſtia pro gratiarum actione Carnes debebant comedi eadem die; Carnes verò Hoſtiæ votivæ, vel ſpontè oblatæ, comedi poterant etiam ſecunda die, ea erat: Quia Hoſtia pacifica, ut ſupra diximus, dupliciter offerebatur: Vno modo pro beneficio iam adepto; alio modo, habendo. Prima vocabatur Hoſtia laudativa. Secunda dicebatur Hoſtia ſpontanea, quæ non habebat ita rationem debiti, ſicut prima: nam pro beneficio accepto, magis tenetur homo ad ſerviendum Deo, quam pro beneficio ſperato, & ideò prima Hoſtia ſolemnior iudicabatur, & propter hoc non poterant ſervari eius carnes in craſtinum. In ſecunda vero Hoſtia, ex indulgentia permittebatur carnium eſus in craſtinum; ſed non die tertia, ne putreſcerent, vel appropinquarent corruptioni. Pectuſculum autē, & armus dexter de omni Hoſtia pacifica, cedebant in uſus Sacerdotum; cœteræ verò partes in uſus offerentium, exceptis ijs, quæ pertinebant ad Deum. Ratio autem cur Dominus levavit iſtas duas partes filijs Iſrael, tradens illas Sacerdotibus, fuit ad removendam in populo quandam ſpeciem Divinationis, quæ vocabatur Spatulomantia, qua utebantur Idolatræ: etenim in Spatula, & oſſe pectoris in ſuis Sacrificijs ſuperſtitioſè divinabant de futuris. Adeps verò, & Sanguis Hoſtię immolatę nō poterat comedi ſub pęna mortis, quia iſta ſpecialitèr pertinebant ad cultū Dei; & ideo abſtinere à prædictis erat ratione reverentiæ Domino debitę.

CAP. VIII. Reflexio 232.

POſtquam actum eſt de Sacrificijs, & oblationibus, hìc agitur de ipſis offerentibus ratione officij, cuiuſmodi erant Sacerdotes, qui cum deberent conſecrari, iuſſit Dominus Moyſi, ut congregaret omnem Populi multitudi-

nem

nem ad Oſtium Tabernaculi, ut omnes viderent, quod Aaron non ſe ingeſſit ad procurandam dignitatem; ſed illam ſuſcepit ex præcepto Dej. Sacerdotium namque, dicit quandam magnam dignitatem; ideò non decebat petere illam, ne Aaron videretur ambitioſus honoris, vel cupidus reddituum qui erant annexi dignitati Pontificiæ. Manente igitur Aaron cum filijs ad Oſtium Tabernaculi, videntibus omnibus, lavit illos Moyſes: quæ lotio deſignabat abſterſionem ſordium. Sacerdotes enim debent eſſe mundi Corde, & ab omnibus converſationibus, & inquinamentis veteris vitæ totalitèr purgati. Iſta lotio fiebat in manibus, & pedibus tantum; quia Sacerdotes debebant manibus Hoſtias immolare; pelles detrahere; adipes in Altari ponere; pedibus verò nudis tangere Sacrum Tabernaculi Pavimentum; ideò iſtæ partes debebant eſſe totalitèr mundæ. Deindè veſtivit Aaron, & filios eius Tunicis Sacris, & fudit oleum ſuper caput Aaron, filios autem ſolummodo aſperſit; quia ſicut ſummus Sacerdos differebat à Sacerdotibus Minoribus in gradu; ità opportebat differre in modo Conſecrationis. Deindè Moyſes, ſumens de Sanguine Arietis immolati, tetigit extremum Auriculæ dexteræ, & Pollices manus, ac pedis dexteri ſingulorum. Ratio ea eſt, quia homo applicatur ad cultum Dei per duo, ſcilicèt obediendo mandatis Divinis, & illa opere implendo: obedire autem in voluntate eſt; ſed hęc tangi non poteſt, cum non ſit aliquod corporeum; ideò tingebatur pars corporis, quæ maiorem habet approximationem ad Intellectum, & ad ipſam voluntatem qualis eſt Auris. Complere autem mandata Divina, pertinet ad partes executivas; & iſtæ ſunt duæ: nempè manus, quibus aliquid operamur, & pedes quibus tendimus ad operandum; & ideò manus, & pedes ſanguine tingebantur. Fiebat verò tinctio in aure dextera, & manu, ac pede dextero, propter maiorem reverentiam eorum, quæ ad Deum ordinata ſunt. Dexterum verò in omnibus animantibus perfectiùs eſt; & à parte dextera motus cauſatur. Et ſimilitèr pollices manus, ac pedis dexteri ungebantur;

tur; quia talis digitus eſt perfectior cæteris, & robuſtior; in quo eſt principium motus omnium digitorum.

Reflexio 233.

TErminata Sacerdotum Conſecratione, præcepit illis Moyſes, ne per ſeptem dies, & ſeptem noctes diſcederent de Oſtio Tabernaculi. Ratio præcepti fuit, ne implicarentur negocijs ſecularibus, donec completa eſſet eorum conſecratio, quæ durabat ſeptem diebus. Vnde nec pro comeſtione poterant exire Atrium Sacerdotum; ſed comedebant intra ipſum de Hoſtijs pacificis Deo exhibitis pro gratiarum actione, eo quod Dominus promoverat Aaron, & filios eius ad Sacerdotalem Dignitatem. Sed dices quomodo Moyſes conſecravit Aaron in ſummum Sacerdotem, cum ipſe non eſſet Sacerdos? Dicendum quod hoc fecit ex ſpeciali mandato Domini, qui per quemcumque poterat conſecrare Pontificem. Et ſi quæras, quomodo poſtea conſecrati fuerint Pontifices deſcendentes ab Aaron? Dicunt aliqui DD. quod hoc fuit per induitionem Veſtimentorum Pontificalium poſt mortem Prædeceſſoris; nec aliquod aliud requirebatur, ut videtur in Eleazaro fuiſſe obſervatum, *Num.* 20. Alij dicunt, quod talis conſecratio fiebat per Sacerdotes inferiores: ſicut nunc in Eccleſia Dei conſecratur Papa per inferiores ſe.

CAP. IX. Reflexio 234.

DEſcripta Sacerdotum Conſecratione, hìc deſcribitur executio ſui officij, quæ fuit in octavo die; per Conſecrationem namque completam, receperant poteſtatem miniſtrandi. Acceſſit ergo Aaron ad Altare, & immolavit Vitulum pro peccato, in memoriam Vituli ab eo fabricati

in

in deſerto; & Arietem, in memoriam Arietis immolati pro Iſaac, & Hircum pro peccato Populi, eo quod Hircus eſt animal fœtidum, ad denotandam gravitatem culpæ multitudinis: quia ſicut bonum commune eſt divinius; ità peccatum commune omni alio peius. Deinde obtulit Vitulum pro Vitulo conflatili, in quo peccavit omnis Populus in deſerto. Poſtea obtulit Agnum in memoriam Agni Paſchalis, pro cuius immolatione, fuerunt Iſraelitæ ſalvati ab Angelo percutiente. Tandem obtulit Bovem, & Arietem in Hoſtias pacificas, quod erat tertium genus Sacrificij: voluit enim Deus, quod omnia Sacrificia exhiberentur, quia erat prima oblatio. Completis Hoſtijs, ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron Tabernaculum; ut nimirum Moyſes oſtenderet ei modum offerendi Thymiama ſuper Altare Thymiamatis: licèt enim Sacrificia eſſent completa quantum ad illa, quæ fiebant in Altari Holocauſtorum, tamen non erant omnino conſummata, donec Sacerdos intraret ad offerendum incenſum. Egreſſi vero de Tabernaculo benedixerunt Populo, quæ benedictio fuit impretatio boni futuri. Tunc egreſſus ignis à Domino devoravit Holocauſtum, & Adipem, in ſignum manifeſtæ acceptationis Divinæ; ſicut *Gen.* 4. patuit de Sacrificio Abel, & de Sacrificio Eliæ in Monte Carmelo 3. *Reg.* 18. Porrò iſte ignis, abſque extinctione, fuit conſervatus à tempore quo miſſus fuit à Deo, ſcilicèt à ſecundo anno egreſſionis de Ægypto, uſque ad captivitatem Babylonicam, in qua fuit abſconditus per Sacerdotes illius temporis in Puteo profundo, & tempore Noemiæ iterum inventus, ut habetur 2. *Machabæorum cap. pr.* Iſte ignis non poterat extingui aquis, nec indigebat nutrimento, quia miraculosè ſervabatur. Volebat tamen Dominus, quod Sacerdotes nutrirent illum, ſubijcientes ligna per ſingulos dies.

CAP.

CAP. X. Reflexio 235.

DIcto de executione officij Sacerdotum, hìc agitur de illorum caſu. Etenim Nadab, & Abiù filij maiores Aaron, acceperunt duo Thurribula, quæ pendebant de cornibus Altaris Holocauſti, & in illis poſuerunt Ignem profanum: in Atrio namque Tabernaculi erat talis Ignis, qui inſerviebat ad coquendas carnes Sacrificiorum pro peccato, & pro Hoſtijs pacificis: non enim accipiebatur ignis de Altari, quia Sacer ille ignis debebat ſolummodo inſervire ad cremandum illa, quæ ponebantur ſuper Altare ad honorem Dei. Hoc igitur perpetrato, dum intraturi erant per oſtium Tabernaculi, ad ponendum Thurribula ſuper Altare Thymiamatis, egreſſus eſt ignis à Domino, ideſt ab Altari Holocauſtorum, in quo ſpeciali modo erat Deus, & devoravit illos, interficiendo videlicèt eos, quia corpora illorum nullo modo fuerunt conſumpta, nec veſtes ſuccenſæ, nam cum veſtibus prorſus intactis ſepulti fuerunt. Et ex hoc inolevit laudabilis conſuetudo, quod Sacerdotes Novæ Legis ſepeliantur cum veſtibus Sacerdotalibus. Dicunt autem aliqui DD. quod Nadab, & Abiù, moti fuerunt ad hoc faciendum ex contemptu Divinarum Ceremoniarum; nihil curantes, an de Sacro, vel de profano igne offerrent. Alij dicunt quod fuerunt ebrij: & hoc videtur ex litera præcedenti, cum dicitur: *Arreptiſque Thurribulis*. Arripere enim, denotat quandam impetuoſitatem. Ebrietas vero, turbolento motu, atque incompoſito homines trahit. Similiter hoc deducitur ex littera ſequenti, nam immediate dixit Deus Aaron: *Vinum, & omne quod inebriare poteſt non bibes tu, & filij tui, quando intratis in Tabernaculum Teſtimonij.*

Reflexio 236.

MOrtuis prædictis Sacerdotibus, iuſsit Moyſes ut eorum Cadavera portarentur extra Caſtra, quod ſtatìm fuit executioni mandatum, tulentes eos ſicut iacebant veſtitos Tunicis lineis. Deinde præcepit Sacerdotibus omnibus, ne nudarent Capita ſua, nec veſtimenta ſcinderent. Iſtæ namque erant Ceremoniæ plangentium funera charorum. Sacerdotibus autem, non convenit monſtrare ſigna magni doloris in morte ſuorum; quia iſtis certior debet eſſe ſpes Reſurrectionis, quam Sęcularibus, cum clariùs cognoſcant veritatem Sacræ Scripturæ. Item Moyſes prohibuit illis ne egrederentur extra Sanctuarium: erant enim noviter conſecrati; quapropter non decebat illos pergere ad talem luctum, ob prædictæ conſecrationis reverentiam. Porrò multum decuit, ut pro iſto peccato in errore Sacræ Adminiſtrationis, Nadab, & Abiù morerentur, quia Deus noviter tradiderat Legem Ceremoniarũ;undè ſi à principio non puniſſet contemptores, lex in poſterum non fuiſset obſervata.Semper enim parvus contemptus in principio mandati,eſt occaſio maioris prævaricationis, quam magnus contemptus in proſecutione rerum. Hinc Deus in cuiuſlibet rei principio obſervavit ultionẽ: nam in prima Mundi ætate,cum homines univerſalitèr declinaſſent ad malum, induxit ſuper terram Diluvium.Et in exordio naſcentis Eccleſiæ ſeverè delicta punita ſunt, ut patet de Anania, & Saphìra, ut poſteris eſſet exemplum non mentiri: poſtea verò, quamquam multa mendacia in fidelibus ſint, non tamen vindicantur, quia non expedit illa punire, ſicut in exordio novæ legis.

CAP. XI. Reflexio 237.

POſtquam actum eſt de offerentibus ratione officij, hic agitur de offerentibus ex profeſſione fidei, cuiuſmodi erant Sęculares. Iſti autem debebant eſſe mundi: ideò decuit, ſtatìm ac Aaron fuit con-

conſecratus, ut immediatè darentur Regulæ de munditia, & immunditia, ut ſciretur quid offerentes deberent vitare, ut eorum Hoſtiæ eſſent acceptæ. Recenſentur igitur in hoc capitulo Animalia munda ad eſum, & immunda. Et dicitur, quod de cunctis animalibus terræ, omne quod habet diviſam Vngulam, & ruminat in pecoribus, licebat comedi. Sciſſio namque pedis ſignum eſt temperatæ complexionis: etenìm Vngula oſtendit quod carnes animalis non ſunt nimis humidæ; nam animalia quæ ſunt magnæ humiditatis, non habent Vngulas, ſed carnes quaſdam papuloſas loco Vngularum. Item ſciſſio Vngulæ denotat, quod carnes non ſunt nimis terreſtres, & ſiccæ: quandoquidem diviſio fit propter quandam teneritudinem. Similiter Ruminatio, ſignum eſt temperatæ complexionis, eo quod alimentum benè digeritur, cum in parvas particulas reducatur. De animalibus verò aquaticis, poterant comedi illa, quæ habebant Pinnulas, & Squamas: Pinnulæ autem dicuntur Alæ piſcium quibus natant, & ſunt in cauda, & lateribus. Squamæ verò, ſunt quædam cruſtæ lucentes, & extenſæ ſuper cutem piſcium, tegentes totum corpus. Sunt autem piſces communitèr nocivi, propter ſuperabundantiam humiditatis; illi autem qui habeat ſquamas, & pinnulas ſunt ſiccioris complexionis, & magis temperatæ; quia pinnulæ, & ſquamæ, cum ſint duræ, & lucidæ, atteſtantur in piſcibus ſiccitatem; nam durum ex magna compactione partium denſatarum, excluſis partibus teneris, reſultat. Luciditas verò in eis non eſſet, ſi illa corpora non eſſent terſa, & denſa: terſum enim, & denſitas proveniunt ex quadam duritie, & ſiccitate.

Reflexio 238.

SEquitur de immunditia animalium, quæ comedi non poterant. Sciendum eſt autem, quod immunditia in lege veteri duplex erat: videlicèt Spiritualis, & Corporalis. Immunditia Spiritualis, quæ idem eſt ac peccatum,

non poterat eſſe in Brutis, cum ratione careant, & voluntate. Corporalis verò poterat eſſe in Brutis, & hoc dupliciter. Vno modo ſubiectivè, ſicut animalia venenoſa, & abominabilia, & quæ veſcuntur nutrimento immundo, ut Porcus; vel in loco immundo, nempè ſub terra habitant; ut Mures, Talpæ, & huiuſmodi; ex tali enim loco fœtorem contrhaunt. Alio modo effectivè, inquantum accepta in cibum faciunt malum nutrimentum; & hoc ex nimia humiditate, vel ſiccitate, ſeu alijs circumſtantijs, & ideò talia fuerunt reputata immunda, & prohibita Iudęis: undè generalitèr prohibebantur Volucres rapaces, quia rapacitas in eis eſt ſignum magnæ caliditatis, & ſiccitatis; quod ex eo patet, quia habent ſubſtantiam multum nervoſam, & fit in eis paucitas carnium, ex magno calore omnia devorante, & per conſequens, non ſunt boni nutrimenti, nam optima, & temperata complexio mediocritatem requirit inter calidum, & frigidum, ſiccum, & humidum. Proibentur deindè hìc multæ aliæ Aves: ut Vultures, quia nutriuntur Cadaveribus; Noctuæ, quæ ſunt abominabiles, non ſolum hominibus, ſed etiam alis avibus; Bubones qui ſunt aves nocturnæ, non ferentes ſplendorem diurnum; eſtque animal manens inter immunditias; cuius Vox, ſecundum opinionem Gentilium, in augurijs dirum denotabat Omen; unde quidam cecinit

Ovid. lib. 6. metam. *Eumenides ſtravere Thorum, Tectoque profanus*
Incumbit Bubo, Thalamoque in culmine ſedit.

Idem lib. 5. metam. *Fœdaque fit Volucris, venturi nuncia Luctus*
Infamis Bubo, dirum mortalibus Omen.

Demùm hìc generalitèr dicitur, quod quicquid ambulat de Volucribus ſuper quatuor pedes, immundum eſt; talia enim non ſunt bonæ complexionis, cum mixta ſint ex natura quadrupedum, & volatilium; quæ commixtio, non patitur mediocritatem complexionis. Excipiuntur tamen ab hac generalitate illa animalia, quæ habent Crura longiora, per quæ ſaliunt: ut ſunt Bruchus, Atacus, & Locuſta; & talibus veſcebatur Sanctus Ioannes Baptiſta in deſerto; ſunt enim boni,

& ſani

& ſani nutrimenti. Non ſolùm antem fuerunt prohibita animalia, quæ hic recenſentur, propter immunditiam, & malam complexionem; ſed etiam quia Idolatræ eis utebantur in Sacrificijs, & maleficijs ſuis. Item per aliqua ex prædictis animalibus figurabantur vitia, quę ſunt ab hominibus fugienda. Sicut Porcus ſignificabat Luxuriam; Lepus timiditatem ignaviæ; Camelus propter Gibbum quem habet in dorſo, tumorem ſuperbiæ, & ſic de alijs.

Reflexio 239.

POſt prohibitionem eius Animalium immundorum, ſequitur prohibitio tactus: determinatur enim, quod quicumque morticinia eorum tetigiſſet, immundus eſſet uſque ad Veſperam. Si verò portaſſet ipſum Morticinium, debebat lavare veſtimenta ſua, eratque immundus uſque ad occaſum Solis. Hæc autem lotio, non erat niſi quædam aſperſio ex aqua, in qua commixti erant cineres Vaccæ Rufæ. Sciendum verò quod iſtæ immunditiæ non erant niſi quædam irregularitates, per quas homo reddebatur ineptus ad intrandum Atrium, ubi erat locus Sacrificij; & ad comedendum de ſanctificatis, donec eſſet purgatus per prædictam ablutionem; vel per ſupradictum lapſum temporis. Et ratio ea erat: quia iſtæ Ceremoniæ erant quædam obſervationes, in quibus non reſpiciebatur quid ſecundum naturam eſſet; ſed quid appareret honeſtum ſecundum opinionem hominum: non videbatur autem honeſtum, ut aliquis modo incurriſſet immunditiã, & immediatè eſſet mundus per aquam Luſtrationis: ideò datum fuit tempus intermedium, parvum tamen, ſcilicèt uſque ad veſperam; ne homines per diſtantiam temporis nimis elongarentur à cultu divino. Quod autem homo eſſet immundus uſque ad Occaſum Solis, non vacabat myſterio: per hoc enim ſignificabatur, quod nullus in hac mortali vita eſt, qui totalitèr devitet immunditiam peccati, niſi in morte, quæ per Occaſum Solis denotabatur;

nam quandiù vivimus inſtabiles ſumus; cum autem Sol occiderit; ideſt præſens vita elapſa fuerit, tunc efficiemur mundi, quia ulteriùs peccare nequimus.

CAP. XII. Reflexio 240.

SVpra actum eſt de immunditia, quæ cauſabatur ab extra, hìc agitur de illa, quæ erat ab intrinſeco: & primo ponitur de immunditia Mulieris parientis, dum dicitur: Quod ſi Mulier ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erat ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ: videlicèt, quod in illis ſeptem diebus obſervare debebat omne id quod obſervabat Mulier menſtruata; ſcilicèt quod nullus ad illam accederet, & qui eam tangebat erat immundus, & omnia quæ ipſa tangebat fiebant immunda. Triginta verò tribus diebus manebat in ſanguine purificationis ſuæ: ideſt in ſanguine ſuo aliquantulum purificato, non tamen perfectè; & ideo in illis triginta tribus diebus poterat communicare cum alijs in cibo; non autem in Lecto. Illud tamen, quod tangebat, non fiebat per hoc immundum. Non poterat vero ingredi Atrium Sanctuarij, donec totaliter complerentur dies purgationis ſuæ; videlicet ſeptem maioris immunditiæ, & triginta tres minoris; erant enim in totum quadraginta dies. Si autem pepeririſſet fœminam, erat immunda octuaginta diebus: videlicet quatuordecim maioris immunditiæ, & ſexaginta ſex minoris. Cauſa diverſitatis dierum erat: quia formatio ſeminis in utero, & materiæ digeſtio, fit à calore ſeminali agente; in conceptu autem fœminæ eſt minor caliditas, & ideo tardius purificatur ipſa materia immunda. Expletis autem diebus purificationis offerebat Mulier Sacrificium, & pro ea Sacerdos orabat, & ſic mundabatur à culpa, quæ non contrahebatur in Partu, ſed in conceptu, in quo de communi curſu, eſt aliqua inordinata libido. Licet enim actus matrimonialis

lis poſſit exerceri ſine peccato, tamen ibi frequenter contingit inordinatio: Dicitur autem *in Tex. Et ſic mundabitur à profluvio Sanguinis ſui*. Quod quidem non intelligitur conſecutivè, quaſi ad orationem Sacerdotis oriretur munditia in Muliere, quia ſequeretur inconveniens: nempè quod Mulier immunda ingreſſa fuiſſet Sanctuarium; ſed intelligitur de illa immunditia, quæ ratione reverentiæ durabat, & eſt ſenſus: quod Sacerdote orante tollebatur impedimentum Mulieri accedendi ad res Sacras; & quod declarabatur prorsùs munda. Adverte autem quod cum hìc dicitur: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*: manifeſtè patet, hanc particulam fuiſſe à Spiritu Sancto poſitam, propter Beatiſſimam Virginem Dei Matrem, quæ peperit Chriſtum Dominum ſola virtute Spiritus Sancti; & per conſequens exempta fuit ab hac lege, quam tamèn ex humilitate obſervavit ad tollendum ſcandalum plebis. Nam, ſi vidiſſent Iudæi, quod Domina Noſtra non obſervaſſet hanc Legem, exiſtimaſſent illam tamquam profanam, ignorantes ineffabile Myſterium Incarnationis Filij Dei in Vterum Immaculatæ Virginis.

CAP. XIII. Reflexio 241.

POſtquam actum eſt de immunditia fœminæ parientis, hìc agitur de immunditia hominis Lepram patientis, & dicitur: Quod ſi in Cute hominis ortus fuiſſet diverſus colòr; ideſt notabilitèr variatus à Colore naturali priſtino; ſivè Puſtula, quæ eſt quædam collectio putredinis ſuper Cutem; vel lucens quippiam, ideſt tranſparens ſicut Pergamena: tùnc talis homo debebat adduci ad Sacerdotem: qui ſi aſpexiſſet Lepram in cute; ideſt ſimilitudinem Lepræ; & pilos mutatos in colorem album, ipſamque ſpeciem Lepræ, ideſt locum cutis, & carnis ubi apparet aliquod ſignum Lepræ humiliorem; tùm Cute, tùm reliqua

carne; debebat ſeparare talem hominem à cæteris. Tribus enim ſignis concurrentibus, iudicandus erat homo Leproſus. Primum erat, mutatio coloris naturalis pilorum in album, cum prius eſſent Nigri, vel Crocei. Et ratio ea eſt, quia pili oriuntur ex cute; & ideò cum habeant ortum à Carne infecta, & mutata in aliam qualitatem, ipſi quoque Pili in alterum colorem mutantur; qua propter erat ſufficiens ſignum ad ipſam Lepram iudicandam. Non accipitur autem hìc color albus propriè, quia Albedo eſt color Vividus, & naturalis, ſed accipitur pro candore cauſato ex corruptione, qui vocatur Albor. Secundum erat, mutatio naturalis coloris ipſius carnis in colorem album, habentem quandam tranſparentiam, & lucem, & ratio eſt: quia talis lux cauſatur ab aliqua interna corruptione; ſicut patet in pomis, in quorum ſuperficie apparet quædam lux, intus autem eſt putredo; adeò ut quantò magis ipſæ res putridiores fiunt, tanto magìs apparet iſta Lux. Tertium erat, quando Caro, & cutis in qua erat ſpecies Lepræ, humilior videbatur alijs partibus corporis, & ratio eſt: quia Lepra eſt corroſiva, conſumens carnem in qua manet; & ideò ipſa caro eſt inferior, ac profundior alijs partibus. Si verò ſpecies Lepræ non unam ſolummodò partem corporis, ſed totam cutem operuiſſet, à capite uſque ad pedes; tunc Sacerdos debebat iudicare talem hominem teneri Lepra mundiſſima, ut dicitur *in tex.* Accipitur autem Lepra hìc æquivoce, pro eo quod videbatur eſſe Lepra à vulgo; ideoque vocatur Lepra mundiſsima. Erat enim univerſalis ſcabies, quæ trhait putredinem humorum ab interiori ad cutem; & ſic per illam mundatur caro: ex bonitate namque naturæ, expellentis omnia inquinamenta à partibus interioribus ad ſuperficiem, cauſatur. Si verò vivens caro rubea, vel ſanguinolenta apparuiſset, debebat Sacerdos iudicare talem hominem immundum, quia talis corroſio erat effectus Lepræ. Vndè ille candor effuſus per totum corpus, non proveniebat ex bonitate naturæ expellentis putredinem à parte interiori ad ſuperficiem; ſed à corruptione, quæ erat

in

in carne. Iudicium autem Lepræ pertinebat ſolummodo ad Sacerdotes propter duas rationes principales. Prima: quia prędicta immunditia arcebat hominē ab ingreſſu Sanctuarij; qua propter tale iudicium pertinere debebat ad Miniſtrum rerum sacrarum. Secunda erat: quia clavis, vel poteſtas ligādi, & ſolvendi, conſequitur clavē diſcernendi. Sacerdos autē, habebat poteſtatem ſolvendi aliquem, recipiendo illum ad ingreſſum Sanctuarij, & repellendi illum; ideoq; ad ipſum ſolū pertinere debebat iudicare quis mundus, vel immundus eſſet. Secuto autem iudicio Sacerdotis, quo iudicabatur aliquis Leproſus, ſtatìm mittebatur extra Gaſtra in loco totalitèr remoto à populo, & habebat veſtimenta diſſuta, videlicèt in lateribus aperta. Veſtis etiam erat ſciſſa circa cor, in ſignum magni doloris: etenim apud antiquos conſuetudo fuit, quod veſtes ſcinderentur ad ſignificandam afflictionem animi. Habebat caput nudum, in ſignum humiliationis, & ſubiectionis. Os eius erat veſte contectum, propter aeris reſpirationem, ne inficeret aerem propinquum, & deindè aliquos aſtantes in aliqua diſtantia. Leproſi namque, non ſolum in ſuperficie cutis; ſed etiam ab interiori ſunt infecti, ideoque aer ab illis reſpiratus inficitur, cum tangat eorum pręcordia. Tandèm debebat ſemper clamare, confitendo se eſſe contaminatum ac ſordidum, ut ſic ab omnibus vitaretur:

Reflexio 242.

POſtquam actum eſt de Lepra, quæ erat in homine, ſequitur de illa, quæ reperiebatur in veſte; hæc tamen habebat originem ab homine, nam Lepra habet pro cauſa naturali improportionem humorum, quæ quidem improportio eſt in vivente: ideoque ſi erat in veſte, contingebat ratione contactus. Lepra enim eſt morbus contagioſus, & cum ſit virtutis corroſivæ, conſumptivæ, & reſolutivæ corroditur Caro, ex qua deinde elevantur aliquæ particulæ infectæ, quæ poſteà inhærent veſti, ipſamque inficiunt, idemque evenit in domibus. Igitur ponitur in text. ſignum

talis Lepræ, dum dicitur: Quod Sacerdos recludere debebat veſtem per ſeptem dies, & ſi in ſeptimo deprehendiſset creviſse Lepram, hoc eſt maculam, iudicare debebat eſse Lepram perſeverantem, & ratio ea erat: quia ſi fuiſſet aliqua alia macula non infectiva, non habuiſset aliquam virtutem, per quam creſceret. Lepra autem cum ſit virtutis corroſivæ ſe diffundit. Si autem non creviſſet pars illa, in qua erat macula, lavabatur, & recludebatur per alios ſeptem dies, quibus elapſis, ſi videbat Sacerdos partem illam non reverſam ad priſtinum colorem, debebat declarare veſtimentum immundum, quia manifeſte patebat, quod macula oriebatur, non ab exterioribus, ſed ab interioribus, ex eo quod per lotionem non receſſit macula. Si verò, poſtquam veſtis fuerat lota, obſcurior apparuiſſet locus Lepræ, ut dicitur in *Tex.* & accipitur hìc *Lepra* pro ſigno Lepræ, ſicut & in alijs locis frequenter; tunc veſtis iudicabatur munda, quia color obſcurus non pertinet ad Lepram. Auferebatur tamen pars illa à tota veſte, & alius pannus apponebatur, quia illa macula deformabat totum veſtimentum.

CAP. XIV. Reflexio 243.

ACtum eſt in ſuperioribus de cognitione Lepræ, hìc agitur de mundatione leproſi; quando ſcilicèt apparebat illum eſſe liberum à tali morbo. Igitur Sacerdos exibat in hoc caſu aliquantulum extra caſtra, & tunc leproſus veniebat ad eum, cui Sacerdos præcipiebat, ut offerret duos Paſſeres vivos, & Lignum Cedrinum; Vermiculumque, & Hyſſopum. Ratio huius oblationis erat: quia Lepra aufert vivacitatem ſenſuum, & ideò qui declarandus erat mundus, offerebat Paſſeres vivos, ad denotandam in ſe vivacitatem ſui corporis. Item Lepra affert putredinem; ideo offerebatur per oppoſitum, lignum cedrinum, quod eſt imputribile; ad denotandam in ſe ipſo excluſionem pu-

putredinis. Et quia Lepra aufert colorem carnis,ideo per oppoſitum offerebat Leproſus filum Rubeum;nam color rubeus eſt vividus. Demum quia Lepra ſecum fert fętorem,offerebat homo ſanatus Hyſſopum,quæ eſt herba odorifera;ut ſignaret ſe reverſum ad ſtatum naturalem. Vnus autem de paſſeribus immolabatur in Vaſe fictili ſuper aquas viventes. Sunt autem aquæ viventes illæ,quæ habent in ſe principium ſuæ originis, & motus; ſicuti Fontales, Fluviales, & Puteales. Ratio ea erat, quia iſtæ aquæ erant ad purificationem; ideoque debebant eſſe puræ: aquæ autem mortuæ non ſunt puræ, nam propter quietem contrahunt quandam groſſitiem, & immunditiam, ut patet in ſtagnis, & Paludibus. Per hoc autem deſignabatur quod caro quæ prius videbatur, ratione Lepræ, mortua, erat reſtituta vitæ. Deindè fiebat quoddam Aſperſorium ex ligno cedrino oblato, cui alligabatur Hyſſopus, & Paſſer vivus cum filo Coccineo; & iſta duo ſic alligata, tingebantur in aqua viva, poſita in vaſe fictili,cui mixtus erat ſanguis Paſſeris immolati, & aſpergebatur ſepties homo; ad denotandum in eo perfectam munditiem: Septenarius enìm numerus perfectus eſt. Deindè Sacerdos dimittebat paſſarem vivum ut in Agrum avolaret: ad deſignandum quod homo ſic purgatus, cum priùs eſſet ligatus vinculo legis, ne poſſet libere communicare cum alijs, reſtituebatur cohabitationi hominum; ſicut Paſſer priùs ligatus, ne poſſet volare ubi vellet, ſolvebatur, ut cum alijs Paſſeribus liberè maneret. Iſtis ceremonijs peractis, radebat mundatus omnes pilos carnis ſuæ ad tollendas omnes ſordes. Die autem octavo offerebat Sacrificium, & olei ſextarium; tùm ad deſignandam ſuam ſanitatem, quia oleum habet vim ſanativam Puſtularum, & Apoſtematum; tùm quia in ſcripturis Sanctis, Oleum ſignificat Divinam Miſericordiam, per quam Leproſus ſanabatur. Deindè, Sanguine Hoſtiæ immolatæ tingebantur manus, pedes, & extremum auriculæ dexteræ illius. Et ratio huius Ceremoniæ erat: quia ſanguis eſt ad expiationem; expiatio autem debet eſſe in illis partibus in quibus

eſt

eſt actus peccati: iſtæ autem ſun tres, nempè Auris quo debemus audire præcepta; manus, & pedes quibus operamur; ideò in iſtis fiebat purificatio, ut conſtaret, remitti quicquid homo iſte peccaverat. Fundebatur autem Oleum ſuper ſanguinem qui effuſus erat pro delicto; ad deſignandum Deum propitiari ſanguini illius qui mundabatur.

CAP. XV. Reflexio 244.

Dicto de mundatione Leproſi, hìc agitur de fluxu ſeminis. Igitur Vir, qui patiebatur fluxum ſeminis erat immundus. Notandum eſt autem, quod aliquis dicitur pati fluxum ſeminis, & efficere fluxum ſeminis: cum enim homo voluntariè id agit, non dicitur pati fluxum ſeminis, ſed efficere, quia principia agendi in ipſo ſunt. Pati verò, non eſt in poteſtate patientis, cum fluat ſemen etiam ipſo repugnante. Principium vero naturale cauſans in homine, præter ſuam voluntatem hunc fluxum, eſt phantaſia. Iſta namque potentia dominatur toti naturæ corporali, & maximè in ſomno: nam quia tunc operatur homo per ſolam phantaſiam, operationes eius fortiores ſunt, quam in vigilia, in qua homo per rationem, tamquam per primum principium, multa operatur. Igitur, cum in ſomnijs fiat motus in phantaſia ſuper aliquas ſpecies rerum delectabilium, tanta ex hac appræhenſione fit mutatio in corpore, ut ſeminis effuſio ſequatur. Talis ergo homo erat immundus, adeoùt, Stratum in quo iacebat, & Sella in qua manebat, immunda erant; quia ſupponebatur humorem fætidum cecidiſſe ſuper prædicta. Item omnes qui carnem illius tangebant; & locus in quo manſerat, efficiebantur immundi usque ad Veſperam. Poſt curationem autem huius fluxus, elapſis ſeptem diebus, lavabatur in aquis viventibus; quia iſtæ ſunt mundiores, propter propinquitatem ad ſuam originem; & ſalubriores, propter continuum motum. Die autem octavo offerebat duos Turtures; aut duos pullos Columbæ:

unum

unum pro peccato, & alterum in Holocauſtum. Licèt autem dicatur in *Tex.* quod tunc Sacerdos rogaret pro eo Dominum, ut mundaretur à fluxu ſeminis; tamèn talis homo iam erat mundatus, alioquin non potuiſſet ingredi Sanctuarium; ideoque debet intelligi, quod mundabatur reſpectu vulgaris exiſtimationis. Similitèr homo coeundo cum fœmina, contrahebat immunditiam; nec ſit differentia an pollueretur cum uxore, vel cum extranea, quia in hoc nulla erat differentia; nam ita prohibitus erat ab ingreſſu Sanctuarij ille qui pollutus erat cum uxore, ſicut cum adultera: non enim ponebatur immunditia quaſi in opere eſſet peccatum; ſed quia ibi erat pollutio corporalis in effuſione ſeminis. Vir igitur iſte lavare debebat corpus ſuum, & veſtimenta; ſimilitèr & Mulier, ſi voluiſſent ingredi Sanctuarium; ſi verò noluiſſent intrare, per elapſum temporis mundabantur.

Reflexio 245.

Poſt immunditias hominum ſequitur de immunditia fœminarum. Sciendum eſt autem quod Mulieres, à tempore quo incipiunt eſſe aptæ ad concipiendum, uſque ad tempus quo concipere deſinunt, quolibet menſe habent hanc paſſionem, quæ vocatur fluxus ſanguinis menſtrui, niſi impediantur per infirmitatem, vel per conceptum. Et benè dicitur paſſio, quia talis fluxus non venit voluntarius, ſed ex neceſſitate naturæ. Per talem igitur paſſionem Mulier ſeparabatur ſeptem diebus; nec ullus communicabat cum ea in cibo, & Lecto. Omne id in quo dormiebat, vel ſedebat, immundum efficiebat, quia ſuper illa ſupponebatur cecidiſſe aliquod de fluxu menſtruali, quod valdè fœtidum eſt atque peſtiferum; adeoùt ſi Canis de illo guſtet, in rabiem vertitur; & ſi cadat ſuper arbores, ſiccantur. Homo vèrò qui illam tetigiſſet, immundus erat uſque ad veſperam, ſi tamèn ignorantèr hoc feciſſet, & factum eſſet occultum: nam ſi ſcientèr ad illam acceſſiſſet, & mulier ſcientèr conſenſiſſet, & de hoc con-

convincerentur in iudicio, pœnam mortis incurrebant, ut patet infra *cap.* 20. Prohibebatur verò acceſſio ad mulierem menſtruatam, non ſolum propter immunditiam prædictam excludendam; ſed etiam quia ex tali coitu, ut plurimum, ſolent generari partus monſtruoſi; vel ſaltèm patientes aliquam notabilē infirmitatē, in aliqua parte corporis cōtrhaunt, vel in toto, cū fiat generatio de illa materia peſtifera quę excluden-erat ad naturæ purificationem. Si verò Mulier pateretur multis diebus fluxum ſanguinis, ſed non in tempore menſtruali, erat immunda ſicut in menſtruis. Ceſſata verò fluxione debebat ſtare per ſeptem dies, à ceſſatione ſanguinis; & in die octavo offerre duos Turtures, aut duos pullos columbarum; unus pro peccato; alter in Holocauſtum, ad reddendas gratias Domino, qui illam ſanaverat. In menſtruata autem non fiebat oblatio, quia iſta immunditia erat purè naturalis, & ideò non videbatur aliquod motivum offerendi, tamquam iſta Mulier ab aliqua ægritudine liberaretur.

CAP. XVI. Reflexio 246.

SVperius actum eſt de purgatione ab immunditia, inquantum tangebat perſonas particulares; hìc agitur de purgatione generali, quæ reſpiciebat totum populum, & fiebat decima die Menſis Septimi, cui correſpondet noſter September, & vocabatur feſtum Expiationis, ſeù Propitiationis. Duplici autem de cauſa fiebat hoc feſtum. Vna erat, quia in tali die, fuit per Moyſem denunciatum peccatum remiſſum de conflatione Vituli in deſerto. Alia erat, quia Iudæi frequenter, & ex multis cauſis contrahebant immunditias; & quia aliqui propter negligentiam, vel ignorantiam omittebant emundari; ideò ſemel in anno fiebat generalis purgatio; & propter hoc vocabatur *Dies expiationis*. In iſta die poterat, & debebat Summus Sacerdos

cerdos ingredi in Sancta Sanctorum: antequam tamen intraret ibidem, ponebat Thymiama ſuper Prunas, ut exhalaret nebula, & ferebat in manu ſua aliud Thymiama, ut ſi deficeret nebula, de novo orìretur ex combuſtione novi Thymiamatis; adeoùt non contingeret Sacerdotem eſſe ſine nebula aſcendente, nam tùnc vidiſſet id quod erat ſuper Propitiatorium, nempè Angelum, ibidem loquentem, quod ſub pœna mortis erat illi interdictum. Moyſes autem, cum intrabat in Sancta Sànctorum nihil ferebat in manu de Thymiamate, quia dignus erat viſione Angeli, ex ſpeciali gratia Dei. Summus autem Sacerdos, dignus habebatur ſolumodò audire vocem; ſed non videre illam formam. Poſt hæc Summus Sacerdos offerebat Vitulum pro peccato ſuo; quia ad hoc quod Deus cceptaret preces illius, orantis pro populo, oportebat ut ꝯſe eſſet mundus. Poſt hanc immolationem, accipiebat ab niverſa multitudine duos Hircos; mittebatque ſuper utrumue ſortem, ut determinaretur per hoc, quis eorum mitndus eſſet in deſertum, ad portandas iniquitates filiorum rael, & quis eſſet immolandus. Hoc autem monſtrabat eus per ſignum ſortium: nam ſi Iudæi pro arbitrio ſuo unum orum accepiſſent, fortè putaſſent, quod tale animal non rtaſſet ſuas iniquitates; cum ignorarent an Dominus ipſum :giſſet. Conſiderandum tamen eſt, quod tales ſortes perttebantur, ex parvitate fidei illorum quibus dabantur. Et ile eſt in ſortibus, quæ datæ ſunt ad eligendum unum oſtolum, quando ſors cecidit ſuper Matthiam. Nam adhùc oſtoli erant infirmi in Fide. Quando verò fuerunt confir:i per Spiritum Sanctum cælitus miſſum, iam non fecerunt uid per ſortes, ſed per electionem; & ſic modo obſervat leſia Dei, ut nunquam ſortibus utatur, niſi in quibuſdam ›us, in quibus alias diſcerni non poſſet.

Reflexio 247.

POſtquam igitur per ſortes apparuit quis eſſet Hircus qui debebat offerri Domino in Sacrificium, mactabat Sacerdos illum; & de ſanguine eius inferebat in Sancta Sanctorum, ut expiaret Sanctuarium ab immunditijs filiorum Iſrael. Non eſt tamen intelligendum, quod Sanctuarium haberet in ſe aliquod peccatum, cum eſſet res inanimata; ſed dicebatur quodammodo pollui ex peccatis Sacerdotum, & populi. Deindè, Sanguine prædicti animalis, aſpergebat directè contra Oraculum: ad deſignandum, quod aliqualiter offerebat ſatisfactionem Deo. Nam ſicut ſi aliqis offendiſſet alium; tunc offenſus iudicaret ſibi eſſe ſatisfactum, ſi offenſor occideretur coram eo: ita hìc, ut videretur Deo ſatisfieri, fundebatur ſanguis animalis coram Propitiatorio, ubi Deus principalitèr eſſe dicebatur. Poſt expiationem Sancta Sanctorum, expiabat Pontifex reliquam partem Tabernaculi, quæ dicedatur *Sancta*; tingens ſanguine Altare Thymiamatis; & dum faciebat hanc functionem, nullus hominum manere poterat in Tabernaculo, ne diſtraheretur Sacerdos à Miniſterio, quia tunc debebat eſſe maximè elevatus in Deum. Expiato Sanctuario exibat Summus Sacerdos ad offerendum Hircum Emiſſarium coram Domino; & poſita utraque manu ſuper capùt Victimæ, confitebatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & peccata in generali; rogans Deum, ut pœnam debitam vellet transferre in Hircum: qui ſtatìm mittebatur in deſertum Feris devorandus, pro omnibus morte dignis ratione peccatorum. Sed dices iſtam ceremoniam confitendi peccata Hirco fuiſſe irrationabilem, cum nihil audiret de illis quæ dicebantur à Sacerdote; undè meliùs fuiſſet confiteri aliquo alio Sacerdoti, ſecundum quod nunc fit in Eccleſia Dei. Dicendum, quod confeſſio quæ fit Sacerdotibus, non conveniebat aliquo modo tempore Legis antiquæ; quia tunc lex non fuiſſet umbra futurorum bonorum, ſed imago præ-

præſentium. Adde, quod confeſſio habet efficaciam à paſſione Chriſti Domini, qui ſtatuit, ut quicumque confiteretur peccata ſua, particeps eſſet redemptionis ab ipſo causatæ; contulitque Sacerdotibus novæ legis poteſtatem clavium, ut ſolverent, vel ligarent: tempore autem veteris legis, non fuerat exhibita paſſio filij Dei, & ideò Sacerdotes non habebant claves ad ſolvendum, vel ligandum; unde confeſſio illis facta, nihil poterat proficere, quapropter convenientius fuit confiteri, ut dictum eſt ſuprà; omnis enim, qui hoc videbat, ſatis intelligebat, iſtam confeſſionem fieri, non propter aliquem profectum, quem haberet in ſe; ſed propter aliquam ſignificationem, quod pertinet ad rationem umbræ.

CAP. XVII. Reflexio 248.

POſtquam actum eſt de purgatione generali, quæ fiebat per quædam Sacrificia, hìc agitur de loco Sacrificij. Et ſub pœna mortis prohibetur, ne aliquis occideret Bovem, aut Ovem in Caſtris, vel extra, ut intelligitur de occiſione per modum Sacrificij. Hoc autem fuit à Deo prohibitum, ad vitandam Idolatriam in populo; ad hanc enim erant Iudęi proni: quapropter, ſi cuilibet licitum fuiſſet immolare ubi voluiſſet, ſicut faciebant Gentiles, citò ad Gentilem ritum Iſraelitæ declinaſſent; & quilibet ſibi uſurpaſſet officium Sacerdotale. Dum verò legitur aliquos Sanctos in veteri lege obtuliſſe ſacrificia extra Tabernaculum, ſicut patet de Manue *Iudic.* 13. & de Elia 3. *Reg. cap.* 18. Hoc fuit per Dei revelationem, & inſtinctu Spiritus Sancti; quod patet ex ſubſequenti miraculo. Nam ignis deſcendit de Cœlo, & conſumpſit eorum ſacrificia, in ſignum Divinæ acceptationis. Secundò, prohibetur paritèr ſub pœna mortis eſus Sanguinis, propter duas rationes in Textu allegatas. Prima erat, quia anima in ſanguine eſt. Et ad intelligentiam adverte: quod in tantum ani-

ma exiſtit in corpore, in quantum ſunt in ipſo corpore aliquæ diſpoſitiones requiſitæ ad hoc ut anima informet corpus, inter quas ſunt duæ principales: nempe humidum radicale, & calidum naturale, in quibus fundatur vita animalis: iſtæ vero magis reperiuntur in ſanguine, quam in alio humore; nam in ſanguine eſt humidum, & calidum temperatum; & ideo anima magis fundatur in proportione ſanguinis, quam in alijs humoribus; ideoque dicitur, quod anima eſt in ſanguine. Hunc autem comedere, videbatur quodammodo comedi vita animalis, quod erat nimis crudele. Deus autem intendebat retrahere Iudæos à crudelitate, ad quam erant multùm dediti. Secunda ratio erat, quia Dominus dederat ſanguinem animalium ipſis Iſraelitis, ut illum offerrent ſuper Altare, ad peccata ipſorum expianda: quod ergo aſſignatum erat in peccatorum remedium, non erat licitum ſumi in corporis alimentum.

CAP. XVIII. Reflexio 249.

TRaditis præceptis quibus amovebatur immunditia, hìc ponuntur præcepta ordinativa vitæ: & inducuntur Iudæi ad ipſa adimplenda ex auctoritate præcipientis, cum dicitur: *Ego ſum Dominus Deus veſter*. In quibus verbis, ſunt duo inductiva ad ſuſcipiendum, & adimplendam Legem, nempè Timor, & Amor, quæ in omnibus affectibus movent hominem ad aliquod agendum. Amor autem notatur cum exprimitur Nomen Dei; nam Deus nomen amoris eſt, & propter reverentiam ſuam, deberent homines facere omnia quæ mandat. Timor verò notatur cum dicitur *Dominus*, nam Dominus, Nomen timoris eſt. In obſervantia autem præceptorum, proponitur præmium cum dicitur, *Cuſtodite leges meas, atque Iudicia, quæ faciens homo vivet in eis*. Etenim obſervantes Legem primò vivebant vita Naturæ in proſperitate: nam ſecundum decur-

ſum

ſum veteris Teſtamenti, patet quod quando filij Iſrael ſervaverunt Dei mandata, fuerunt etiam in quiete, & proſperitate; quandò verò declinaverunt ab ea, in captivitatem, in famem, & in gladium dati fuerunt. Secundò, vita Gratiæ: licèt enim opera legis, ſecundum ſe accepta, non iuſtificarent, tamèn in quantum fiebant ex obebientia ad Deum, & in fide Mediatoris tunc venturi, iuſtificabant; talis verò iuſtificatio in ſcripturis Sanctis attribuitur fidei, & obedientiæ ad Deum. Tertiò, vita Gloriæ, quia illa opera, modo prædicto, erant meritoria vitæ eternæ; non tamen habendæ ſtatim, ſed amoto impedimento generali, per mortem Chriſti Domini.

Reflexio 250.

POſt præcepta ordinativa vitæ, ponitur explicatio præceptorum, ordinantium hominem proùt eſt principium propagationis. Debita autem propagatio impeditur ex illegitimatione perſonarum; ideoque prohibentur gradus Coniugij illiciti. Et primò prohibentur accipi in matrimonium Deſcendentes; nam turpitudo Filiæ, & Neptis, omniumque Deſcendentium, eſt turpitudo patris, à quo deſcenderunt, quia omnes ſunt de ſubſtantia illius, nam aliquo modo habuerunt identitatem in illo; cum aliquando fuerint particulæ illius, & ab illo deciſæ, ut ait *Ariſt.* 8. *Etich*: turpe igitur eſſet, quod aliquis turpitudinem iſtarum perſonarum revelaret, quoniam turpitudo ſua eſt. Secundò prohibentur accipi Aſcendentes, quia hoc eſt contra ordinem naturæ. Etenìm natura ſemper vult propagationem, & dilationem: ſi autem Deſcendentes unirentur Aſcendentibus in matrimonium, non fieret dilatatio, ſed converſio ad ſuum principium. Tertiò interdicitur, ne aliquis ducat in matrimonium Sororem; ſivè domi genitam, ſivè foris. Dicitur autem genita in domo, quãdo gignitur ex fœdere matrimoniali; foris verò, quando gignitur ex Concubina; nam intra domum ſunt illa quæ domum conſtituunt, ſcilicèt Vir, & Vxor, Servus, &

Bos,ut ait *Ariſt.pr. Polit.* ideò genita ex Vxore, dicitur genita in domo; quæ autem ex Concubina, vel ex adultera, non; quia Concubina, & Mœcus, non conſtituunt unam æconomiam. Similitèr prohibetur, ne aliquis revelet turpitudinem Vxoris fratris ſui: intelligitur tamen exceptus caſus, quando frater moriebatur ſine liberis; tunc enim frater ſuperſtes,non ſolum poterat eam accipere in Vxorem,ſed tenebatur, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo defuncto, ut patet *Deut.cap.* 25.

CAP. XIX. Reflexio 251.

POſitis Præceptis ordinativis vitæ humanæ, in quantum eſt principium generationis, hìc ponuntur Præcepta ordinativa vitæ, pro ut homo eſt principium ſuæ operationis, & recapitulantur aliqua Præcepta pertinentia ad Ius Naturæ, & ad Sacrificia peragenda. Deinde ordinatur naturalis affectus erga pauperes, dum præcipitur non ſecari omnes fruges, ſed relinqui aliquod in extremitate, vel Angulo; idemque erat iuſſum in vinea, & Olivetis, quo pauperes, & peregrini alerentur. Secundò prohibetur defraudatio mercedis operariorum; tales enim ſunt pauperes, de quotidiano labore viventes, ideoque non poſſunt expectare dilationem ſolutionis, abſque notabili ſuo detrimento. Tertiò inſtruuntur Iudices, ne conſiderent perſonam pauperis, quando Iuſtitia per hoc lœderetur; nec honorent vultum potentis. Quartò præcipitur dilectio amicorum, dum dicitur: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*. Per iſta autem verba non ſignificatur æqualitas; nam nullus homo hoc facere poſſet, cum bonum noſtrum magis, quam aliorum, naturalitèr intendamus, ſed ſolum denotatur ſimilitudo quædam, ſcilicèt, quod ſicut aliquis ſibi benefacit, & pro utilitate ſua laborat; ita amico ſuo aliqualiter benefaciat, & pro ſublevandis illius neceſſitatibus intendat.

Quin-

Quintò prohibetur, ne quis faceret coire Iumentum ſuum cum animali alterius generis; tum quia talis coitus eſſet contra ordinem naturæ; tum quia, ex aſpectu talium, poſſent homines induci ad vitium peccati brutalis. Præcipiebatur etiam hoc in deteſtationem idolatriæ, nam Idolatræ colentes Cœli militiam, faciebant in coniunctionibus Planetarum coire diverſa ſpecie animalia. Et eàdem ratione diverſa ſemina in eodem agro coniunctim ſeminabant; & veſtibus ex pluribus contextis, utpotè ex lana, & lino, vel ex diverſis coloribus utebantur, in venerationem Siderum. Sextò iubetur, quod cum ingreſſi fuiſsent Iudæi in terram Chanaam, auferrent præputia arborum. Accipitur autem præputium in arboribus, pro eo quod primò naſcitur. Quod autem primo erumpit, ſunt Gemmæ, quæ abſcindi debebant. Et ratio erat, quia poſtea arbores ſunt minus utiles, quando nimis cito faciunt fructum, nam ſubſtantiale nutrimentum, natum ad magnitudinem, & confortationem arboris, tranſit in fructus, & ideo efficiuntur parvæ altitudinis, & modicæ durationis: ſicut accidit in pueris, qui in tenera ætate coire incipiunt: in iſtis enim ſtatura, & robur corporis, & pulchritudo deperditur, & cum pervenerint ad virilem ætatem, nequeunt gignere proles perfectas. Poma verò quæ germinabant tribus primis annis (nam aliquando non auferebantur perfectè flores, vel gemmæ ex negligentia, vel oblivione, & ideo arbores edebant fructus) erant immunda. Cauſa erat propter ſanitatem fructuum ad cibos humanos: nam iſti in primo triennio ſunt multum terrei, & aquoſi; quia ibi eſt parva caliditas pro digerenda terreſtrietate, & aquoſitate fructus, ideoque nocivi ſunt. Cum autem ad quartum annum pervenerint, ſunt perfectè digeſtibiles, cum arbor ſit perfecta in vigore ſuo: quapropter fructus quarti anni, utpote perfecti, offerebantur Domino, & cedebant in uſus Sacerdotum. Septimò prohibentur auguria, & Divinationes; nam velle ſcire res futuras per auguria, & ſuperſtitiones, eſt ſubtrahere Deo honorem; preſcire enim futura, Deitatis Ius eſt.

CAP. XX. Reflexio 252.

CVm poſita fuerint Præcepta ordinativa vitæ, abſque determinatione pœnæ in eorum trangreſſione; hic aliqua replicantur aſſignando debitam punitionem. Et ratio huius ordinis eſt; quia intentio Legiſlatoris eſt facere cives bonos, & virtuoſos; hoc autem eſt quandò bene operantur ex amore Iuſtitiæ; & ideo Dominus præmiſit Præcepta, abſque determinatione pœnæ; per hoc inſinuans, quod eſſent adimplenda ex amore boni: ſed quia pauci reſpectivè ſunt virtuoſi, ideò replicavit Præcepta cum determinatione pœnæ. Et primò dicitur: quod qui daret de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moreretur; quod dupliciter exponitur. Vno modo accipiendo ſemen pro Spermate: nam ſicut aliqui Idolatræ ſacrificabant Idolis de proprio ſanguine, ut patet de Sacerdotibus Baal, qui incidebant ſe cultris, & lanceolis, 3. *Reg. cap.* 18. ita alij faciebant Sacrificia de proprio ſemine, quia eſt ſanguis magis digeſtus. Alio modo exponitur de Puero nato: nam aliqui idolatræ, ſacrificabant de pueris ſuis Idolo predicto. Erat autem tale Idolum cupreum, ad formam hominis factum, interius concavum; & in illa concavitate ponebatur ignis, quouſque Idolum eſſet quaſi ignitum, & tunc ponebatur puer in manus Idoli. Poſtea impius Sacerdos, percutiens Tympana, tantum ſonum edebat, quod vox pueri morientis nullo modo audiri poterat. Hoc autem fiebat, ne parentes ad compaſſionem excitarentur propriẹ prolis morientis; ſed magis crederent fuiſſe animam pueri receptam à Dijs in quiete, & ſine dolore. Iudæi vero ad hoc faciendum erant multùm inclinati, credentes, quod ex tali puerorum ſuorum oblatione, conſequerentur poſtea quicquid peterent de bonis temporalibus. Secundò aſſignantur pœnæ quantum ad concupiſcibilem; tum

in adulteris, tum in inceſtuoſis, & in peccato beſtialitatis, in quo non ſolum ſtatuitur mors pro illo, qui cum iumento coiret, ſed etiam iubetur interfici ipſum animal, & hoc in deteſtationem nefandiſſimi criminis, & ne ex aſpectu talis iumenti, aliqui homines inclinarentur ad tale ſcelus patrandum.

CAP. XXI. Reflexio 253.

POſitis Præceptis, quibus ordinabatur vita quantum ad communem ſtatum: hic ponuntur Præcepta, quantum ad cultum Divinum reſpectu Miniſtrorum. Et primò inhibetur Sacerdotibus minoribus, ne interſint funeribus mortuorum, niſi in caſibus aliquarum perſonarum, qui in littera exprimuntur. Cauſa prohibitionis duplex erat. Prima, quia ex hoc contrahebant quandam immunditiam, ſeù irregularitatem, impedientem illos ad tempus, à miniſterio Tabernaculi. Secunda, quia cum eſſent periti in Lege Divina, habebant conſequenter cognitionem de Reſurrectione, maiorem quam Laici, & ideo non debebant lugere inconſolabiliter mortuos ſuos, ſicut faciebat ignarus vulgus, ſenſibilia tantum attendens. Pontifici autem Maximo prohibebatur ne ad ullum mortuum accederet, etiam ſi fuiſset pater, vel mater, & ratio huius prohibitionis erat: quia Summus Sacerdos ſemper debebat eſſe paratus ad miniſtrandum coram Domino: poterat vero in quolibet temporis momento accidere, ut caſtra eſſent movenda; ipſe autem ſolus debebat ingredi *Sancta Sanctorum* ad velandam Arcam, & cætera, quæ ibi erant; ideoque magis arcebatur à loco, ubi erat mortuus, quam minores Sacerdotes, ne immunditiam contraheret, & perconſequens redderetur incapax ingredi Sanctuarium. Domus enim, in qua erat mortuus, immunda erat, & perconſequens, omnes

 illi

illi qui ingrediebantur illam, efficiebantur immundi. Præterea fuit Summo Sacerdoti præceptum, ut Virginem duceret in Vxorem de Tribu ſua. Tamen fuit ei poſtea conceſſum, ut poſſet accipere Vxorem de ſtirpe Regia; tum propter nobilitatem generis; tum ut Summus Pontifex, & Rex eſſent magis concordes. Hoc enim redundabat in bonum, & perfectum regimen Reipublicæ, etenim Sacerdotes per hoc habebant maiorem venerationem, cum eſſent affines Regibus, maioremque potentiam ad corrigendos delinquentes, adiuti per Regalem: nam teſte *Ariſt. potentia eſt organum ad felicitatem*. Demum ſtatutum fuit, ne homo de ſemine Aaron, habens notabilem maculam, offerret panes Deo; nec accederet ullo modo ad miniſterium Domini, ne ex hoc vileſceret officium Sacerdotale; deformitas enim in homine, reddit illum contemptibilem in vulgo.

CAP. XXII. Reflexio 254

POſitis Præceptis ordinativis Divini cultus quantum ad miniſtrantes; hìc ponuntur quantum ad miniſtrata, & dicitur: quod Sacerdotes caverent ab ijs, quę conſecrata, ideſt oblata ſunt à filijs Iſrael, ut non irreverenter ad commedēdum ſe ingererent, nam polluerent Nomen ſanctum Dei, ſi auderent immundi commedere de carnibus ſanctificatis: tunc enim eſt vera Dei contemptio, cum negliguntur ceremoniæ ab eo imperatæ. Et magis nomen Domini polluitur in Sacerdotum contemptu, quam popularium, quia Sacerdotes pertinent ad eius miniſterium; magis autem quis deſpectui eſſe videtur, cum à ſuis deſpicitur, quam ſi ab alienis parvipendatur. Deinde prohibentur offerri illa animalia, quæ habebant notabilem deformitatem, ne ex hoc vile-

Digitized by Google

vileſceret cultus Divinus. Poterat tamen offerri animal aure, vel cauda amputatis, non in Sacrificium, ſed ut de pretio illorum animalium fierent aliqua neceſſaria in Tabernaculo; nempe reparationes cortinarum, vel aliorum utenſilium. Similiter de manu Gentilium non poterat aliquod accipi ad offerendũ in Altari quia talia reputabantur corrupta, & maculata. Sacrificia enim, & oblationes veteris Legis non erant, ut ſæpe dictum eſt, accepta ſecundum se, ſed ex fide offerentium. Gentiles autem, cum non haberent circumciſionem, quæ erat ſignaculum fidei, reputabantur infideles, & perconſequens indigni ad offerẽnda dona Deo. Item quia Sacrificia antiqua erãt proteſtationes futuri Meſſiæ, quæ proteſtatio in Gentibus non poterat reperiri, cum non haberent Legem annunciantem, & prædicentẽ Meſſiam Sanctiſſimum. Poterat tamen accipi pecunia, vel alia dona, ex quorum pretio emerentur illa, quæ eſſent offerenda. Et hoc modo dicitur 2. *Machab. cap.* 3. quòd Seleucus Rex Aſiæ, ex ſumptibus ſuis præſtabat illa, quæ pertinebant ad Sacrificia. Et ratio ea eſt, quia talis pecunia non efficiebatur directè Sacra; nec dicebatur directè oblata Deo: unde emendo ex illa aliquod animal pro Sacrificio, non iudicabatur tale animal datum à Gentibus, quia emebatur ad voluntatem Sacerdotum miniſtrantium; quod quidem ſufficiebat ad hoc, ut vere dici non poſſet, quod acciperetur Hoſtia de manu Gentilium ad offerendam Deo.

CAP. XXIII. Reflexio 255.

IN ſuperioribus actum eſt de Sacrificijs, & qualitate offerendorum; nec non de diſpoſitione offerentium; hic ponitur de temporibus ſolemnitatum, quæ quidem tempora vocantur Feriæ Domini Sanctæ: videlicet, ad Divinum cultum totaliter applicatæ; Homines enim magis debent colere Deum in ſolemnitatibus, quam in

alijs diebus; nam de Iure naturæ eſt, quod vacemus Deo, ſeparantes aliquam temporis partem, ad ſupremum noſtrum Benefactorem ſpecialiter colendum. Deus enim eſt fons ille indeficiens, ex quo omnia, & continua beneficia nobis proveniunt: ad iſta autem recolenda inſtitutæ ſunt feſtivitates. Advertendum eſt autem, quod Feſtivitates, Solemnitates, & Feriæ idem ſunt, quo ad vacandum Divinis; tamen Feſtivitates, & Solemnitates dicunt aliquam excellentiam factam in talibus diebus. Feriæ autem dicunt ſolummodo ceſſationem ab operibus ſervilibus. Antequam verò præſcribantur Feſtivitates, quæ debebant celebrari temporibus ſuis, ponitur Feſtivitas regularis, quæ erat dies Sabbati, & vocatur *Sanctus*, ideſt totaliter applicitus ad cultum Domini, in quo Iudæi debebant eſſe intenti orationibus, & meditationibus ſanctis. Ex quo bene deducitur, quod magis peccat quis, ſi malum agat in die ſolemni, quam ſi peccaret in alijs: nam dies ſolemnis debita eſt Deo; unde cum homo eam pravis occupationibus applicat, ſubtrahit illam Deo. In alijs autem diebus, non ſubtrahit homo tempus Deo, quia ſibi ipſi ſpecialiter competit, ad peragenda illa, quæ ſunt neceſſaria pro ſuſtentatione ſui ſtatus, vel aliorum ſi ſit Superior. Hinc Deus dixit, *ſex diebus operaberis, & in ſeptimo requieſces*. Advertendum eſt autem, quod licet in veteri Teſtamento multæ feſtivitates inſtitutæ fuerint; tamen in Nova Lege, nulla feſtivitas inſtituta eſt à Chriſto Domino. Et ratio differentiæ ea eſt: quia in veteri Lege homines incipiebant Deum colere, & erant valde rudes; adeout ſi nullæ feſtivitates eis præſcriptæ fuiſſent, nullas obſervaſſent. Data autem Nova Lege, iam erant eruditi, ſcientes debere aſſignare in colendo Deum, aliquas ſpeciales ſolemnitates; ideoque non fuit neceſſe, quod Dei Filius illas inſtitueret, ſed quod ſolummodo relinqueret diſpoſitioni Eccleſiæ ſuæ.

2. Re-

Reflexio 256.

INter Feſtivitates igitur, quæ ſemel in anno fiebant, prima erat *Solemnitas Paſchalis*, quæ celebrabatur in memoriam eductionis filiorum Iſrael de Ægypto, quæ accidit decima quinta die menſis primi, ideſt Martij. Incipiebat autem talis Solemnitas à Veſpere præcedentis diei, ideſt inclinata iam die; nam immediate poſt meridiem, Iudæi Veſperum vocant. Et tunc auferebatur à domo omnis panis fermentatus, ut poſſet immolari Agnus Paſchalis: talis vero immolatio dicebatur *Phaſe*, ideſt Tranſitus, quia Angelus in tali nocte, percutiens primogenita Ægyptiorum, tranſibat domos Hebræorum, in quorum ſuperliminaribus erat de ſanguine agni immolati, ſalvans eos. Per ſeptem a item dies comedebantur panes azymi: in memoriam quod filij Iſrael, imminente exitu, non poterant fermentare, Ægyptijs cogentibus eos exire. Secunda vero die azymorum, quæ erat decimaſexta Martij fiebat oblatio Spicarum: quilibet enim Iudæus, qui erat devotus, offerebat unum manipulum; deinde Sacerdos accipiebat unum de oblatis, elevans illum coram Domino; reliquos vero cedebant in uſus Sacerdotum. Ante hanc oblationem, nemini licebat comedere quicquam de ſuis ſegetibus. Secunda Feſtivitas erat dies *Pentecoſtes*, & celebrabatur in memoriam Legis datæ in Monte Sinai: hæc autem data fuit quinquageſima die ab egreſſu de Ægypto, excluſo die egreſſionis, & ideo celebrabatur quinquageſima die à prima die Feſti Paſchalis excluſivè. Accipiebantur enim ſeptem Hebdomodæ poſt diem Paſchalem, quæ faciunt dies quadraginta novem, & ſequens dies erat Pentecoſtes. Dicitur enim Pentecoſtes à *Penta*, quod eſt quinque, & *Coſte* quod eſt decem. In iſta ſolemnitate, quilibet offerebat duos panes fermentatos, & in quolibet erat una decima Similæ, qui omnes dabantur Sacerdotibus; nihil enim de his proveniebat Deo, quia fermentatum non poterat offerri ſuper Altare.

Tertia Solemnitas, erat *Feſtum Tubarum*, quæ fiebat in menſe ſeptimo, qui apud nos vocatur September; & in prima die Menſis, Hebræi clangebant in cornibus Pecorum, in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione, pro quo fuit immolatus Aries, qui inter fruteta cornibus hærebat. Miſeri autem & cæci Iudæi, etiam nunc obſervant in hac die ſonitum clangoris, quia hoc feſtum non determinabat locum. Quarta Feſtivitas, erat *Feſtum Propitiationis*, ſeù *Expiationis*; nam in tali die dicebantur peccata remitti, quod eſt expiari. Etenim expiatio dicit purgationem, & abſterſionem macularum; peccata autem ſunt quædam ſordes animæ, & valde magnæ. Celebrabatur hoc feſtum in memoriam illius beneficij, quo Dominus indulſit Iſraelitis peccatum de fabricatione Vituli in Deſerto; & ideo celebrabatur decima die Menſis ſeptimi, quia tunc deſcendit Moyſes de Monte, portans ſecundas Tabulas in ſignum Divinæ propitiationis. In hac igitur die debebant Iudæi affligi vigilijs, ieiunijs, & orationibus. Quinta feſtivitas, erat *Feſtum Tabernaculorum*; quod celebrabatur in memoriam illius beneficij, quo Dominus filios Iſrael, per quadraginta annos ſuſtentavit in Deſerto, faciens illos habitare in Tabernaculis. Vocabatur etiam hæc feſtivitas alio nomine *Scenophegia*, quod idem eſt ac *comeſtio in loco publico*, dicta a *Cenon* quod eſt commune, & *phagia*, quod eſt comedere, quaſi in communi, vel in publico epulari; in tali namque feſto Iudæi publicè agebant Epulas. Die autem octava fiebant Collectæ, nam colligebatur pecunia pro Sacrificijs fiendis per totum annum, & alijs neceſſitatibus Templi: non enim habebat Sanctuarium aliquos redditus. Etenim de his, quæ vovebantur nihil pertinebat ad Sanctuarium, ſed ad Sacerdotes. Similiter Redemptiones Primogenitorum, Dona, Primitiæ, Decimæ, & generalitèr quicquid Domino offerebatur, pertinebat ad Sacerdotes, & Levitas.

CAP.

CAP. XXIV. Reflexio 257.

DEſcriptis ſolemnitatibus pertinentibus ratione religionis erga Deum ad totum populum; hic ponuntur quædam obſervationes, vel miniſteria, quæ ad ſolos Sacerdotes, tamquam Dei Miniſtros pertinebant; & ideò iuſſit Dominus, ut exhiberetur Sacerdotibus à toto populo Oleum de olivis puriſsimum, ad componendas Lucernas, quæ die ac nocte debebant ardere in Sanctuario. Similiter iuſſit, ut offerrent Laici ipſis Sacerdotibus pro tota communitate Similam, quæ eſt farina tritici puriſſima, pro Panibus propoſitionis; hæc enim omnia miniſtranda erant de ſumptibus totius populi. Ad officium verò Saceadotum pertinebat prædictas Lucernas accendere, & coquere Panes propoſitionis, qui ſemper erant duodecim ſuper menſam coram Deo; & fiebant duo ordines. In ſummitate autem cuiuſlibet ordinis, erat Vas aureum plenum Thure lucidiſſimo; & vocabantur *Panes propoſitionis*, quia ponebantur coram Domino ante Velum Sancti Sanctorum, in Menſa tecta Laminis aureis. Iſti panes, poſtquam erant ſublati de Menſa, ut alij ſupponerentur, cedebant in uſus Sacerdotum; & in Atrio Tabernaculi in una Eſdra, ad hoc parata, comedebantur; nam erant multum ſanctificati, quia per ſeptem dies ſteterant coram Domino. Alij autem panes oblati Sacerdotibus, poterant extra Sanctuarium comedi, quia non reputabantur habere tantam Sanctitatem, cum non fuiſſent poſiti ſuper menſam, nec per prædictum ſpatium temporis coram Deo manſiſſent. Habebant autem iſti panes ſinguli duas decimas Similæ; ex quo apparet valdè magnos fuiſſe; nam una decima ſimilæ eſt quantum poteſt regularitèr homo comedere per unam diem; & ſic quilibet panis, cum contineret duas decimas ſimilæ, ſufficiebat ad ſuſtentandum hominem per duos dies, manducando etiam ad ſufficientem ſatietatem.

CAP.

CAP. XXV. Reflexio 258.

SVperius actum eſt de ſolemnitatibus quæ durabant per unum, vel per paucos dies; in hoc autem capitulo agitur de ſolemnitatibus per annum durantibus. Prima igitur erat *Annus ſeptimus*, in quo non poterat terra ſeminari, nec Vinea putari; ſed debebat prorſus dimitti quieſcere; & Iſraelitę debebant vivere de fructibus quos ſpõte terra producebat. In anno tamèn ſexto, ipſa terra ferebat fructus in tanta abundántia, quod ſufficiebant ad ſuſtentationem hominum, uſque ad tempus quo novi fructus haberentur de ſeminato in octavo anno. Non licebat Dominis in ſeptimo anno colligere fructus agrorum ſuorum quaſi meſſem, vel vindemiam; ſed ſolummodò ad alimentum ſuum, & familiæ. Alij autem dimittebantur pro peregrinis, & miſerabilibus perſonis, quia in hoc anno, nihil magis iuris erat Domino fundi, quam alijs. Accedit, quod cum Dominus fundi, nihil in eo colendo laboraſſet, non debebat plus habere quam alij; quia fructus debent provenire propter labores: quod eſt valdè magnum argumentum contra illos, qui multos redditus ex pluribus Eccleſijs, vel beneficijs recipiunt, licèt in eis nihil laborent. Et plerumque accidit, quod in Vinea Domini laborantes, vix ea quæ ad ruſticanum victum neceſſaria ſunt habeant: non laborantes autem, non ſolùm ea quæ ad decentiam ſtatus ſui conveniunt, ſed quæ ad Luxum, prodigalitatem, & ſuperbiam inſerviunt, recipiant; quod quidem dum contingit, ſine univerſali ſcandalo non tranſit. Porrò in hoc anno, dabantur quidem primitiæ Sacerdotibus, ſed non ſolvebantur Decimæ; quia iſtæ ſolvuntur quando fructus ſunt determinati; in hoc autem anno patronus fundi, non poterat determinatè ſcire fructus, quia omnes, tam pauperes, quam peregrini perceperant de illis, ideoque decimæ non erant ſolvendæ.

Re-

Reflexio 259.

SEcunda feſtivitas annualis erat *Annus Iubilæi*. Sciendum eſt autem, quod poſt annum ſeptimum accipiebantur ſeptem Hebdomadæ annorum, quæ faciunt annos quadraginta novem; & in ſequenti anno qui erat quinquageſimus, erat Iubilæus: unde erant duo anni ſibi immediatè ſuccedentes, in quibus terra quieſcebat. Applicabatur verò totus Iubilæi annus ad Divinum cultum, & remittebantur ſervitutes, & debita; & permittebantur Exules redire ad terram ſuam. In Menſe autem ſeptimo anni præcedentis Iubilæum, decima die menſis, qui erat dies Propitiationis, clangebatur Buccina; undè ab iſto clangore, & iubilo dictus eſt Iubilæus. Cauſa huius clangoris, qui fiebat in die propitiationis, erat quia in tali die propitiabatur Deus Iſraelitis, dimittens omnia eorum peccata; ideoque iuſtiſſimum erat, ut & ipſi remiterent in alterutrum omnia debita. Hinc nos etiam in Nova lege dicimus eſſe annum Iubilæi, quando eſt annus plenariæ indulgentiæ. Sciendum eſt autem, quod ſi aliquis Hebræus vendebat poſſeſſionem ſuam, & poſtea potuiſſet dare pretium acceptum, redibat ad illam, computatis tamèn fructibus ab emptore ſuſceptis, in ſortem. Si verò non potuiſſet ſolvere pecuniam, revertebatur ad ſuam poſſeſſionem in anno Iubilæi, nullo pretio dato. Adverte autem, quod hoc procedebat in rebus immobilibus tantum, nàm res mobiles non redimebãtur ſoluta pecunia, niſi emptor hoc gratis conceſſiſſet; nec in Iubilæo redibant ad priorem Dominum, ſed remanebant apud emptorem, & eas tranſmittebat ad hæredes tãquam legittimus Dominus. Ex hoc patet quod inter Iudæos regulariter, non poterant eſſe aliqui excellenter divites ſuper alios, cum bona immobilia redirent liberè in Iubileo ad venditores. Poterat tamèn ex huiuſmodi venditione eſſe lucrum per hoc, quod ſi venditor non rèdemiſſet ante Iubilæum, poterant fructus eſſe maiores quam ſors prin-

principalis; quo caſu emptor non tenebatur illos reſtituere, ſed erant ſui; & hoc expectabant omnes emptores. Si verò venditor redemiſſet fundum ante Iubileum; tùnc emptor nihil utilitatis conſequebatur, quia non faciebat fructus ſuos, ſed computabantur in ſortem, deductis laboribus. Ratio huius determinationis fuit, quia Terra promiſsionis dicebatur eſſe ſpeciali modo ipſius Dei. Iudæi autem habitantes in illa, erant ſicut Coloni, & ideò Dominus noluit, quod transferrent ſimpliciter dominium in emptorem; ſed ad tempus, & quod fructus computarentur in ſortem, in favorem venditorum. Item hoc fuit ad ſublevandos pauperes: voluit enim Deus, ut poſtquam eguiſſent per annos quadraginta novem, redirent in quinquageſimo ad pinguiorem fortunam. Tertia, & principalior ratio fuit, ne confunderentur Tribus, & Familiæ, quæ per ſortes diſtinguebantur, & poſſeſſiones; adeoùt cognita ſorte, vel poſſeſſione, cognoſcebatur Tribus, & Familia. Licèt autem per prædictam venditionem fieret aliqua confuſio Familiarum; tamèn hoc erat ad parvum tempus, quinquaginta ſcilicèt annorum; adeoùt poterant homines recordari de poſſeſſionibus ad quas familias pertinerent; undè Iubilæus tollebat omnem confuſionem. Ratio verò quare voluit Deus obſervari diſtinctionem Tribuum, & Familiarum, fuit propter Chriſtum Dominum tùnc naſciturum de ſemine, & familia David. De ipſo autem per Prophetas dictum fuerat, quod futurus erat de Tribu Iuda, & de ſemine David; ideò debebat eſſe Tribus Iuda diſtincta ab alijs; & in ea, Familiæ diſtinctæ per poſſeſſiones ad verificanda oracula prophetarum; ideò Deus voluit quod omnis Iudæus haberet aliquam hæreditatem à ſuis progenitoribus, per quam cognoſceretur de qua Tribu, & Familia eſſet.

Re-

Reflexio 260.

POſt venditionem, & redemptionem agrorum agitur de venditione domorum. Et determinatur, quod domus illæ quæ eſſent intra Civitates, vel Villas muratas, poſſent quidem redimi infra annum à venditione; ſed hoc tempore elapſo, non poterant de cætero redimi etiam in anno Iubilæi. Ratio autem huius determinationis erat, ut Civitates, & Terræ muratæ remanerent magis populatæ: ſtante namque tali præcepto, pauci erant qui venderent domum propriam poſitam in Civitate, timentes ne ampliùs poſſent illam redimere. In Ruribus autem, non manebat idem motivum; ideò ſemper redimi poterant. Excipiebantur tamèn ab hac lege domus Levitarum, quæ erant in Vrbibus muratis; nam venditæ poterant ſemper redimi. Et ratio diſparitatis erat, quia Levitæ non habebant aliquam poſſeſſionem agrorum ſicut aliæ tribus, exceptis ſuburbanis, quæ vocabantur Poſſeſſiones ſempiternæ, quia erant communia. Communitas autem non moritur, ſed ſolùm ſingulares perſonæ; ideoque nullus Levita poterat vendere aliquod de Suburbanis, cum nullum haberet ibi Ius proprium. Inſuper non habebant Levitæ iſta Suburbana ad colendas vineas, & ad fruges recipiendas, ſed ſolummodò ad paſcenda eorum pecora; ideò manifeſtum erat, quod non habebant de proprio niſi domos in quibus cum ſuis familijs habitabant; ideoque domus eorum, quæ erant in Vrbibus, reputabantur illis pro hæreditate agrorum; undè poterant ſemper redimi, ſicut hæreditas Laicorum redimebatur ad voluntatem vendêtium.

Reflexio 261.

ACto de venditione, & redemptione rerum, agitur conſequentèr de venditione, & redemptione Perſonarum. Et determinatur, quod ſi aliquis Hebræus eſſet emptus in ſervum, vel Hebræa in Ancillam, hoc enim

Deus illis permittebat ad ſublevandas eorum neceſſitates, debebant tractari amicabilitèr. Si verò Iudæus fuiſſet venditus in ſervum alicui Gentili, converſo ad Iudaiſmum, qui vocatur hìc in litera *Aavena*, dum dicitur: *Si invaluerit apud vos manus Advenæ*: hoc eſt, ſi factus fuerit potens ille, qui de terra aliena venit ad Iudaiſmum (manus enìm potentiam ſignificat) in hoc caſu talis Iudæus poterat ſtatìm redimi per ſeipſum, ſi pinguior fortuna ſibi occurriſſet, vel per propinquos ſuos; facta tamen defalcatione de pretio redemptionis, quantum eius ſervitùs valuerat ipſi emptori. Tractabatur namque iſte Servus tamquam Mercenarius; nam dum fiebat liber, dabantur ei mercedes pro quolibet anno ſervitutis. Si verò prædictis modis non potuiſſet redimi, egrediebatur liber cum filijs ſuis in Iubilæo. Hoc autē privilegium redimendi ſtatìm poſt venditionem dabatur propter duo: Primo, quia iſti ſervi magis affligebantur ab Advenis quam à Iudæis, eo quod Hebræi erant exoſi Advenis; ideò rationabilius erat ſervos liberari de manu illorum, quam de manu fratrum ſuorum. Secundò, propter magnitudinem temporis: nam quando Iudæus vendebat ſe Iudæo, iſta ſervitus durabat ſolummodò uſque ad annum ſeptimum; cum verò vendebat ſe Gentili converſo ad Iudaiſmum, durabat uſque ad Iubilæum; undè pro maiori tempore ſervitutis, maius ſubſidium liberationis dandum erat. Ratio verò, quare Dominus nolebat Iudæos poſſe vendi ſimplicitèr, & ad ſemper, erat, quia Hebræi erant immediatè Servi ipſius Dei, eo quod redimerat illos de ſervitute Ægyptiaca; ideoque nolebat alitèr vendi, quam prædicto modo.

CAP. XXVI. Reflexio 262.

POſtquam actum eſt de ſolemnitatibus, quæ pertinebant ad Cultum Divinum, in hoc capitulo inducitur conſequentèr populus ad illorum obſervantiam, per promiſſiones bonorum temporalium.

lium. Erant enim Iſraelitæ imperfecti, ſolaque terrena bona deſiderantes; ideo Dominus loquitur eis ſecundum eorum diſpoſitionem, promittens bona temporalia pro actu virtutis, & religionis: tamèn per hoc non eſt intelligendum, quod Dominus ſola bona temporalia tribuat pro bona operatione. Et ratio ea eſt, quia Deus Iuſtiſſimus eſt; ideò oportet, ut tantum conferat pro operatione virtuoſa, quantum ipſa meretur: & quia eſt liberaliſſimus, confert etiam aliquod ultrà condignum. Omnis autem operatio bona directa in Deum, fit ſecundum Charitatem; ſed charitas eſt excellentior omnibus virtutibus moralibus, cum ſit forma ipſarum, ſecundùm quã gratæ ſunt Deo. Morales autèm virtutes ſunt excellentiores omnibus bonis temporalibus, quæ poſſidentur: undè *Ariſt.* 7. *Ethic.* ponit ipſam virtutem de pulcherrimis ſecũdum naturam, quia ita bona eſt, ut nullo modo poſſit eſſe mala; quapropter non eſſet iuſta retributio, ſi Deus daret pro virtute morali, ex charitate procedente, ſolummodò bona temporalia: & ideò in ſcripturis Sanctis, ſub nomine bonorum temporalium, ſemper intelliguntur principalitèr promiſſa Æterna. Proponuntur autem hìc in Textu bona temporalia, cum dicitur: *Apprehendet meſſium tritura Vindemiam; & Vindemia occupabit ſementem*. In quo ſignificatur maxima ubertas frugum, dum non poſſent propter multitudinem triturari tempore ſuo, ſed remanerent uſque ad principium Vindemię, cum tamèn communitèr, etiam in annis fertiliſſimis, ſit tempus medium inter trituram Meſſium, & principium Vindemiæ. Deindè promiſit Deus pacem in finibus eorum; quæ quidem pax poteſt intelligi cum hoſtibus, vel cum civibus ad invicem. Prima, opponitur bello. Secunda, ſeditioni. Sivè tamèn hoſtes pugnent; sivè Cives contra ſe inſurgant, anguſtia magna fit in Republica: maior tamèn, ſi Cives inter ſe diffidant, quia tùnc minor ſecuritas eſt.

Reflexio 263.

SIcut promiſſa fuerunt bona obſervantibus præcepta Dei, ita pronunciantur mala tranſgreſſoribus, dum inter alia dicitur in Tex. *Dabo vobis Cœlum deſuper, ſicut ferrum, & terram Æneam; corripiam vos ſeptem plagis, itaùt comedatis carnes filiorum veſtrorum.* Advertendum eſt autem, quod abundantia frugum, & omnium terræ naſcentium, provenit principalitèr ex influxu Corporum Cœleſtium, & ex diſpoſitione Terræ ipſum recipientis; quapropter ceſſatio utriuſque, ſignificatur per Cœlum ferreum: etenìm ferrum fortiſſimum Retinaculum eſt: & ideo per hoc deſignatur retentio influxus. Terra verò Ænea valdè dura eſt; ſed dura difficillimè patiuntur iuxtà *Ariſt. in præd. qualit.* undè licèt Cęlum influat, tamèn actio ſua nihil proficit, dum terra propter duritiam ſuam non eſt diſpoſita; nam ut ait *Ariſt. 2. de anima. Actus activorum ſunt in patiente benè diſpoſito*; adeoùt, ſi patiens non obediat agenti, nullus ſequitur effectus. Deindè conteſtatur illis Deus, quod ſi per flagella non reſipiſcerent, ſed multiplicarent tranſgreſſiones, corriperet eos ſeptem plagis: per quæ deſignatur perfecta pœnalitas, cum ſeptenarius numerus denotet Vniverſitatem: peccata namque frequentata, & per replicationem multiplicata, faciunt maiorem gravitatem; & ſemper poſteriora, ratione ingratitudinis erga Deum qui prima indulſit, ſunt graviora. Hìnc Dominus in pœnam ſcelerum replicatorum prædicit Iſraelitis, quod comederent carnes filiorum ſuorum. Hoc autem fuit impletum in obſidione Samariæ, ut habetur 4. *Reg. cap. 6.* & in obſidione Ieruſalem per Titum, ſicut refert *Ioſephus libro de Iudaico bello*: hæc autem maxima miſeria eſt; nam filii cum ſint partes deciſæ de ſubſtantia parentum, ſequitur quod iſti comedant particulas carnis ſuæ.

CAP. XXVII. Reflexio 264.

SVpra actum eſt de oblationibus generalibus; hìc agitur conſequentèr de redemptionibus Votorum, quæ erant quædam Oblationes ſpeciales. Igitur ſi aliquis voviſſet Deo animam ſuam, videlicèt ſeipſum, tale votum non erat per immolationem ſolvendum, ſed per redemptionem, quia homo non erat animal immolatitium. Perſona autem humana, ſecundum diverſas ætates, eſt maioris, vel minoris valoris; ideò ſecundum quatuor ætates taxatur hìc pretium. Sunt autem homines ſecundùm varias ætates magis, vel minus utiles ad famulatum; nam in iuventute magis valet homo, quam in alijs ætatibus; quandoquidem aliæ, vel priores, vel poſteriores deficiunt robore in potentijs motivis, & operativis. Hinc Levitæ portabant onera à trigeſimo anno uſq; ad quinquageſimum, & deindè non ampliùs miniſtrabant, ſed efficiebantur Vaſorum Cuſtodes: ut per hanc occupationem excluderetur otium, omnium malorum origo. Maior etiam pretium conſtituebatur in Maſculis quam in Fœminis; quia Viri ſecundum naturam, ſunt præſtantiores, atque rubuſtiores Fęminis. Licèt autem pueri quinque annorum, & unius menſis, pro quorum redemptione ſolvebatur pecunia, non poſſent vovere, cum non haberent uſum rationis, tamèn poterant obligari voto parentum. Hìnc Anna mater Samuelis, fecit votum de ipſo, etiam antequam naſceretur. Si verò quis voviſſet animal, non poterat mutari, dando meliùs malo, vel peius bono: quia tale animal iam erat applicatum Deo; unde non erat decens, quod rebus profanis inſerviret. Et ſi mutatum fuiſſet, utrumque erat conſecratum Domino. Si autem quis voviſſet animal immundum, ratione alicuius maculæ, propter quam offerri Deo non poſſet, taxabatur pretium à Sacerdote; quod pretium, ſi vovens ſolvere voluiſſet ut reciperet animal, addebat ſuper extimatione m

quintam partem. Ratio autem quare carius vendebatur voventi, quam alteri, erat, ne voventes haberent oculos ad recuperandum id quod ſemel voverant, & per hoc eſſet votum minus gratum Deo.

Reflexio 265.

ACto de Voto rei animatæ, ſequitur videre de voto rei inanimatæ. Igitur ſi quis voviſſet domum, cum iſta non eſſet immolatitia, vendebatur, & pretium receptum applicabatur ad uſus Sacerdotum. Sciendum tamèn eſt, quod hæc extimatio facta per Sacerdotem, non erat valdè magna: etenim ad negociatores, qui ſola lucra intendunt, pertinet facere in rebus exceſſivas extimationes. Viri autem Eccleſiaſtici, non debent de his curare: habentes enìm alimenta, & quibus tegantur, his debent eſſe contenti. Et hìc nota, quod Sacerdotes non poterant ſibi retinere res immobiles quas per votum accipiebant, ſed tenebantur eas vendere ipſi voventi, vel alijs de illa Tribu. Et ratio erat, ne remaneret ſors, & hæreditas ſæcularium nimis diminuta; & Sacerdotes in progreſſu temporis, plus haberent quam omnes Iſraelitæ. Sciendum eſt autem, quod ſi quis voviſſet agrum, in Redemptione taxabatur pretium ſecundum quantitatem ſementis; & ſecundum diſtantiam à Iubilæo: adeout quanto plures erant anni ab obligatione voti uſque ad Iubilæum; tanto maius erat pretium redemptionis. Si verò vovens noluiſſet redimere ipſum agrum, tunc pertinebat ad Deum, ideoque non poterat vovens, ad prædictum fundum redire in Iubilæo; quia res quæ conſecratæ ſunt Deo, non tranſeunt in proprietatem Laicorum. Adverte autem, quod quandò aliquis vovebat rem ſuam, ſi voluiſſet illam redimere, non ſolùm dabat pretium quod taxabatur per Sacerdotem; ſed inſuper quintam partem; & in tali caſu manebat apud ipſum poſſeſſio rei in æternum; quia non erat ampliùs ſanctificata Deo, cum illi ſubrogata fuiſſet pecunia. Si verò

alius

alius redemiſſet fundum, redibat poſſeſſio in Iubilæo ad Levitas, & iterum taxabatur pretium rei, & vendebatur: Et hoc modo habebant Levitæ poſſeſſiones agrorum pertinentes ad iura ipſorum; attamèn non poſſidebant illos agros, nec eos colebant, ſed ſolummodò in Iubilæo vendebant illos; quapropter tales Agri erant ſemper cenſuales, vel quaſi cenſuales: non enìm poterant Sacerdotes, & Levitæ colligere fructus, ne remanerent impediti per Agricolturam, ad exercenda Divina Miniſteria. Si verò ager emptus eſſet, & non fuiſſet de poſſeſſione maiorum, idest, parentum illius qui emebat agrum, tùnc ſi vovens voluiſſet illum redimere, conſiderabatur diſtantia à tempore redemptionis uſque ad Iubilæum, ſecundum quam erat maius vel minus pretium. In Iubilæo autem redibat ad priorem Dominum, à quo iſte vovens emerat, non verò ad Sacerdotes; quia talis vovens, non poterat obligare fundum; niſi uſque ad Iubilæum: quandoquidem nihil iuris ultrà habebat in eo: ſecus autem erat de Agro, quem habebat ex hæreditaria ſucceſſione.

NVMERI

IAm Dominus Deus tradiderat Leges, quæ ſpecificant ordinationem populi, reſpectu Divini cultus: conſequentèr in hoc Libro adduntur illa, quæ ſpecificant ordinationem populi, reſpectu mutui conventus: imminebat enim tunc populo progreſsus ad teram ſibi promiſſam; & ideò ponuntur hìc illa, quæ pertinebant ad ordinationem populi proficiſci debentis: populo autem in tali ſtatu conſtituto, neceſſariò requirebatur quod aliqui eſſent ſubditi, & obedientes; aliÿ Superiores, & Imperantes; quia ubi non eſt Gubernator, corruet populus; ideò ponitur ordinatio Rectorum, & Subditorum; & ad hanc faciendam numeratur Iſraelitica multitudo; quapropter Liber iſte vocatur Liber Numeri.

CAP. I. Reflexio 266.

PRæcepit igitur Dominus Moyſi, ut tolleret ſummam univerſæ Congregationis filiorum Iſrael, per Cognationes, & Domos ſuas; & nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà: ab iſta enim Ætate incipiunt homines pugnare contra inſurgentia vitia; & ideò ne ab illis ſuperentur, exercere ſe debent continuè in aliqua arte, vel ſcientia ſuo ſtatui proportionata. Labor enim eſt diſtractio ab iniquis concupiſcentijs: præter quam quod, in prædicta ætate eſt in homine robur ad operandum. Fuerunt autem filij Iſrael, qui ad bella procedere debebant ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta; in qua numeratione, non fuerunt numerati Levitæ: iſti enim, cum eſſent appliciti miniſtrationibus Sacris, non poterant, nec debebant vacare bellicis operationibus, ſed Rempublicam defendere precibus ad Deum pro conſequendis victorijs humiliter porrectis. Sciendum eſt autem, quod Levitæ aliquando veniunt ſub nomine Iſraelitarum, aliquando non. Si enim filij Iſrael nominantur quantum ad aliquod ſpirituale, tunc nomine Iſraelitarum veniunt etiam Levitæ: undè inter Lapides Rationalis, erat etiam *Levi*: quia hoc pertinebat ad aliquod ſpirituale. Et Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi, referens convertendos ad Chriſtum Dominum, computavit ſub nomine filiorum Iſrael etiam *Leui*, quando verò agitur de aliquo merè temporali ut hìc in *Textu*, ibi agitur de proceſſu ad bellum; tunc ſub nomine Iſraelitarum non veniunt Levitæ. Similitèr in prædicta ſumma non fuerunt computati illi Ægyptij, qui aſcenderunt cum Iudæis; quiquidem erant valdè multi, ut patet *Exod. cap.* 12. ubi dicitur, quod vulgus promiſcuum infinitæ multitudinis, aſcendit

dit

Digitized by Google

dit cum Hebræis: quod manifeſtè patet, quia accepta eſt Summa cuiuſlibet Tribus per domos, & familias; Ægyptij autem non pertinebant ad Tribus vel familias Iſraelitarum.

CAP. II. Reflexio 267.

SVprà actum eſt de numeratione Iſraelitarum; hìc agitur de eorum Caſtrametatione. In bello namquè iſte eſt ordo, ut primò ſciatur quot ſint bellatores, & ſub quibus Principibus; deindè qualitèr ordinari debeant in ſuis Aciebus, & Caſtrorum fixione. Sciendum eſt autem, quod Caſtra filiorum Iſrael erant diſpoſita in quadrum: nam ut ait *Vegetius Lib. de Re milit. Optima diſpoſitio bellica, & perfectus ſitus Caſtrorum eſt figura quadrata; & ſic ſemper debent ſituari, niſi loci diſpoſitio impediat*. In parte Orientali erant tres Tribus, videlicèt: *Iudas, Zabulon, & Iſachar*, qui omnes erant 186400. Ab Occidente aliæ tres ſcilicèt: *Ephraim, Beniamin, & Manaſſe*; & iſti erant 108100. A meridie, aliæ tres, nempè: *Ruben, Simeon, & Gad*, quorum numerus erat 151450. Ab Aquilone aliæ tres, videlicèt: *Neptalim, Dan, & Aſer*, eorumque numerus erat 157600. Diſtinguebantur deindè filij Iſrael ſinguli per Turmas ſuas, & per ſigna, atque Vexilla. Eſt autem Turma multitudo triginta bellatorum, & ſic vocatur, quia eſt parata, & diſpoſita ad turbandum Adverſarios magis quam reliqui milites, qui formant corpus totius Exerciti, & manent firmi ad reſiſtendum inimicis, ſi inſurgerent, vel occupantur in aliqua alia operatione militari. Turma verò, ſi eſt Æquitum, dicitur propriè Ala. Si verò ſit peditum vocatur Turma. Signa autem propriè ſunt in veſtibus, & Scutis, quibus bellatores mutuò ſe cognoſcunt; & ponuntur in exercitu talia Signa, ut milites poſſint diſtinguere ſuos ab adverſarijs, ne in pugna occiderent fratres putantes trucidare Hoſtes. Vexilla autem ſunt quædam ſerica, quæ elevantur in haſtis, ut ad eorum aſpectum ſtatim

bella-

bellatores uniantur ad invadendum, vel ad reſiſtendum inimicis. Dicunt vero DD. quod vexillum cuiuſlibet Tribus, erat ſimile in colore Lapidi poſito in Rationali, in quo erat ſculptum nomen ſui Patriarchæ; ut ſic quilibet miles, dum neceſſitas occurreret, poſſet uniri ſuis fratribus; nec oriretur confuſio unius Tribus cum reliquis.

CAP. III. Reflexio 268.

NVmeratis Secularibus, agitur hìc de numeratione Levitarum: iuſſit enim Dominus, ut numerarentur filij Levi ab uno menſe, & ſuprà; quia in tali ætate primogeniti offerebantur Domino. Numeratio autem prædicta fiebat ad commutandum Levitas, pro primogenitis aliarum Tribuum. Ante Legem enim ſcriptam pertinebat ad primogenitos offerre Sacrificia; ſed quia filij Levi non peccaverunt in adoratione Vituli, reliqui autem peccaverunt; ideò ſoli Levitæ fuerunt electi ad miniſtrandum Deo in officio Sacerdotali, cæteris alijs expulſis. Secunda ratio fuit, quia Tribus Levi erat valdè minor quam quælibet alia; ideò talis electio fuit multum conveniens; tùm quia Miniſtri Altaris debebant eſſe pauci, cum pauci ſufficerent; tùm quià Iſraelitæ illos erant ſuſtentaturi ſumptibus ſuis; ideoque ne nimis populus graveretur; & ut poſſent Sacerdotes vivere ſecundum decentiam ſui ſtatus, debuerunt eſſe pauci; quia quantò fuiſſent plures, tanto eſſent pauperiores, & impotentes ad ſuſtentandam dignitatem ſuam ſicut decebat; & ſic extimationem populi, debitam Dei Miniſtris, non habuiſſent. Sciendum eſt autem, quod primogeniti Iſraelitarum, pro quibus Deus accepit Levitas, dicuntur eſſe ipſius Dei: hoc eſt, ſpecialitèr obligati quam omnes alij; & hoc non fuit ex ſemper, ſed ſolum ex tempore quo percuſſit Dominus primogenita Ægyptiorum. Et quantum ad hoc non pertinebant ad Deum, in quantum eſt Deus; ſed magis de Iure Gentium;

nam

nam quando aliquis eripit alterum à morte, ut ſi accipiat illum in bello, & ſervet eius vitam, efficitur ſervus illius. Deus autem eruerat primogenita Iſraelitarum à morte in Ægypto, ſalvans eos ab Angelo percutiente; ideò tenebantur ſibi ad ſervitutem; & ſub hac formalitate dicebantur ſui. In novo verò Teſtamento, non ſunt primogeniti magis obligati quam cæteri; quia in nobis non fuit aliqua liberatio ſecundum carnem; nec fuerunt aliqui, qui haberent maiorem obligationem ad Chriſtum Dominum Redemptorem, quam alij; ideò non fuit aſſignata aliqua Gens determinata, de qua eligerentur Miniſtri Sacri Altaris; ſed de omnibus nationibus eliguntur ad ſerviendum Deo, niſi habeant aliquam indignitatis notam, propter quam Iura repellant eos à Miniſterio Divino.

CAP. IV. Reflexio 269.

ASſumptis Levitis in miniſterium Tabernaculi; hìc aſſignatur modus cuilibet familiæ exequendi officium ſuum, tempore motionis caſtrorum in portandis oneribus. Erant autem tres, familiæ Levitarum, ſcilicèt: *Caathitæ, Gerſonitæ, & Meraritæ*; & ideò ſingulis præſcribitur officium proprium: nam Caathitis commiſſum fuit, ut in motione caſtrorum portarent Arcam, Menſam, Altare Thymiamatis, & Altare Holocauſti, omniaque vaſa Sanctuarij, involuta ſericis Hyacinthinis, excepto Altare Holocauſti, quod involvebatur purpureo veſtimento; ad ſignificandum, quod ibi erat Ignis latens. Pallium autem non comburebatur, & hoc Divino miraculo. Omnia tamen prædicta involvebantur prius per Sacerdotes, nam Levitis non licebat tangere illa, nec nuda videre ſub pœna mortis. Officium Gerſonitarum erat, ut portarent cortinas Tabernaculi, & Tectum Fœderis, quod erat operimentum de Sagis. Officium Meraritarum erat portare tabulas Tabernaculi, &

vectes

rectes, & columnas, ac baſes earum. Item Columnas Atrij, cum baſibus, & paxillis, & funibus ſuis. Iuſſit autem Deus, quod prædicti Levites numerarentur à trigeſimo anno & ſuprà, uſque ad quinquageſimum; infra verò *cap.* 8. iuſſi ſunt numerari, à vigeſimo quinto anno, & ſuprà. Pro quo ſciendum, quod à vigeſimo quinto anno ponebantur ad diſcendum miniſterium Levitarum; ſed in trigeſimo, inſtituebantur Miniſtri, illi qui per experientiam videbantur apti, & repellebantur inepti. Non inſtituebantur autem ante annum trigeſimum; quia uſque tunc non perficitur robur hominis corpore, & mente; expleto vero quinquageſimo anno, ſtatim abſolvebantur à Miniſterio, quia iam deficit robur ad magna onera, & labores; & ideò non miniſtrabant, ſed efficiebantur cuſtodes vaſorum, ne otio torperent, & ut conſtaret eſſe Dei Miniſtros. Fuerunt autem omnes Levitæ qui inſerviebant actualitèr in Miniſterio Tabernaculi, a trigeſimo anno uſque ad quinquageſimum, in quo ceſſabant ferre onera, 8580. quandoquidem Caathitæ fuerunt 2750. Gerſonitæ autem fuerunt 2630. Meraritæ verò fuerunt 3200. & ſic omnes Levitæ, qui actualitèr inſerviebant in Miniſterio Sanctuarij, fuerunt 8580.

CAP. V. Reflexio 270.

DEſcripta diſpoſitione Populi ad recedendum, hìc tolluntur quædam infectiva multitudinis. Ideoque iubetur Iſraelitis, ut eijcerent de caſtris omnem leproſum, & omnem fluentem ſemine, & quemcumque qui pollutus fuiſset ſuper mortuum; iſta namque Populum inficiebant. Deinde removetur aliud impedimentum, quod eſt iniuſtitia. Hæc enim turbat pacem communitatis; & maximè dum retinetur res aliena. Dicitur ergò, quod ſi aliquis defraudaſset Proximum ſuum, furripien-

piendo illi aliquam rem; poſtea verò, pœnitentia ductus, voluiſſet facere reſtitutionem, debebat reddere ipſam rem principalem, & inſuper quintam partem Proximo ſuo quem damnificaverat; tum propter damnum, quod habuit ex detentione rei ſuæ; tum ut homines retraherentur à rebus alienis ſibi retinendis. Si verò non inveniretur dominus rei; tunc ipſa res debebat dari Deo, & cedebat in utilitatem Sacerdotum: quandoquidem in reſtitutione vaga, debent de illa ſuſtentari Dei Miniſtri, vel pauperes. Debebat præterea defraudans offerre Arietem in Sacrificium; quia non ſolum peccaverat contra Proximum ipſum defraudando, ſed etiam contra Deum, tranſgrediendo mandatum ipſius, & ideo ſicut per reſtitutionem rei fiebat ſatisfactio homini; ita per oblationem Arietis fiebat ſatisfactio ipſi Deo, ratione offenſæ.

Reflexio 271.

POſt remotionem impedimentorum, turbantium totam Communitatem, agitur de remotione impedimenti turbantis familiam; hoc autem eſt ſuſpicio adulterij, in quo præſcribitur forma quomodo Vir deberet crimen Vxoris cognoſcere: Iudaica namque Gens, erat imperfectiſſima, ideoque niſi datus fuiſſet Hebræis modus experiendi de Vxoribus ſuis, occidiſſent illas. Tenebatur autem Mulier ſubire hanc purgationem, quæ hìc ponitur: adeout, ſi recuſaſſet coram Iudicibus, habebatur tamquam convicta de ſcelere; ideò Mulieres ſubibant hanc purgationem. Advertendum eſt autem, quod Zelotypia vocatur ſpiritus, quia ſecundum communem locutionem Sacræ Scripturæ, omne principium activum, & motivum, vel compulſivum, dicitur Spiritus; Zelotypia verò, eſt quidam inſtinctus, & ægritudo animi qua timemus, ne quis poſſideat id, quod ſoli optamus poſſidere, & ideò impellimur, ſeù concitamur contra aliquem. In tali igitur caſu, Vir offerebat decimam partem

Sati

Sati farinæ Ordeaceæ, non vero Similæ, quæ eſt farina tritici purgatiſſima, ſicut in alis Sacrificijs. Et ratio erat, quia iſtud Sacrificium erat vile; ideoque farina de Ordeo, & non de Tritico offerebatur. Non fundebatur ſuper eam oleum; quia oleum ſignat Divinam miſericordiam, quæ in hoc Sacrificio non implorabatur. Non offerebatur Thus; quia Thus ſignificat devotionem; hoc autem Sacrificium non offerebatur ex devotione, ſed ex ſola ſuſpicione adulterij. Deinde Sacerdos ſumebat Aquam ſanctam ſic vocatam, eo quod diluebatur ibi Nomen Domini *Tetragrammaton* ſcriptum in Cedula; & accipiebat paululum de terræ pavimento Tabernaculi, ponens in aquam: ad denotandum quod tale Sacrificium fiebat pro vili crimine; terra namque pedibus conculcatur. Tenebat deinde aquas amariſſimas, non formalitèr, ſed effectivè, quia nimirum cauſabant effectum amaritudinis, propter imprecationem maledictionum ſuper illas. Mulier autem, antequam tales aquas biberet, dicebat *Amen*, *Amen*; recipiens per hoc ſuper ſe prædictam adiurationem. Dicebat vero bis *Amen*, ſemel pro parte innocentiæ, & ſemel pro parte culpæ. Sumptis autem aquis prædictis, ſi fuiſſet rea perpetrati adulterij, inflato ventre computreſcebat femur illius: ſi verò innocens fuiſet; tunc aquæ prædictæ non ei nocebant, ſed proficiebant; nam ſi fuiſet ſterilis pro tempore præterito, fiebat divino miraculo fœcunda in futurum.

CAP. VI. Reflexio 272.

DEſcripta ordinatione Populi, quantum ad legem communem; hìc ponitur ordinatio ſpecialis, nempè Nazaræorum. Sciendum eſt autem, quod votum Nazaræorum in aliquibus erat perpetuum, ut in Sampſone, & Samuele, & alijs in quibus præceſſit figura Regioſorum Novi Teſtamenti; in aliquibus autem erat ad tempus. Cum ergo quis ſe conſecrabat in Nazaræum, applicabat

cabat ſe per votum ad ſtatum ſtrictiorem vivendi; quapropter dicebantur *Nazarei*, ideſt ſegregati ab alijs. Tenebatur autem primò talis vovens abſtinere à vino, & ab omni potu inebriativo; quia debebat vacare Orationi, & Contemplationi Divinæ: hæc autem eſt actus mentis elevatæ in Deum; vinum verò deprimit intellectum; undè abſtinentes à vino ſunt acutiores ingenij, quia eorum Phantaſia ſemper eſt temperata. Prohibebantur etiam Nazaræis Vvæ recentes, ne illis daretur occaſio bibendi vinum, capti dulçedine fructus. Secundò, præcipiebatur, ut non abſcinderetur aliquid de capillis Nazaræi, & dicebatur *Sanctus*; ideſt Deo applicitus creſcente Ceſarie capitis ſui. Tertiò, non poterat Nazaræus ingredi ad mortuos etiam ſi fuiſſet Pater, Mater, vel fratres. Cauſa erat, ne per affectionem ad propinquos, mens eius impediretur à Contemplatione Dei, cui ſpecialitèr inſerviebat. Quod ſi mortuus fuiſſet quiſpiam ſubitò in eodem Tabernaculo, dicebatur pollutum Caput eius, quia non proficiebat Conſecratio præterita; ideò debebat eadem die radi Caput, quia illa Capillatura, cum iam eſſet polluta, non proficiebat ad continuandum Votum; adeoùt quicquid fieret, ipſa manente, non computabatur in obſervatione Voti, quia ad hanc computationem debebat eſſe Nazaræus ſemper incontaminatus. Elapſo verò tempore Voti, debebat accedere ad Tabernaculum ut offerret Deo oblationem, quæ conſiſtebat in Sacrificijs, de omni genere, ſcilicèt pro peccato; & Holocauſtum, & hoſtia pacifica. Deindè radebatur eius Ceſaries, quia creſcentia Capillorum erat ſignum durationis Voti; undè iſto expleto radebatur, in ſignum quod licitum erat ei redire ad communem modum vivendi. Capilli verò cremabantur coram Domiuo; ne illud quod fuerat Deo conſecratum, conculcaretur, vel ad humanos uſus applicaretur. Cauſa autem quare Deus poſuit in Veteri Teſtamento hanc obſervantiam fuit, ut applicaret aliquos homines, ſibi ſpecialitèr inſervientes in aliqua ſtrictiori obſervantia ultra generalia præcepta Legis: non poſuit tamèn hoc ſub præ-

cepto

cepto, ſed reliquit tanquam Conſilium omnibus ſequi volentibus. Sic paritèr Lex Evangelica, licet ſit Lex perfectionis, & data toti Mundo; tamèn non obligavit omnem hominem ad perfectionem, quia omnes homines non poterant eſſe perfecti, vel non erant diſpoſiti ad perfectionem. Vocatur verò Lex perfectionis, non quod iubeat omnibus omnem perfectionem, ſed quia prohibet omnem imperfectionem, hoc eſt omne peccatum.

CAP. VII. Reflexio 273.

Deſcripta ordinatione quantum ad communem populum; hìc agitur de ordinatione, & oblatione Principum. Licèt autem erectio Tabernaculi, & conſecratio Sacerdotum, & oblatio Principum eodem tempore facta fuerit; tamèn omnia iſta deſcribuntur in diverſis locis, quia non pertinent ad eandem materiam. Obtulerunt igitur Principes Tribuum Sacrificia, & munera Domino; & quia eorum oblationes erant excellentiores, & valdè magnæ, fuerunt etiam eis aſſignati dies ad offerendum pro ſingulis. Primò igitur obtulerunt ſex Plauſtra tecta; videlicèt, ſex Quadrigas opertas aliquibus velamentis. Cum enim Sanctuarium eſſet Domus portatilis, nec poſſet portare humeris hominum propter magnitudinem Tabularum, & Columnarum, neceſſaria erant Plauſtra. Et quia res ſacræ decentius feruntur de loco ad locum velatæ, quam nudæ, ideò duodecim Principes obtulerunt cum Plauſtris etiam velamenta, ut nihil deeſſet ornatui eorum. Tunc Moyſes dedit duo Plauſtra, & quatuor Boves Gerſonitis, quorum officium erat portare Cortinas Atrij, & omnia operimenta Sanctuarij. Meraritis verò conſignavit quatuor Plauſtra, & octo Boves; quia iſtorum neceſſitas erat duplo maior, & onera illorum plura, & maioris ponderis; debebant enim ferre

Tabulas, & Columnas totius Sanctuarij. Caathitis autem non dedit Plauſtra quia iſti tenebantur proprijs humeris portare Vaſa Sacra. Poſt hanc oblationem factam ab omnibus duodecim Principibus ſimul, fecerunt ſinguli in die ſibi ſpecialitèr deputato, oblationem particularem. Et primus fuit Nahaſſon, filius Aminadab Princeps Tribus Iuda, cui Tribui debebatur prælatio inter alias, quia erat tribus Regia; quam dignitatem aſſecuta fuerat, quando cæteris Tribubus formidantibus introire Mare Rubrum, Tribus Iuda prima fiducialitèr, & generosè ingreſſa eſt illud. Obtulit igitur iſte Princeps Acetabulum Argenteum; quod erat Inſtrumentum ubi probabatur Incenſum, & Simila, ut videretur an eſſet apta ad offerendum. Item obtulit Phialam argenteam eratque Bacinus in quo probabantur liquida; deindè Mortariolum, & in hoc terebatur Incenſum. Obtulit deindè Bovem de armento, in memoriam ipſius Ioſeph, qui vocatur primogenitus Tauri, *Deut.* 33. Obtulit Arietem, in memoriam Iſaac, pro quo fuit Aries immolatus. Obtulit Agnum anniculum, in recordationem Agni Paſchalis. Obtulit Hircum pro peccato, ad expiandum peccatum venditionis Ioſeph, in qua fuit Hædus occiſus. Obtulit duos Boves, ad ſignificandum duas Tabulas Teſtimonij. Obtulit Arietes quinque, & Hircos quinque, ad denotandum decem præcepta Decalogi. Obtulit Agnos anniculos quinque, ad ſignificandum quinque Libros Legis, & eodem modo exponendæ ſunt oblationes duodecim Principum ſubſequentium.

CAP. VIII. Reflexio 274.

DIcto de oblatione Principum; hìc agitur, tùm de officio Pontificis in conſtruendo Candelabro, & Lucernas in parte Auſtrali Tabernaculi; tùm de Conſecratione Levitarum. Sicut enim erant neceſſarij Sacerdotes, ad Sacrificiorum exhibitionem, & ad reliquas

ſanctuarij adminiſtrationes, quæ intra ipſum erant; ita erant neceſſarij Levitæ pro exterioribus adminiſtrationibus: quapropter iuſſit Dominus Moyſi, ut illos purificaret aſpergendo eos aqua Luſtrationis. Levitæ enim ante fuerant in medio populi, ubi videbantur contraxiſſe aliquas ſordes; nunc verò efficiebantur Miniſtri Dei, ideò purificandi erant. Nam ad ſerviendum Deo, nullus accedere debet niſi totalitèr mundus. Applicabantur autem coram Tabernaculo, convocata omni multitudine filiorum Iſrael, qui ponebant manus ſuper illos, ut per hoc ſignificaretur, quod renuntiabant proprietatem ipſorum; tradebantur enim Domino pro primogenitis aliarum Tribuum; ideoque erat quædam oblatio facta Deo à tota multitudine, & dabantur in vigeſimo quinto anno, non ad miniſtrandum; ſed ad officia addiſcenda per quinque annos. In trigeſimo verò inſtituebantur Miniſtri, ſi erant idonei, & apti; repellebantur autem ſi fuiſſent inſufficientes, & inepti. In quinquageſimo vero completo, ceſſabant ſervire in portandis oneribus, & ſolummodò tenebantur cuſtodire portas Sanctuarij, & Vaſa; tùm ne otioſi remanerent; tùm quia, cum haberent de Sanctuario victum ſicut alij, iuſtum erat, ut Sanctuario, modo ſibi poſſibili, inſervirent. Hoc autem debet eſſe ſingulare motivum Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiæ Dei Præpoſitis, ut non dent bona Eccleſiæ illis, qui in ea nihil laborant.

CAP. IX. Reflexio 275.

IN ſuperiori Capitulo dictum eſt de conſecratione Levitarum, & de officio Sacerdotis in componendis Lucernis; hìc deſcribitur Pontificis officium, quantum ad celebrationem Phaſæ, quia debebat docere populum de modo, & tempore celebrandi. Accidit autem ut in die Paſchatis venirent quidam, qui ſepelierant mor-

mortuum; & cum eſſent immundi, non poterant celebrare Phaſe, comedendo de Sacrificio Victimæ Paſchalis. Sicut enim irregularitas in Novo Teſtamento cauſatur aliquando ex bono actu, ut ex occiſione Malefactoris per ſententiam Iudicis; ita in Veteri Teſtamento, ex actu Sepulturæ meritorio, impediebatur ad tempus celebratio Phaſæ. Iſti autem durè ferebant, ſe impediri à prædicta celebratione ex bona operatione; & dicebant ſe defraudari iure ſuo: putabant enim ſe privari multis bonis, dum non offerrent oblationem Agni Paſchalis: tunc Moyſes, quia caſus videbatur dubius, recurſum habuit ad Deum. Qui reſpondit, quod prædicti Immundi, facerent Phaſe in Menſe ſecundo: noluit enim Dominus, quod iſti accederent ad celebrandam feſtivitatem, & voluit quod ſua devotio haberet intentum tempore congruo, maximè quia, voluntas Dei erat, ut Iudæi haberent in memoriam liberationem ex duriſſima ſervitute Ægyptiaca, cuius Phaſe erat rememorativum, ut ſic continuè Deum tanquam ſuum Liberatorem recognoſcerent, & grati eſſent Divinæ clementiæ. Porrò in die quo erectum eſt Tabernaculum, operuit illud Nubes, nam elevata ſedit ſuper illud. Et dum Sol occumberet apparebat Columna in figura ignis uſque mane. In Aurora verò incipiebat apparere in ſpecie Columnæ albæ. Ipſa autem dirigente, manebant filij Iſrael, vel proficiſcebantur.

CAP. X. Reflexio 276.

SVperiùs actum eſt de directione populi miniſterio Angeli moventis Nubem; hìc agitur de miniſterio humano, videlicèt ſonitu Tubarum. Iſtæ autem fuerunt Argenteæ; tum quia maiorem pulchritudinem exhibebant; tum quia Argentum eſt metallum valdè ſonorum. Volebat enim Deus quod filij Iſrael diſtincti procederent, & ordinatè; & ideò iuſſit,

ut diſtinguerentur per quatuor Vexilla, & ſub quolibet eorum eſſent tres Tribus. In primo autem Tubæ clangore prolixiori, movebantur illi qui erant ad Orientalem plagam, & hi erant filij Iuda. Deindè ad ſecundum, & tertium clangorem ſequebantur aliæ Tribus. Ante progreſſionem verò accedebant ad oſtium Tabernaculi, ut ante diſceſſum adorarent Deum Exercituum. Poſt elevationem autem Nubis, Sacerdotes intrabant Tabernaculum, ut involuerent Sericis Hyacinthinis Sacra Vaſa; quibus egreſſis Gerſonitæ, & Meraritæ deponebant Tabernaculum, & Atrium per circuitum; diſpoſitiſque oneribus arripiebant iter poſt exercitum Iudæ, cum duabus Tribubus ſibi adiunctis. Poſt prædictos Levitas ſequebantur filij Ruben cum filijs Simeon, & filijs Gab ſibi unitis; poſt quos veniebant Caathitæ, qui portabant Arcam, & Sacra alia Vaſa; quæ quidem cùm ſanctiora eſſent, meritò ponebantur in medio totius Exercitus, tamquam in loco tutiori. Licèt autem dicatur hic *in Tex*: quod Arca fœderis præcedebat eos; tamen ſecundùm Doctores intelligitur hoc de quadam alia Arca in qua ſervabantur primæ Tabulæ fractæ, eo quod fuiſſent ſcriptæ digito Dei. Arca verò in qua erant ſecundæ Tabulæ, & quæ propriè vocabatur Arca, ſtabat in medio Caſtrorum ob rationem prædictam. Et nubes, licèt eſſet extenſa ſuper totum Exercitum ad refrigerium æſtus, tamen ſpecialitèr, per modum cuiuſdam Columnæ, erat ſuper Arcam iſtam tempore quietis; tempore autem motionis Caſtrorum, erat ſuper Vexillum Iudæ quod præcedebat omnes, ut prædictum eſt. Supradictis autem Tubis Argenteis, non ſolum diſponebatur Exercitus, ſed etiam erant ad convocandam multitudinem, & ad Feſtivitates, & ad Epulas, & Sacrificia: nam iſtis clangebatur ſuper Holocauſta, & ſuper hoſtias pacificas non tamèn ſuper hoſtias pro peccato: quia clangor eſt ad exultationem, hoſtia verò pro peccato regulariter erat ad mærorem.

Digitized by Google

CAP. XI. Reflexio 277.

DIcto de multitudine progrediente; agitur hìc de Caſu impediente progreſſum: ſcilicèt de murmuratione orta ex labore itineris tantùm trium dierum; in quibus Iudæi, vel nihil laboraverunt, vel parvus labor fuit; & tamen, contra ipſum Deum moventem Nubem, murmuraverunt, ad cuius motum debebant etiam ipſi moveri. Tunc divino Imperio Ignis erupit de terra, & devoravit extremam partem Caſtrorum. Dicitur autem extremum dupliciter, ſcilicèt Pars inferior, & tunc intelliguntur hìc vulgares de populo. Et Pars ſuperior, & tunc intelliguntur Maiores de populo, qui abſorti fuerunt ab igne devorante, quia fuerunt negligentes in reprimenda murmuratione ſuorum ſubditorum; unde per hoc mortem meruerunt. Hìc autem quæri poteſt. Cum Iſraelitę murmuraverint etiam contra Dominum, quando defuit illis panis, & aqua, ut patet *Exod. cap.* 16. *&* 17. quare Deus non dedit illis pœnam hanc cum fuerit ibi idem peccatum, ſicut hìc? Dicunt aliqui Doctores, quod Iudæi non viderunt tunc tanta Miracula; nec adhùc receperant tanta Divina beneficia ſicut modò; quæ omnia magis culpam augent, ratione ingratitudinis; & quia obligant recipientem ad ſerviendum magis Deo tam multipliciter benefacienti. Igitur quia hìc fuerunt Hebræi magis ingrati, ideò acritèr fuerunt puniti. Alij Doctores dicunt, quod Dominus Deus ſecundum altiſſimam ſuam diſpoſitionem, non punit ſemper peccatorem ſtatìm ac committit peccatum; ſed reſervat pœnam ad alia tempora, ut cum deindè ſemel homo peccaverit, omnium præteritorum ſcelerum ſimul pœnas luat. Devoratis igitur peccatoribus, ad orationem Moyſis ignis abſortus eſt, ait *textus*; ideſt, conſumptus, quia non fuit ampliùs viſus.

Re-

Reflexio 278.

POſt murmurationem prædictam ſecuta eſt nova Dei offenſio; Nam vulgus promiſcuum, nempè Ægyptij converſi ad Iudaiſmum, iunctis ſibi paritèr filijs Iſrael, & flentes deſideraverunt Carnes, Cocumeres, & Pepones. Per quæ intelliguntur omnia delectabilia Ægypti; ſpreveruntque Manna, quod tamen habebat in ſe omnis ſaporis ſuavitatem; & ſic directè contemnebant Deum: nam qui contemnit munus, contemnit etiam muneris largitorem. Dedit autem Dominus in Manna varietatem ſaporum in privilegium bonis; quia natura noſtra ſicut mutabilis eſt, & compoſita, ita mutationem deſiderat. Hinc *Ariſt.* ait, quod quia natura Dei ſimplex eſt, eadem etiam actio delectabiliſsima ibi eſt: nobis autem tranſmutatio omnium dulciſsimum eſt. Audiens autem Moyſes flentem populum, & petentem Carnes, deprecatus eſt Deum, ut morte ſua intercedente, liberaretur de tantis malis, aſſerens, ſe eſſe inſufficientem ad regendam tantam populi multitudinem. Timebat enim Sanctus Dux, ne malitia populi eſſet ſibi occaſio ruendi in peccatum impatientiæ. Mortem verò non petijt deliberatè; ſed ex magna afflictione, non verò quaſi recuſaret ſubire omnes labores pro ſervitio, & gloria Dei ſui. Igitur poſt hanc humilem petitionem, iuſſit illi Dominus, ut congregaret ad Oſtium Tabernaculi ſeptuaginta ſenes, dicens, quod auferret de Spiritu Moyſis, traderetque illis, ut ſecum ſuſtinerent onus populi, ne ſolus gravaretur. Per hoc autem non eſt intelligendum, quod aliquid fuerit ablatum Moyſi, & traditum alijs; ſed quod prædicti Senes fuerunt illuminati, abſq; diminutione gratiæ Moyſis. Deus namque dedit illis ſimilem ſpiritum in ſpecie, ut regerent populum, ſicut regebat Moyſes: ſicut à lumine unius Candelæ illuminantur plures, abſque diminutione ſui luminis. Iſta tamèn ſimilitudo non tenet quantum ad cauſam effectivam, quaſi donum gratiæ exiſtens in Moyſe cauſaret gratiam in alijs; quia hoc ſpectat ad Deum; ſed tantum meritoriè,

Reflexio 279.

POſtquam Populus murmuravit, & indebitè Carnes appetijt, deſiderans magis velle eſſe in Ægypto, quam in deſerto, quod erat directè contra beneficium Divinæ, & miraculoſæ liberatiois, dixit Dominus ad Moyſen, ſe eſſe daturum populo carnes, non per unum tantum diem, ſed per unum integrum Menſem; & ideò diceret omnibus, quod ſanctificarentur, hoc eſt præpararent ſe ad recipiendum id quod petierant. In Sacra enim Scriptura frequentèr accipitur Sanctificatio, pro præpaiatione. Hoc audito dixit Moyſes: *Sexcenta millia peditum ſunt, & tu dicis dabo eis eſum Carnium menſe integro? nunquid Ovium, & Bovm multitudo cedetur, ut poſſit ſufficere ad cibum?* Advertendum eſt autem, quod iſta verba ex ſe ipſis, videntur aliqualitèr dura, & ſignificare diffidentiam de impletione Divini promiſſi: undè Hebræi dicunt, quod Moyſes deſperavit de impletione Divini promiſſi, ideoque peccavit, ſicut ad Aquas contradictionis. Non fuit tamen punitus hìc ſicut ibi: quia ad prædictas aquas peccatum fuit publicum coram tota multitudine, & ideò ſtatìm fuit determinata pœna. Hìc autem ſolum coram Deo fuit peccatum Moyſis, non verò coram populo: ideoque non fuit ei data punitio; quia alitèr ſunt punienda peccata publica, aliter verò ſecreta. Doctores autem Cattholici dicunt, quod Moyſes hìc minimè dubitavit de impletione verbi Dei; ſed quæſivit de modo. Sicut Beatiſſima Virgo Dei Mater, petivit ab Angelo de modo Incarnationis Verbi Æterni, dicens *Quomodo fiet iſtud?* Interea ventus egrediens à Domino, arreptas trans Mare Coturnices detulit, & dimiſit in Caſtra, itinere quantum uno die confici poteſt, ex omni parte Caſtrorum per circuitum; volabantq; in Aere duobus Cubitis in altitudine ſuper terram: erat autem tanta multitudo Coturnicum, quia valdè multus erat populus, nam erant sexcenta millia peditum procedentium

ad

ad bellum, & inſuper Senes & parvuli, & Mulieres; adeo ut omnes erant pluſquam tres Miliones; & Dominus promiſerat dare illis ſaturitatem Carnium menſe integro: quapropter probabiliter dicendum eſt, Deum de novo creaſſe hanc multitudinem Coturnicum; vel miniſterio Angelorum adduſſiſſe Coturnices ex omnibus Mundi partibus. In fine autem Menſis furor Domini cæpit ardere contra populum, inferendo videlicèt illi pœnam, quæ fuit ſubitanea Peſtilentia. Diſpoſuerat enim Deus dare illis Carnes, ſicut petierant, ſed tamen eos punire, quia nimis peccaverant, tum in cupiendo eſſe in Ægypto; tum in appetendo inordinatè Carnes; tum in contemnendo Manna.

CAP. XII. Reflexio 280.

Dicto de murmuratione Populi contra Deum; hic agitur de murmuratione contra Moyſen ſervum ſuum: Nam locuta eſt Maria, & Aaron contra illum, propter Æthiopiſſam. Circa hoc autem variè dicunt Expoſitores, tam Cattholici, quam Hebræi. Nam Ioſephus, & plures expoſitores noſtri, in hoc ipſum ſequentes, dicunt, quod iſta Vxor Moyſis fuit filia Regis Æthiopum. Iſtis enim rebellantibus Ægyptijs, Moyſes, qui erat iam adultus, & elegantis formæ miſſus fuit Dux exercitus ad ipſos domandos; quibus in campo debellatis, & Rege eorum occiſo, obſedit fugientes in Civitate Regia: cuius probitatem admirans filia Regis, miſit ad illum Nuncios pro Matrimonio contrahendo; cui petitioni conſenſit Moyſes, illamque accepit ſibi in Vxorem. Dicunt igitur prædicti Doctores: quod Maria, & Aaron obiurgaverunt Moyſen, eo quod accepiſset Mulierem alienigenam. Sed hoc non videtur ſufficienter adductum; quia eadem ratione obiurgaſsent Moyſen de Sephora, quæ pariter erat Gentilis.

Alij Doctores dicunt, quod iſta Vxor fuit Sephora, quæ vocatur

catur hìc Æthiopiſsa, quia Madianitæ antiquitùs dicebantur Æthiopes. Cauſa autem obiurgationis fuit, quia Sephora, & Maria rixatæ fuerant ad invicem, ſicut accidere ſæpiſſime ſolet mulieribus in eadem domo manentibs. Maria autem ſuper hoc conqueſta fuit cum Aaron; unde ambo detulerunt quærimoniam ad Moyſen, & ipſe ſuſtinuit partes Vxoris ſuæ: porpter quod Maria, & Aaron indignati proruperunt in verba contra Moyſen. Tunc Dominus Deus indignatus de offenſa facta ſervo ſuo, dixit ad iſtos tres: *Egredimini vos tantum tres ad Tabernaculum fœderis*. Nolebat enim Dominus fatuitatem Aaron oſtendere coram populo, propter ſcandalum multitudinis vitandum. Et eadem ratione non fuit lepra percuſſus, ſicut Maria; erat enim Summus Pontifex. Hinc eſt quod hodie in Eccleſia Dei, non imponitur Sacerdotibus pœnitentia publica, ne vituperetur ſemper venerabile eorum miniſterium.

Reflexio 281.

AD mandatum igitur Domini, prædicti tres ingreſſi ſunt Tabernaculum fœderis, quibus ſic Deus locutus eſt: *Si quis fuerit inter vos Propheta, in viſione apparebo ei; vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes: ore enim ad os loquar ei, & palã, & non per ænigmamata, & figuras Dominum videt*. Pro intelligentia autem Textus ſciendum eſt: quod cognitio prophetica fit tribus modis. Primo per abſtractionem à ſenſibus exterioribus, ut in ſomno, vel extaſi. Alio modo ſine tali abſtractione, & hoc dupliciter contingit: Vno modo, quando in immaginatione fiunt aliquæ formæ virtute Divina, quibus intellectus à Deo illuſtratus, inſpicit veritatem ſupernaturalem. Alio modo, quando ſine tali viſione immaginaria cognovit eamdem intelligibilem veritatem ſupernaturalem. Secundus gradus eſt altior primo, & tertius eſt altior ſecundo, cuius ratio eſt: quia per occupationem ſenſuum exteriorum diſtrahi-

ſtrahitur intellectus in actibus ſuis, ut minus capere poſſit cognitionem ſupernaturalem: & ideo quando exiſtente tali occupatione apprehenditur ſupernaturalis veritas, eſt altior gradus: ſicut in cognitione naturali, ille iudicatur melioris ingenij, qui curis diſtractus apprehendit veritatem intelligibilem, quam ille, qui non poteſt apprehendere, niſi ſit ab omni diſtractione purgatus. Similiter tertius gradus eſt altior ſecundo. Sicut in cognitione naturali, ille eſt melioris ingenij, qui veritatem intelligibilem capit abſque manuductione per exempla ſenſibilia, quam ille, qui indiget talibus. His ſuppoſitis, dum dicitur in textu: *In viſione apparebo ei, vel per ſomnia loquar ad illum*. Per locutionem in ſomno, intelligitur primus gradus prophetiæ; per viſionem autem intelligitur ſecundus gradus: quaſi diceret Deus: Aaron, & Maria, non attingitis vos, niſi ad inferiores gradus prophetiæ: Moyſes autem attingit gradum ſuperiorem, ore enim, ad os loquor ei palam: & per hoc quod dicitur, *palam*, intelligitur tertius gradus prophetiæ; in quo non requiritur aliqua viſio immaginaria: per hoc vero quod dicitur: *Ore enim ad os loquor ei*: intelligitur quædam ſpecialitas, & dignitas in iſto tertio gradu prophetiæ; quia quanto frequentius, & familiariter Deus revelat alicui ſupernaturalem veritatem, tanto ille gradus eſt dignior, & iſte erat in Moyſe, cui Deus loquebatur magis clarè, quam alijs Prophetis. Attamen ſecundum Doctores Cattholicos, & Hebræos, non vidit Moyſes Divinam eſſentiam: nam dictum fuit ei *Exod. 33. Non videbit me homo, & vivet*. Sanctus autem Auguſtinus dicit: quod conceſſum fuit Moyſi in præſenti vita videre Dei eſſentiam; quod probat ex hoc, quod dicitur hìc: *Palam, & non per ænigmata Deum videt*. Omnis autem cognitio Dei, citra viſionem Divinæ eſſentiæ, ænigmatica eſt, dicente Apoſtolo *pr. ad Corinth. cap. 13. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*. Vbi autem fuerit, & quando illi conceſſa, non determinatur. Doctores autem communiter explicant litteram dicentes: quod Moyſes, non videbat

bat Deum per ænigmata, ideſt per quaſdam obſcuras imagines; ſed per quandam effigiem, quæ ſpecialiſſimè repræſentabat Deum, quæ quidem nulli alteri apparebat, licet eſſet Propheta.

CAP. XIII. Reflexio 282.

Poſito impedimento itineris propter verba murmurantium; hìc ponitur nova retardatio propter verba exploratorum. Sciendum eſt autem, quod Populus Iudaicus, ferè ſemper Divinæ promiſſioni incredulus, incitabat continuè Moyſen ad mittendum exploratores, qui conſiderarent terram ante illorum ingreſſum; quam quidem inſtantiam non approbabat Moyſes, eoquod Dominus Deus dixerat illi, quod eſſet eorum Ductor: nihilominus, propter importunitatem populi conſuluit ſuper hoc Dominum. Qui reſpondit ei, ut mitteret Viros, qui conſiderarent terram Chanaam de ſingulis Tribubus; itaquod fuit permiſſio ad malum populi, malè petentis, & increduli ad Divinas promiſſiones. Fecit ergo Moyſes id quod Dominus imperaverat, mittens principes viros de deſerto Pharam ad terram promiſſionis; qui redeuntes poſt quadraginta dies, dixerunt ad populum: *Venimus in terram, quæ re vera fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt; ſed terra devorat habitatores ſuos.* Inceperunt autem narrationem à commendatione terræ, ut ſic populus magis illis crederet in detrahendo de illa. Communiter enim detractor incipit à commendatione perſonæ, cui poſtea vult detrahere, ut inclinet corda audientium ad iudicandum, quod non moveatur odio, ſe amore puræ veritatis: ſic iſti perverſi, confeſſata fertilitate terræ, ſtatim dixerunt habere fortiſſimos cultores; & Amalech habitare in meridie, ut ſic magis terrerent po-

pulum,

Digitized by Google

pulum, cui Amalech moleſtus fuerat alio tempore, ut patet *Exod.* 17. Deinde dixerunt terram devorare ſuos habitatores; per hoc inferentes, illam eſſe peſtiferam ratione aeris, & habere monſtra, ideſt homines ultra quantitatem naturalem alios mirabiliter excedentes; quapropter ex iſta perverſa relatione fuit Populus valde perterritus.

CAP. XIV. Reflexio 283.

Poſita trangreſſione Exploratorum; hìc agitur de totius populi murmuratione: deſperavit enim de conſecutione terræ ſibi à Deo promiſſæ, & optavit magis eſſe in Ægypto, quam in Deſerto; cum tamen melius fuiſſet illis mori in ſolitudine: quandoquidem hìc erant liberi, in Ægypto autem magna premebantur ſervitute: quilibet autem generoſus animus ſuper omne humanum bonum deſiderat libertatem: ſed iſti erant puſillanimes, & nunquam in virilem animoſitatem eruperant. Et iſta fuit una de cauſis, quare Deus voluit, ut tota illa gens periret in Deſerto: nam omnes in ſervitute Ægyptiaca fuerant nutriti. Servi autem, quia ſub iugo dominorum ſunt, ſemper timent, & nunquam magna audent, quia propter imperium dominorum franguntur in illis animoſitates. Igitur Hebræi eligentes reverti in Ægyptum, dixerunt: *Conſtituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum*: Cumque clamaret omnis multitudo, & vellet lapidibus opprimere Moyſen, & Aaron, apparuit Gloria Domini ſuper tectum Fœderis: hæc autem fuit columna Nubis, quæ licet ſtaret ſuper tectum Fœderis, tamen apparuit plus ſolito fulgens; & in ea fuerunt monſtrata aliqua ſigna terribilia, ad reprimendam temeritatem tumultuantis populi. Deinde Dominus dixit: *In ſolitudine hac iacebunt Cadavera veſtra, omnes qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra*: Ex quo patet, quod illi qui erant

minoris ætatis, non fuerunt condemnati per hanc ſententiam. Similiter nec Levitæ, quia iſti non erant computati à viginti annis, ſed ab uno menſe. Licèt autem filij blaſphematorum non fuerint mortui in deſerto, tamen per quadraginta annos retardati ſunt ab ingreſſu terræ promiſſionis; quæ quidem pœna, licet fuerit pro peccato parentum, tamen reſultavit in bonum ipſorum parvulorum: nam per varios labores facti ſunt fortiores ad bella exercenda, & promptiores, ad ſuſtinendum adverſa in toto decurſu vitæ ſuæ: eſt enim inexcogitabilis effectus Divinæ pietatis, nam licet interdum Deus puniat peccantes, tamen in ipſa punitione, non deficit eius miſericordia, ut hìc manifeſte patet; dum pœna quadraginta annorum, proficiebat pro acquirendâ bellica virtute, & fortitudine in adverſitatibus futuris tolerandis.

Reflexio 284.

SEcuta Domini ſententia, locutus eſt Moyſes univerſa verba Domini ad populum, manifeſtando illi Divinam ſententiam, de morte omnium murmuratorum in deſerto: licèt enim iam data fuiſset, tamen Moyſes, & Aaron ſoli eam audierant; ſtatimque exploratores, qui fuerunt cauſa peccati multitudinis, mortui ſunt in conſpectu Domini ad oſtium Tabernaculi coram toto populo, per peſtem immiſſam in eos. Et dicunt Doctores, quod linguæ eorum horribiliter inflatæ fluebant veneno. Licèt autem Dominus, poſt murmurationem prædictam prohibuiſset Iſraelitis pergere ad terram promiſſionis, tamen iſti aſcenderunt in mane verticem montis, dicentes, ſe eſſe paratos tranſire ad prædictam terram: hoc enim faciebant ne viderentur repugnare mandato Dei, ſicut prius repugnaverant. Sed cum iam Dominus interdixiſſet illis tranſitum, iubens, quod reverterentur verſus mare rubrum, transgrediebantur de novo Divinum præceptum. Tranſibat enim populus iſte irrationabilis, ab extremo in extremum: prius enim in terram Cha-

Chanaam ad mandatum Dei ire noluerat; nunc autem contra expreſſam inhibitionem ad illam pergere volebat: quod cernens Moyſes, dixit illis, ut non aſcenderent, quia non erat cum eis Deus, per ſpecialem videlicet protectionem; & perconſequens, non poterant debellare Chananæos. At illi obtenebrati, non recipientes ſanum conſilium, nihilque curantes de verbis Sancti Ducis, aſcenderunt verticem montis; ſed percuſſi fuerunt ab adverſarijs. Iſta autem cœcitas, ſeu obtenebratio, provenit ex peccato antecedenti; merentur enim homines incidere, propter perpetrata ſcelera, in aliquam inconſiderationem, vel ignorantiam, per quam deinde multa damna, & varias calamitates incurrunt: undè plerumque ſapientiſſimi etiam Viri, erraverunt in aliquo, in quo etiam imprudentiſſimus non erraſſet; quia nihil benè agere poſſumus, niſi Deus per ſuam gratiam nos ſpecialitèr illuminet, & dirigat in agendis.

CAP. XV. Reflexio 285.

POnitur in hoc Capitulo quoddam incidens de colligente ligna in Sabbato. Invenerunt enim filij Iſrael hominem colligentem ligna in Sabbato, & recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. Licèt enim ſcirent, ipſum debere interfici; tamen neſciebant quam mortem ſubire deberet, quia modus mortis non fuerat determinatus *Exod.* 31. & ideo ipſum recluſerunt quouſque per revelationem Divinam hoc ſcirent. Tunc Dominus iuſſit, ut talis lapidaretur extra caſtra à tota multitudine; quod ſtatim fuit executioni mandatum. Deinde præcepit Dominus Iſraelitis ut facerent ſibi Fimbrias, ponentes in eis Vittas Hyacinthinas. Sicut enim ille populus erat ſpecialiter electus à Deo, eoquod ex eo naſciturus erat, ſecundum

dum carnem, Chriſtus Dominus: ita voluit Deus, illos diſtingui in habitu ab alijs gentibus. Porrò iſtæ Fimbriæ erant quatuor partes veſtimenti, diviſæ in anteriori, & poſteriori parte; unde neceſſe erat quod in duabus diviſionibus, vel aperitionibus, eſſent quatuor fimbriæ. In extremitatibus autem fimbriarum erant Vittæ, ideſt parvi fuſciculi, ex multis nodis complexi, & coloris Hyacinthini: in ſignum, quod deberent habere converſationem Cœleſtem, reſpectu aliarum Gentium: nam color Hyacinthinus eſt ſimilis colori Cœli quando ſerenum eſt. Item ponebatur de hoc colore ſuper eos, ut memorarentur mandatorum Dei: quapropter in confirmatione Legis talis color apparuit; & in veſtimentis Sacerdotalibus multum erat de tali colore. Similiter cortinæ Tabernaculi, & Tentoria habebant magis de Hyacintho, quàm de alijs filis; & omnia velamina Vaſorum Sanctuarij, præter velamen Altaris Holocauſtorum, erant Hyacinthina: unde viſio talis coloris debebat inducere Iſraelitas ad obſervantiam mandatorum Dei, ut ſic faciendo certam haberent ſpem Regni Cœleſtis.

CAP. XVI. Reflexio 286.

HIc ponitur aliud impedimentum itineris, inſurgens ex ambitione Core tumultuantis pro uſurpando Sacerdotio. Sciendum eſt autem quod Caath, filius Levi, habuit quatuor filios: nempe *Amram* primogenitum; *Iſaar* ſecundò genitum; *Hebron* tertium filium; & *Oziel* quartum. Cum autem Moyſes, & Aaron promoti eſſent in populo, dum unus erat Dux, alter verò Summus Sacerdos, videbatur ipſi Core, quod poſt eos deberet ipſe habere prælationem in populo, eo quod eſſet filius ſecundi filij Caath: & ideò quando vidit quod Eliſaphã, qui erat filius Oziel quarti filij Caath, fuit factus Princeps ſub Eleazaro filio Aaron, ut habetur ſupra *Cap. 3.* cæpit ardere invidia; concepitque

ccepitque

cepitque indignationem, eo quod filius iunioris filij Caath factus fuerat eius ſuperior; & aliorum Caathitarum; & ideò movit ſeditionem, ut Moyſes perderet Ducatum, & Aaron Sacerdotium. Et ut ad hoc poſſet pertingere, habuit conſilium cum Dathan, & Abiron, qui erant magni Principes de Tribu Ruben primogeniti Iacob, ut ipſe haberet Sacerdotium, & illi Ducatum: undè per totam noctem, & partem diei, Core & ſibi adhærentes diſcurrerunt per Caſtra, perſuadentes populo, quod non erat communis utilitas Aaron eſſe Summum Sacerdotem, & Moyſen Ducem. Deindè donis, & promiſſis coacervaverunt ſibi multitudinem, quæ ſemper deſiderat novitatem; odit enim præſentia, commendat præterita, & expectat futura. Commota igitur plebe, Core, & ſui ſequaces ſurrexerunt contrà Moyſen, & Aaron, imponentes illis, quod ſibi arrogaſſent præpoſituras in Populo. Tunc Moyſes videns talem ſeditionem, pronus in faciem ſe humilians coram Deo, imploravit Divinam protectionem: deinde dixit, quod Core, & ſui adhærentes acciperent Thurribula, in quibus ponerent Thymiama coram Domino, ut ſic appareret per ſignum à Deo immiſſum, cui ſpectaret officium Sacerdotale. Contendebatur namque hìc de Sacerdotio; ideo fuit conveniens dari eſperimentum in aliqua operatione Sacerdotali.

Reflexio 287.

POſt prædictam electionem, miſit Moyſes, & vocavit Dathan, & Abiron, qui noluerunt venire. Et iſte fuit primus actus directus ad ſibi vindicandum Principatum, dum recuſarunt ſuperiorem recognoſcere. Tunc Moyſes iuſſit Core, ut in craſtinum accederet unà cum ſuis, habentibus Thurribula ad offerendum Domino Thymiama ſimul cum Aaron: qui cum veniſſent ad oſtium Tabernaculi dixit Dominus Moyſi, & Aaron, quod ſepararentur de medio illius congregationis; & quod præciperent univerſo populo, ut procul ſtaret à Tabernaculis Core, & Dathan, &

Abiron; quarè Moyſes ſtatim abijt ad Dathan, & Abiron, qui ſtabant in introitu Papilionum ſuorum cum Vxoribus, & liberis, pertinaciter parati ad reſiſtendum Moyſi; & ut demonſtrarent, ſe nihil timere de verbis Sancti Ducis. Et ecce terra dirupta eſt ſub pedibus eorum, & devoravit illos cum Tabernaculis ſuis, deſcenderuntque in infernum: prius tamen mortui ſunt morte corporali, antequam pervenirent ad pœnas æternas; quia omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori, ad ſolvendum debitum Naturæ lapſæ. Deinde Divina Iuſtitia ſuam exercuit vindictam contra ducentos quinquaginta viros, qui auſi fuerant offerre incenſum, ad uſurpandum ſibi Sacerdotium. Ignis enim egreſſus de Thuribulis, vel de Altari Holocauſtorum, illos interfecit. Tunc Dominus Deus præcepit Eleazaro, ut produceret in laminas dicta Thurribula, & affigeret in Altari, ad reprimendam in poſterum temerariam Sacerdotij uſurpationem. Poſt hæc murmuravit univerſa multitudo altera die contrà Moyſen, & Aaron dicentes, ipſos interfeciſſe populum Dei; cumque oriretur ſeditio, fugerunt Moyſes, & Aaron ad Tabernaculum fœderis: quibus ingreſſis, Nubes quæ ſemper ſtabat in altum ſuper Tabernaculum, deſcendit, ambiens circumquaque ipſum, ut nullus poſſet accedere. Et volens Dominus delere iniquam multitudinem, Moyſes, & Aaron proni rogaverunt Deum pro populo. Dantes per hoc exemplum Prælatis, quod non debent ſubtrahere ſpiritualia beneficia ſubditis propter iniuriam ab illis ſibi illatam. Quia vero iam plaga erat ſæviens in populo (nam ignis, vel è Cœlo deſcendens, vel de terra erumpens, occidebat rebelles) tulit Aaron Thurribulum cum incenſo, pergens in medio multitudinis, quam vaſtabat incendium, obtulitque Thymiama; & ſtans inter mortuos, & viventes deprecatus eſt pro populo Dominum, ad cuius orationem plaga à Deo immiſſa ceſſavit. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt in incendio prædicto quatuordecim millia, & ſeptingenti hominum abſque illis, qui perierant in ſeditione Core.

CAP.

CAP. XVII. Reflexio 288.

Dicto de ſeditione Core pro vindicando ſibi Sacerdotio; hìc ponitur determinatio eiuſdem dignitatis per floritionem Virgæ. Voluit enim Deus declarare per hoc ad quem vellet pertinere tale officium; ut ſic ceſſaret ambitio, cupiditas, & avaritia deſiderantium talem dignitatem. Pontificale namque officium magna res erat, & redditus abundantiſſimi; ideò quilibet optabat talem dignitatem: maximè quia Iſraelitæ erant imperfecti, ſola lucra temporalia quærentes. In Novo autem Teſtamento, non ad redditus Epiſcopalis dignitatis attenditur à Prælatis; ſed tantum ad lucra animarum, ad aquas regendas poſuit illos Spiritus Sanctus. Igitur de mandato Dei omnes Principes Tribuum dederunt virgas inſcriptas nomine ſuo: quæ omnes fuerunt repoſitæ per Moyſen in Tabernaculo coram Domino, ut dignaretur oſtendere ſenſibili ſigno voluntatem ſuam. Sequenti ergo die ingreſsus Moyſes Tabernaculum, invenit virgam Aaron germinaſse; turgentibus enim gemmis flores eruperant, qui dilatatis folijs, in Amygdalas deformati ſunt. Primo enim natæ fuerunt quædam gemmæ, & de gemmis facti ſunt flores; & ultimò gemmæ deformatæ ſunt in Amiygdalas. Totum enim, quod in gemmis continebatur, converſum eſt in Amygdalas: proprie namque deformari eſt, unius rei materia effici materiam alterius; in qua mutatione prima res deformatur, quia perdit formam ſubſtantialem, vel ſaltem accidentalem, utpotè figuram quam prius habebat. Dicunt autem Doctores, quod ideo virga illa protulit Amygdalas; quia ſicut Amygdalus inter arbores emittit primò flores, & fructus; ita per hoc ſignum ius primogenituræ, nempè Sacerdotium, demonſtrabatur provenire ad Aaron. Man-

ſit vero iſta virga florens miraculoſè, & repoſita fuit in Arca; & ſic erant ibi tria, in teſtimonium rerum geſtarum, videlicèt, *Tabulæ* in teſtimonium Legis datæ. *Manna* cum Vrna in recordationem, quod Dominus aluiſſet Iſraelitas tali cibo in deſerto. Et *Virga Aaron*, in teſtimonium, quod Deus elegiſſet Tribum Leviticam ad officium Sacerdotale.

CAP. XVIII. Reflexio 289.

Determinato Sacerdotio, ponitur hìc oneris impoſitio; & dicitur quod Sacerdotes portarent iniquitatem Sanctuarij. Pro intelligentia autem Textus ſciendum, quod non erat aliqua iniquitas Sanctuarij, niſi illa quæ irreverenter fiebant in ipſo Sanctuario: puta dum ab aliquo ſeculari tangebatur; vel dum officia Divina uſurpabantur ab illis, qui non erant deſtinati ad Sacra facienda, & hanc iniquitatem portabant Sacerdotes, & Levitæ: nam Vulgares puniebantur de tranſgreſſione, & audacia; Sacerdotes autem, & Levitæ de ommiſſione, & negligentia. Aſſignavit deinde Deus Sacerdotibus pro illorum officio, & laboribus omnia quæ ſanctificabantur; ideſt, promittebantur Domino per votum. Secundò, omnes primitias, quæ vocantur nomine *medullæ*; quia debebant dari de melioribus: medulla namque eſt optimum ipſius rei. Tertiò, quicquid primum erumpebat de vulva, ſivè de hominibus, ſivè de pecoribus. Pro primogenito tamen hominis dabatur pretium, quia homo non eſt animal immolatitium, & cedebat in ius omnium Sacerdotum. Levitis verò aſſignavit Deus decimas omnes, & ideo noluit quod in terra promiſſionis haberent hæreditatem; ſi enim fuiſſet illis aſſignata hæreditas, nimis gravatæ remanſiſſent aliæ Tribus: etenim Sacerdotes, & Levitæ recipiebant quaſi duplum unius ſortis; nam Levitæ recipiebant decimas fructuum terræ, & pecorum, & ſic percipiebant plus,

quam

quam unam ſortem: nam tota terra Chanaam erat diviſa in duodecim ſortes. Sacerdotes autem recipiebant multa alia iura, quæ ſupra enarrata ſunt; adeout redditus omnium Levitarum erant plures quolibet anno quam fructus duorum ſortium: quapropter ſi Dominus dediſſet illis terram ſicut cœteris, fuiſſet populus nimis depauperatus. Quià vero Levitæ habebant pecora, & iumenta, quæ illis proveniebant de decimis, indigebant locis paſcualibus, ideò Dominus Deus dedit cuilibet Vrbi Levitarum ſpatium duorum millium cubitorum in circuitu, ad ibi paſcenda pecora; non tamen faciebant in his locis agros, & vineas, ut ſic magis vacarent officio ſuo, cum eſſent liberi à curis ſecularibus, & occupationibus terrenis. Summus vero Sacerdos habebat iura duplicia. Quædam enim erant ei communia cum alijs Sacerdotibus; nempè omnia quæ ſupra poſita ſunt: alia vero erant ei propria, nempe decimæ quas recipiebat à Levitis. De decimis namque receptis à populo, dabant iſti decimam Summo Pontifici, antequam de illis quicquam aſſumerent in proprios uſus. Per hanc autem decimam recipiebat Summus Sacerdos centeſimam partem omnium fructuum totius populi Iſraelitici; ideoque erat ditiſſimus, eiuſque familia nimis magna; adeout excepto Rege, non erat in toto Regno aliquis ita potens, ſicut Summus Pontifex.

CAP. XIX. Reflexio 290.

Dictum eſt ſuprà quomodo ſe haberet Sacerdos ad Deum ei miniſtrando, & ab eo iura recipiendo; hìc agitur quomodo ſe debeat habere ad populum purificandum: eſt enim mediator Dei ad populum, & hoc propriè reſpicit purificationem, quæ à Deo derivatur ad populum, per officium ipſius Sacerdotis. Sciendum eſt autem, quod in veteri Lege erant duæ

purificationes. Vna erat ab immunditia ſpirituali, quæ contingebat ex peccatis, & iſta, quia erat gravior purificabatur per oblationes, & Sacrificia, accedente tamen fide, & contritione; non verò per ſanguinem ſolummodo Hircorum, & Taurorum. Et ſic patet quod Lex Moſaica, per obſervantiam ſuam non inducebat directè aliquam utilitatem, & per inobſervantiam inducebat mortem. Alia erat ab immunditia corporali, per quam efficiebatur homo ineptus ad ingrediendum locum Divini cultus, & tales immundi purificabantur per aſperſionem aquæ luſtralis, in qua commiſcebantur cineres Vaccæ combuſtæ, quæ hìc vocatur *Religio victimæ*, quia immolabatur pro purificatione totius populi, ut poſset accedere ad cultum Dei: qui cultus in Sacra Scriptura dicitur Religio, & ideò hæc Victima vocatur ſpecialiter nomine Religionis. Exhibebatur autem à toto populo, quia fiebat pro purgatione multitudinis, & immolabatur pro peccato idolatriæ Vituli fabricati in deſerto: ideoque dicitur magis Vacca, quam Vitulus. Debebat eſſe Rufa, vel ut dicitur in Hebræo, *Rubea*, quia Idolum prædictum fuit aureum; ut ſic melius exprimeretur prædictum Idolum. Non debebat eſſe iugo domita; ad ſignificandum, quod filij Iſrael in adoratione Vituli, abiecerunt à ſe iugum Divinæ Legis. Immolabatur ab Eleazaro, non verò ab Aaron; quia Eleazar non peccavit in conflatione Vituli: Aaron verò aliquo modo peccavit, dum timore populi tumultuantis, fabricavit Idolum. Immolabatur extrà caſtra: ad denotandum, quod idolatria debebat prorſus elongari à toto populo. Deinde Sacerdos tincto digito in ſanguine victimæ convertebat ſe verſus illam partem, ubi erat Tabernaculum, aſpergens verſus illam plagam ſeptem vicibus: ad denotandum quod idolatria equipollet omnibus alijs peccatis, eoquod importat totalem receſſum à Deo. Vniverſitas enim deſignatur ſeptennario numero. Deinde combuſtis carnibus, ponebatur Lignum Cedrinum, & Hyſsopum, & Coccum bis tinctum, talis enim color ſervat diu colorem; ad denotandum quod

cineres

cineres debebant ſervari per totum annum ad purificationem populi, qui aſpergebatur hyſſopo, quod eſt herba odorifera: ad denotandum, quod per talem aſperſionem amovebatur immunditia contracta. Lignum verò cedrinum ponebatur, ad reprimendum fœtorem exhalantem ex combuſtione pellis, & fimi Victimæ immolatæ.

Reflexio 291.

TErminata immolatione prædicta, tam ille qui portabat cineres, quam ille qui aſpergebat aquas, immundi erant uſque ad veſperam; adeout Sacerdos aſpergens non poterat in tota illa die miniſtrare in Sanctuario, vel comedere de ſanctificatis. Pro quo ſciendum, quod immunditia dupliciter contrahebatur in veteri lege. Vno modo ex immunditia rei tactæ, & ſic tangens mortuum efficiebatur immundus, quia ex cadavere mortui exeunt humores corrupti, & fœtidi; ideoque tangentes fiebant inepti ad accedendum ad Sacra. Alio modo ex indignitate tangentis rem ſacram: ſicuti modo in Eccleſia, ſi Laicus tangeret Calicem conſacratum, peccaret. Sic pariter redigens Vaccam in cineres, ut erat Sacerdos, & ille qui colligebat ipſos cineres, efficiebantur immundi, quia iſti cineres erant multùm ſacri, cum ordinarentur ad purificationem totius populi: quapropter reputabantur indigni ad tangēdas res tam ſacras, & per conſequens contraxiſſe aliquam maculam, qua poſita, indigerent purgatione, quæ quidem purgatio, non fiebat per aſperſionem Aquæ luſtrationis, ſed per ablutionem corporis, & veſtium. Nam Sacerdos ſi aſpergeret prædicta aqua ſeipſum, cōtraheret maculam, ſicut contrahebat aſpergens alium; cum in utroque caſu tangeret rem ſacram, quam tangere, indignus propriè reputabatur. Si verò aſpergeretur ab alio Sacerdote, eadem ratione iſte aſpergens indigeret aſpergi per alium, & ſic in infinitum; ideo talis purgatio, non per aſperſionem aquæ luſtrationis, ſed per ſolam ablutionem corporis, & veſtium fiebat.

CAP. XX. Reflexio 292.

AGitur in hoc Capitulo de alio impedimento, retardante ingreſſum in terram promiſſionis, proveniente ex nova murmuratione populi. Venerunt enim filij Iſrael in deſertum Sin, & manſerunt in Cades; mortuaque eſt ibi Maria, & in eodem loco ſepulta: cumquè populus indigeret aqua, verſus eſt in ſeditionem contra Moyſen, & Aaron: qui ingreſſi Tabernaculum fœderis, rogaverunt Deum, ut dignaretur dare populo aquas. Tunc Dominus dixit illis, ut congregarent populum, & in præſentia totius multitudinis loquerentur ad Petram, quæ deinde daret aquas. Congregato igitur populo, elevavit Moyſes manum, & percuſſit virgà bis ſilicem, egreſſæque ſunt aquæ largiſſimæ. Dicunt autem DD. quod aquæ primo ictu non exierunt, propter dubitationem Moyſis; in ſecundo verò exierunt, propter impletionem Divini promiſſi. Percuſſa igitur Petra, & aquis egreſſis de illa, dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. Sciendum eſt autem quod Moyſes, & Aaron peccaverunt in hoc, quod non fecerunt ſicut præceperat illis Deus; nam dixerat: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas*. Moyſes autem, & Aaron voluerunt facere, ſicut in Raphidin, ubi virgà percuſſerunt petram, & ſtatim egreſſæ ſunt aquæ. Sed hìc non percutiendo, ſed loquendo debebat fieri miraculum; & iſta locutio erat, ut manifeſtaretur populo gloria Dei, dum prolato Nomine illius, ſtatim petra dividebatur, & abundantiſſimè dabat aquas; quod erat novum ſignum Divinæ potentiæ. Vnde populus hoc videns, glorificaſſet Dominum. Stante igitur prædicta transgreſſione, fuit eis aſſignata pœna: nimirùm, quod

non introducerent populum in terram Chanaam; quod quidem erat ipſis valdè amarum, cum tam diù laboraſſent, & in fine carerent intento, tam vehementer expectato.

Reflexio 293.

MOverunt intereà Iſraelitæ caſtra de Cades, & venerunt in Montem Hor, ubi Dominus locutus eſt ad Moyſen dicens: *Pergat Aaron ad populos ſuos*. Iſte autem modus loquendi magis accipitur in viris bonis, qui dicuntur pergere ad populos ſuos, nempè ad populos Sanctorum, quibus ſociandi ſunt. Et dicitur *ad populos*, quia qui moritur vadit ad multitudinem maiorem illà, quam relinquit in Mundo. Igitur ad Domini Præceptum, aſcendit Moyſes cum Aaron, & Eleazaro in Montem Hor, vidente omni multitudine. Et credendum eſt, quod nunciatum fuerit toti populo, quod aſcendebat Summus Pontifex in montem ad moriendum; qui licèt ſciret ſe ibi moriturum, tamen promptiſſimè, & conſtanter pergebat, ut Deo ſuo humiliter obediret. Dicunt autem Doctores, quod cum ſupradicti tres in montis verticem perveniſſent, viderunt ibi ſpeluncam à Deo paratam, & in ea Lectum ſtratum, & Lampadem antè ipſum ardentem, & ſic cognoverunt quod locus ille, erat pro Sepultura Aaron. Quapropter Moyſes ſpoliavit ipſum Aaron Pontificalibus veſtibus, induitque Eleazarum filium eius, ut pater ante mortem aſpiceret filium ſibi in Pontificali honore ſuccedentem, & ad demonſtrandum, quod Eleazar, non appetebat Summum Sacerdotium ſe ingerens, ſed ſolo iuſſu Dei; ideo non per ſeipſum, ſed per Moyſen, tamquam Dei miniſtrum, fuit pontificalibus veſtibus indutus. Tunc Aaron ſtatim poſuit ſe in lecto illo, extendens manus, & pedes, & claudens os, & oculos; nulloque præveniente languore, animam in pace emiſit. Videns autem Moyſes tranquillam mortem fratris ſui, deſideravit ſibi ſimilem, & obtinuit à Domino, ut patet infra. Populus verò

audita

audita morte Summi Pontificis amarè flevit triginta diebus; tùm quia ipſum valde diligebat, tùm propter ſingulares virtutes, quæ in ipſo erant; tùm propter reverentiam, quæ debetur Pontificali dignitati. Ex hoc autem quod populus per triginta dies celebravit exequias Aaron, cœpit Eccleſia Dei conſuetudinem celebrandi memoriam defunctorum die trigeſima ſepulturæ.

CAP. XXI. Reflexio 294.

POſito impedimento itineris verſus terram promiſſam, proveniente ex aquis contradictionis; hìc ponitur impedimentum ex parte hoſtis Chananæi perſequentis populum Dei: quandoquidem Rex Arad, audiens approximaſſe populum Iſrael, parato exercitu ſuo pugnavit contra illum, & victor exiſtens, duxit ex eo prædam. Tunc Iſrael voto facto promiſit, ſi Deus concederet ei victoriam, quod deleret Vrbes Regis Arad. Hoc autem votum conſiſtebat in hoc, quod populus non acciperet aliquid de bello pro ſe,ſed omnia Deo traderet, tamquam non pro ſeipſis, ſed pro ſola gloria Dei pugnaretur. Sciendum eſt autem, quod non erat aliquis modus applicationis rerum iſtarum, niſi per deſtructionem Civitatum, nè cederent amplius ad uſum hominum,qui in illis exercebant idolatrias, quod totum videbatur tendere ad honorem Divinum, maximè quia hoc Deus iubebat: ideoque votum erat acceptum ipſi Deo. Igitur, emiſſo voto, tradidit Dominus Chananæum in manus Iſrael. Poſt acceptam autem victoriam, populus ſemper rebellis, non egit gratias Deo, ſed laboris, & itineris impatiens, locutus eſt contrà Dominum, & Moyſen dicens: *Cur eduxiſti nos de Ægypto,ut moreremur in ſolitudine?* Quamobrem miſit Dominus Deus in populum, ignitos ſerpentes. Et dicunt aliqui Doctores, quod ſic vocantur, eo-

quod

quod per aerem volantes emittebant ſcintillas ardentes. Alij dicunt ſic vocari, quia per morſus eorum calefaciebat Caro, ac ſi igniretur. Et addunt, quod Dominus creavit iſtos ſerpentes ad pœnam murmurantium. Alij dicunt quod non fuerunt de novo creati, ſed miniſterio Angelorum adducti de partibus Libiæ, ubi plures ſunt, quam in toto Orbe. Igitur ad mortem plurimorum venerunt Iſraelitæ ad Moyſen, confitentes peccatum ſuum: qui immemor iniuriæ, & memor clementiæ, oravit pro populo, & Dominus præcepit ei dicens: *Fac Serpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet*. Conſiderandum eſt autem, quod in Serpente non erat virtus ſanandi, ſed aſpicientes illum, ſtatim recognoſcebant afflictionem ſibi à Deo iuſtè illatam, petentes miſericordiam, & tunc Dominus ſanabat illos: & quia Iudæi, utpotè imperfecti, movebantur per ſenſibilia, decuit dari illis aliquod ſignum materiale, ut recognoſcerent ſe eſſe ſanatos à Deo: & quia à ſerpentibus percuſſi fuerant, decentius fuit ponere magis ſerpentem in ſignum, quam aliquam aliam rem. Porro iſte ſerpens expreſſa figura fuit Chriſti Domini qui paſſurus erat in Cruce, ut habetur *Io. cap. 3.* per cuius intuitum, & fidem ſanamur à morſibus diaboli, ſerpentis antiqui. Et quod Serpens Æneus fuerit expreſſa figura Chriſti Domini, patet: quia ſicut talis ſerpens fuit ſimilis animali venenoſo, nihil tamen habuit de veneno: Sic Chriſtus Dominus, habuit quidem carnem ſimilem peccatrici, ſed nihil habuit, nec habere potuit de veneno peccati.

CAP. XXII. Reflexio 295.

Viſo de impedimento ingreſſus terræ promiſſionis per Regem Arad procurato; hic ponitur de novo obſtaculo per Balaam, ad ſuggeſtionem Regis Moabitarum poſito. Sed quia in *Tex.* Vocatur Balaam *Magus, & Ariolus*, & tamen eius prophetiæ, tamquam veræ habentur in auctoritatem,

tatem, videndum eſt, an tales fuerint à Deo, vel à Dæmone. Pro quo ſciendum, quod Propheta dicitur, quaſi *procul fans*, quia denunciat illa, quæ procul ſunt ab humana cognitione ſecundum viam naturæ. Item conſiderandum, quod quanto aliquis eſt ſubtilioris intellectus, tanto eius cognitio ſe extendit ad altiora, ad quæ non poteſt attingere cognitio intellectus magis rudis, qui capere non poteſt niſi ſenſibilia, & groſſa. Et ſi hoc eſt verum in diverſis intellectibus eiuſdem ſpeciei, multo magis verum erit in intellectibus diverſarum ſpecierum, cuiuſmodi ſunt intellectus Angelicus, & humanus: ideoque cum Angelus ſit ſublimioris naturæ, eius cognitio ad multa ſe extendit, ad quæ non poteſt attingere humana cognitio. Naturalia autem in dæmonibus integra remanſerunt, & ideo eorum cognitio naturalis ad plura ſe extendit, quam humana. Bonorum autem Angelorum cognitio adhuc ad plura ſe extendit, in quantum ſunt illuminati lumine gratiæ, & Divinis revelationibus. Patet igitur quod dæmones, permiſſi à Deo, poſſunt revelare hominibus aliquas veritates illis incognitas, & tunc tales homines dicuntur prophetæ dæmonum. Quando autem revelatio fit hominibus immediatè à Deo, vel mediantibus Angelis ſanctis, dicuntur Prophetæ Dei. Hæc autem revelatio, aliquando fit hominibus iuſtis; aliquando iniuſtis, ut patet *Matth.* 7. & 3. *Reg. cap.* 13. de Propheta idolorum, qui reduxit Prophetam Domini, & poſtea facta fuit ſibi revelatio Divina de morte illius Prophetæ, eoquod non obedierit voci Domini. Hoc autem cedit ad commendationem veritatis revelatæ, ut ipſa habeat teſtimonium etiam ab adverſarijs. His ſuppoſitis dicendum eſt: Quod Balaam fuit Propheta dæmonum, in quantum erat Ariolus, & Magus, quærens revelationes à dæmone. In quantum vero fuerunt ei revelatæ à Domino aliquæ veritates futuræ, fuit Propheta Domini, licèt à Deo illas non quæreret; fuitque compulſus pronunciare, quod nolebat, videlicet ſanctitatem, & proſperitatem populi Iſrael. Quod totum factum eſt principaliter ad gloriam Dei, qui erat

ductor

ductor illius populi; deinde ad terrorem adverſariorum, & tandem ad ſalutem Gentium,, quæ ex Prophetis ipſius Balaam motæ fuerunt poſtea ad quærendum Chriſtum natum, ut habetur *Matth. cap. 2.* ideoque propter hæc & ſimilia, eius prophetiæ in Canonica Scriptura receptæ ſunt.

Reflexio 296.

IGitur Balac Rex Moabitarum, timens Iſraelitas, miſit Nuntios ad Balaam, ſuppliciter rogans, ut ad ſe ſtatim veniret, dicens: *Veni, & maledic populo huic: ſi quomodo poſſim percutere, & eijcere eum; novi enim quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris.* Dicunt autem multi Doctores, quod Balaam erat magnus Aſtrologus in iudicialibus, prædicens ex Aſtris multa futura. Illa verò quæ per Aſtra cognoſcere non poterat, Dœmonum familiaritate ſcire nitebatur. Cum autem Populi rudes illius ſæculi viderent aliquando res evenire ſicut iſte prædixerat, putabant quod ex maledictione ſua, vel benedictione infortunia, vel proſperitates hominibus advenirent. Et maximè hoc credebat prædictus Rex, quia antequam obtineret principatum Moabitarum, prædixerat illi Balaam dominationem, & Regnum. Pervenerunt ergo Seniores Moab miſſis à Rege ad Balaam, habentes divinationis pretium in manibus ſuis, ut ſic cupidus Ariolus promptius ad Regem ſuum accederet: quibus viſis gratioſè eos accepit, & oblata munera arripiens dixit illis: *Manete hic nocte, & reſpondebo quicquid dixerit mihi Dominus.* Impius enim magus, licet quæreret reſponſum à Dæmone, tamen dixit nuntijs, ſe illis revelaturum illa, quæ Deus ſibi reſpondiſſet: quia modus magorum maxime cupidorum, qualis erat iſte ſceleſtus, eſt fingere coram hominibus, quod revelationes ſibi fiant à Deo vero, ut ſic magis illis credatur, & maius lucrum reportent.

Reflexio 297.

DVm ergo in nocte Balaam quærit reſponſum à dæmone, venit Deus ad illum: videlicet Angelus bonus loquens in perſona Dei, & ideo aliquando Deus, aliquando Angelus nominatur. Hoc autem fuit, ut arceret dæmonem à dando reſponſo, & ad ponendam legem, & frænum ipſi Balaam, ne faceret aliquod, vel diceret contra populum Iſraeliticum; & ne iret cum ipſis nuntijs. Quapropter mane conſurgens dixit eis: *Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus venire vobiſcum*. Fuit enim coactus proteſtari virtutem Dei, ut nihil poſſet agere, vel dicere, niſi quod placeret Domino. Sed dices, quare Deus prohibuit Balaam proferre maledictionem ſuper Iſraelitas? non enim videbatur neceſſarium: quia illius verba, & magicæ obſervationes non habebant aliquam efficaciam bonorum, vel malorum inferendorum; ideoque etiam ſi Iudæi non fuiſſent ſpecialitèr benedicti à Deo, tamen nihil potuiſſet nocere illis maledictio Balaam. Dicendum, quod iſtud fiebat principaliter ad utilitatem, & conſervationem Moabitarum. Deus enim meritis Loth nolebat pro tunc punire Moabitas. Si vèro Dominus permiſiſſet Balaam maledicere Iſraelitis, tunc Moabitæ confidentes ſuperſtitiosè in tali maledictione prolàta, quam putabant efficacem ad victoriam conſequendam, inijſſent prælium adverſus Iſraelitas, putantes illos totaliter delere, & ſic multi Moabitarum, vel forte omnes in bello cecidiſſent; prohibuit ergo Deus maledictionem Balaam, licèt ſecundum ſe inefficacem ad malum inducendum, ut tolleret occaſionem mortis ipſorum Moabitarum.

Reflexio 298.

AVdita reſponſione Balaam, receſſerunt Nuntij, & pervenientes ad Principem ſuum dixerunt, quod Balaam non poterat venire. Tunc Rex, moræ impatiens,

ens, miſit ad eos alios Nuntios, inſtans ut veniret, quia volebat eum honorare, & ditare; quibus auditis dixit illis Balaam: *Obſecro ut hìc maneatis etiam hac nocte*: Quamvis enim impius Magus fuiſſet priùs prohibitus pergere ad Regem Moabitarum; tamen cupiditate honoris, & avaritia illectus, adhùc quærebat quomodo cum illis pergere poſſet ut ſi fortè permitteretur Dæmon, dare ſibi reſponſum de contrario. Venit autem Angelus Dei ad Balaam eadem nocte, & ait illi: *Si vocare te venerunt homines iſti, ſurge, & vade cum eis; ità dumtaxat, ut quod tibi præcepero facias*. Adverte autem quod ideò prohibuit Deus Balaam pergere cum Moabitis, ut patet ſupra in textu, ut intelligeret, quod nolebat ipſum maledicere Iſraelitis: in iſta autem ſecunda vice permiſit Deus illum ire, quia non erat ampliùs hoc motivum, cum iam ſuam voluntatem manifeſtaſſet. Præterea verbum Angeli de conceſſione progreſſus non fuit præceptum, nec conceſſio ſimpliciter, ſed ſola permiſſio, quæ aliquando fit à Deo de malis, ut eliciantur bona, ſicut hìc: nam Dominus permiſit Balaam ire, ſatisfaciens cupiditati illius; ſed illud iter quod faciebat Magus intentione nocendi, convertit Deus tum ad gloriam ſuam; tum in commendationem populi ſui Iſrael. Per illa autem verba: *Ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero facias*: Non eſt intelligendum, quod Dominus appoſuerit hunc modum, tamquam ſine eius appoſitione non cogeretur Balaam facere quod Deus iubebat: nam contra voluntatem Dei nullo modo poterat Magus venire; ſed hoc appoſuit Deus ad gloriam Nominis ſui, & manifeſtam declarationem ſuæ Poteſtatis; ne Balaam videns ſe impotentem ad maledicendum, putaret ſe ab aliquo naturali caſu, vel ab aliquo Spiritu, à parte adverſa invocato, impediri; ſed ſciret hoc contingere à ſolo Deo ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ; & ſic cogeretur dare laudes Deo, confitendo, quod ipſe ſolus impediebat eum maledicere.

Re-

Reflexio 299.

MAne igitur facto ſurrexit Balaam, & ſtrata Aſina ſua profectus eſt cum Nuntijs: iratusque eſt Deus, quia nimirum impius Ariolus ibat perverſa intentione maledicendi populo Dei, quæ ſola mala erat, non verò itineratio; nam iſta redundabat in Dei gloriam, ut dictum eſt ſupra. In itinere autem ſtetit Angelus Dei inter duas macerias, ut ibi collideretur pes Magi itinerantis voluntate perverſa. Cernens autem Aſina Angelum ſtantem, avertit ſe de itinere recto, & ibat per agrum. Sumpſerat enim Angelus Corpus aereum, ut ſic viſibilis eſſet; quem tamen Balaam non vidit: eſt enim in poteſtate Angeli ſic apparentis, facere quod videatur ab uno, & non ab alio. Etenim ſecundum ordinem naturæ, inferiora ſunt in poteſtate ſuperiorum: & ideò materialia cum ſint inferiora Angelis, ſunt etiam in eorum poteſtate; ideo potuit Angelus eodem tempore oſtendere corpus aſſumptum uni, & illud alteri abſcondere. Sicut autem hoc fit ordine naturæ, ita fiet ordine gloriæ: ut nimirum animæ in corporibus beatificatis, videantur ipſa corpora, à quibus voluerint; alteri vero ibidem exiſtenti non oſtendantur. Hoc autem ex dotibus gloriæ, & non ex natura fit. Poſt hæc ſtetit Angelus in anguſtijs duarum viarum; quem videns aſina iunxit ſe parieti, & attrivit pedem ipſius Balaam, qui iratus cedebat fuſte latera eius; aperuitque Dominus os aſinæ, & dixit: *Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertio?* Non eſt autem putandum, quod aſina intelligeret, vel formaret verba, cum non haberet intellectum, ſed fuerunt formata virtute Angeli moventis linguam aſinæ ad prolationem ipſorum verborum, ut ſic præſumptio Balaam confutaretur etiam per animal brutum. Ad vocem autem iumenti non expavit magus, nec admiratus fuit; quia erat aſſuetus videre dœmones ſibi apparentes, & in ſpecie animalium ſecum loquentes. Deinde Dominus

aperuit

aperuit oculos Balaam: licet enim eſſent iam aperti ad videndum alia, non tamen erant aperti ad viſionem Angeli ratione prædicta.

Reflexio 300.

TAndem, permittente Deo, pervenit Balaam in Vrbem, ubi Rex Moabitarum manebat, in cuius adventu fecit magna convivia. Deinde duxit illum ad excelſa Baal; nempe ad montem ubi tale Idolum colebatur. Fuit enim modus antiquorum Gentilium, Deos ſuos in excelſis, & nemoroſis locis venerari, quia loca illa putabant eſſe ſacratiora unde Romani dicebant, quædam loca eſſe naturaliter determinata ad cultũ Deorum. Hinc Seneca ait:

Capita fluviorum veneramur
Et ubi Fons eſt, Numinis Ara fuit.

Hoc patet etiam obſervatum à Iudæis idolatris; nam colebant idola in excelſis. Et alij Iudæi licet colerent verum Deum, tamen colebant illum in montibus, ut patet in Libris Regum. Sciendum autem, quod Baal fuit idolum multarum Gentium, diverſimodè tamen nominatum. Nam Aſsyrij vocaverunt illud *Belum*; Babylonij autem *Bel*: alij *Baalim*: alij *Aſtaroth*: alij *Beelphegor*; Iudæi vero vocaverunt *Beelzebu*. Cultus autem Deorum ſine imagine, incoatus fuit à Nemrod, qui docuit Chaldæos colere ignem; cuius filius fuit Belus, qui genuit Ninum. Mortuo vero Belo fecit Ninus imaginem ad recordationem ſui Patris, quam tenebat in magna reverentia. Servi autem illius, propter adulationem, cœperunt exhibere ſimulacro illi Divinos honores; quod quidem placens Nino, verſa eſt adulatio in præceptum. Et ex hoc poſteri Reges coegerunt ſubditos ad adorationem maiorum ſuorum defunctorum. Procedente verò tempore, in tantum hominum ambitio prævaluit, ut etiam viventes honores Divinos appeterent. Hinc Nabuchodonoſor ſe Deum nominavit. Et Alexander, ſolum ho-

hominem eſſe faſtidiens, iuſſit ſe Deum dici. Philotam autem militem ſuum, filium Parmenionis, quia in hoc illum redarguerat, fecit à tota multitudine lapidare, obiectis quibuſdam falſis criminibus. Et Herodes qui Sanctum Iacobum occidit, paſſus eſt ſibi deferri Divinos honores. At ſubito ſcaturientibus vermibus de carne eius, percuſſus ab Angelo, mortuus eſt, ut patet *Actibus*: 12. Fuit præterea alius modus introducendi multitudinem Deorum, quam tangit *Ar. 3. Polit.* Homines namque, licet Gentiles à principio per hoc nomen Deus, intelligebant id., quod inter omnia entia optimum, & perfectiſſimum eſt. Et cum rudes eſſent, videntes aliquos viros excellentes, ſibique multum beneficos, volentes de illis prædicare magnam illorum bonitatem, neſcienteſque gradus diſtinguere, ſummum gradum, nempe Deum, pro inferioribus aſſignabant; quapropter generaliter omnes viri fortiſſimi, & benefactores, inter Deos computati ſunt, ut ſatis declarat S. *Auguſtinus* 18. *de Civitate Dei*.

CAP. XXIII. Reflexio 301.

POſito adventu Balaam; hìc ponitur maligna eius diſpoſitio, & conatus, ad maledicendum; & hoc per ſacrificia oblata Dæmonibus. Dixit ergo Regi quod in monte ædificaret ſibi ſeptem Aras, & pararet totidem Vitulos, & tot Arietes. Hoc autem fecit Magus; tum ut in Venis, & Præcordijs animalium inquireret iudicium de quæſitis; tum in venerationem ſeptem Planetarum. Nam quia tota vita animalium, per motum Planetarum ſub Zodiaco conſervatur, antiqui Gentiles illos præcipue colebant. Extructis igitur Aris, & præparatis Victimis, dixit Balaam ad Regem, quod ſtaret iuxta Holocauſtum, donec iret in occurſum Domini. Sciendum eſt autem, quod licèt Balaam aſſumat hic nomen Domini; tamen intendebat habere revelationem à Dæmone quærebat enim augurium, ut habetur in principio ſequentis capituli: augurium autem, non eſt revelatio à Deo, ſed à

Dæ-

Dæmone. Et licet Balaam ſciret, Deum benedixiſſe definitivè populum, tamen corrupta eius voluntas, & perverſitas, tantum in eo incaluerat, ut abſolutam determinationem Divinam immutare conaretur. Preſentia enim Dei, ſolum eius intellectum ſpeculatiuum illuſtrabat, ut neceſſarium eſt in omnibus Prophetis; voluntatem autem illius, nullo modo gratia ſua gratum faciente, tangebat: ideoque nullatenus proficiebat, etiam ſi Deus continue ſibi mirabilia loqueretur. Sunt enim iſta multum diſtantia: ſcilicet intellectus ſpeculatiuus, & voluntas; ideoque poteſt unum ſine altero perfici. Sciendum eſt etiam, quod Balaam quærens augurium recedebat à ſocietate hominum: quia apparitiones, quibus apparent dœmones cultoribus ſuis, fiunt communiter per abſtractionem à ſenſibus, & cum aliqua horribili paſſione corporis, & hoc accidit permittente Deo, ut Prophetæ dœmonum à Prophetis Domini, etiam per exteriora ſigna diſtinguantur, in quibus apparitio Divina ſuavis, & dulciſſima eſt. Recedebat ergo Ariolus ſceleſtus à conſortio hominum, ne per talem paſſionem ſibi contingentem contemneretur. Elongato igitur ab humano conſortio, apparuit illi Angelus Dei, impediens reſponſum dæmonis, & ponens in ore Balaam benedictionem; unde invitus populum benedixit, optans in fine Parabolæ mortem Iuſtorum. Licet enim mali nolint vivere vita bonorum, appetunt tamen illorum mortem. Hinc noſtris temporibus quidam Lutheranus dixit: Optare vivere Lutheranus, ſed mori Catholicus.

Reflexio 302.

CErnens autem Rex Moab, quod Balaam non poterat male dicere populo Iſrael, dixit ei: *Veni mecum in alterum locum, ut partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito.* Credebat enim, Balaam videndo totum populum, extimuiſſe; ideoque non fuiſſe auſum illi

maledicere : vel quia ſciebat maius meritum eſſe in toto populo, quam in parte; unde putabat quod ſi Balaam fuiſſet prohibitus maledicere toti populo,non prohiberetur à maledictione partis;& perconſequens eius adverſarij debilitarentur. Vel hoc fecit, quia erat aliqualiter Aſtrologus: qui verò in iudicando ſequuntur Aſtrorum regulam, reſpiciunt Orizontes locorum: quilibet enim punctus aſſignatus in terra, mutat Orizontem; ad cuius mutationem ſequitur diverſitas Aſcendentis, & diverſitas Planetarum, & Signorum in Domibus Cœli: iſtis autem variatis, fit notabilis variatio influentiæ;& ideo Balac alium locum requirebat. Hoc autem verum eſt, quantum ad illa, in quibus Corpora Cœleſtia habent cauſalitatem; ſed quia maledicere Iſraelitis dependebat ſolummodo à voluntate Divina, nihil proderat loci mutatio. Duxit igitur Balac Magum in locum ſublimem,de quo videbat ſolummodo partem populi. Sed Dominus occurrens Balaam, poſuit benedictionem in ore eius; quapropter rediens ad Regem, dixit ei: *Non eſt Deus ut filius hominis, ut mutetur*: Per hoc inſinuans, quod ſemper idem vellet. Sed contrarium videtur haberi *Ierem*: 18. ubi dicitur: *Si pœnitentiam egerit Gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi,ut facerem ei*. Dicendum quod Deus eſt omnino immutabilis; tamen facit, & dicit mutabilia per immutabilem voluntatem ſuam. Ad cuius intellectum conſiderandum, quod aliqua Dei verba ſunt ſignificativa futurorum, ſecundum quod ſunt in Dei præſentia, & illa immutabiliter eveniunt; quia præſcientia Dei eſt immutabilis. Alio modo ſunt ſignificativa futurorum, prout ſunt in cauſis ſecundis, quæ ſunt merita, & demerita hominum, & talia frequenter mutantur, ſicut & cauſæ eorum: & hoc modo dicitur *Ionæ 3. Adbuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Hoc enim exigebant demerita illius populi pro tunc; ſed quia egerunt pœnitentiam, non eſt adimpletum verbum illud: Hoc autem non arguit in Deo mutabilitatem, ſed in libero arbitrio hominis.

CAP.

CAP. XXIV. Reflexio 303.

IN ſuperioribus fuit Balaam prohibitus maledicere populo Iſrael, ſed tamen fuit permiſſus ire, & quærere augurium ad maledicendum; hìc autem non, ſed ſtatim poſt mutationem loci, & oblationem Sacrificij fuit compulſus benedicere: hoc autem factum eſt, ad oſtendendum quod abſque Dei permiſſione, nec dæmones poſſunt dare reſponſa, nec homines illa quærere. Igitur Balaam, Deo ſic iubente, prophetat proſpera de Iſrael, & primo nunciat illius doctrinam, dicens: *Fluet aqua de Situla eius*. Per Situlam namque, quæ eſt inſtrumentum hauriendi aquam de puteo, & effundendi ad uſum humanum, intelligitur ſtudium Legis, & Prophetarum, quod viguit in Ieruſalem, per quod hauriebantur aquæ ſapientiæ de puteo Sacræ Scripturæ, & effundebantur docendo populum. Secundo prophetat de Rege illius, qui fuit Saul, dicens: *Tolletur propter Agag, Rex eius, & auferetur Regnum illius*. Saul enim non implevit præceptum Domini de deletione populi Amalec; ſed cœpit Agag Regem Amalecitarum vivum, & de ſpolijs, meliora ſibi reſervavit; cum tamen iuxta imperium Domini, deberet omnia delere; ideo fuit reprobatus à Regno, quod tranſlatum fuit ad David. Tertio prædicit quietem populi in terra promiſſionis dicens: *Accubans dormivit ut Leo, & quaſi Leæna, quam ſuſcitare nullus audebit*. Ex decurſu namque totius Sacræ Scripturæ patet, quod quandiu Iſraelitæ in vero cultu Dei perſtiterunt, habitaverunt etiam in terra confidenter. Æquiparatur autem populus Iſraeliticus Leoni, & Leænæ, quia iſta animalia propter eorum fortitudinem, ſuper omnia animantia ſecurè dormiunt, nullum malum ſibi futurum timentes. Ponitur vero hìc præteritum pro futuro dum dicitur: *Dormivit*, propter certitudinem prophetiæ: in Prophetis namque mutantur tempora, ad ſignan-

dam, reſpectu noſtri, maiorem certitudinem; nam futurum ſecundum ſe incertum eſt; præterita autem certiſſima ſunt, cum impoſſibile ſit illa ſe aliter habere. Et ideo prophetia loquens in præterito, ſignat ex natura verborum, maiorem firmitatem.

Reflexio 304.

POſtquam prophetavit Balaam de futura quiete populi Iſraelitici, & de illius Regno: prophetat deinde de Meſſia Sanctiſſimo, Chriſto Domino, qui naſciturus erat de populo illo; quod quidem pertinebat ad magnam gloriam Iſraelitarum, dicens: *Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael, & percutiet Duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Civitatis.* Dicitur Chriſtus *Stella*, quia actus Stellæ illi competit: ſcilicet illuminare caliginoſam noctem ſæculi; deterſit enim cœcitatem Gentium, & Iudœorum, ut patet Iſaiæ 9. ubi dicitur de eo, *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit Lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis:* Dicitur Virga, quia habuit Regiam poteſtatem, ſed non de hoc mundo: nam poteſtas eius, eſt poteſtas æterna ut patet *Daniel 9.* Prophetæ tamen vocant eum Regem, quia ſecundum carnem erat de Regali ſemine David; & regnaturus erat ſpiritualiter in omnes Gentes: nam de omnibus gentibus aliqui ad Chriſtum Dominum converſi ſunt, auditis per Apoſtolos, & per eorum Succeſſores verbis vitæ eternæ: adeout humiliter ſe ſubijcerent Chriſto Domino, pro cuius fide mori non timuerant, & uſque ad finem Mundi durabit iſta converſio. Percuſſit autem Chriſtus Duces Moab, nempe Idolatras, qui per Moabitas intelliguntur, cum iſti eſſent idolatræ; loquitur enim hìc Balaam parabolicè. Per prædicationem namque fidei converſæ ſunt Gentes ad Deum, relictis idolis ſuis. Vaſtavit autem Chriſtus Dominus omnes

filios

filios Seth, ideſt omnes populos: nam de Seth, egreſſi ſunt omnes populi; nam Abel mortuus eſt ſine filijs; filij vero Cain deleti ſunt in diluvio. Iſta tamen vaſtatio fuit per converſionem ad fidem, quæ converſio dicitur vaſtatio, ſeu deſtructio; quia per converſionem non manet homo ſecundum id, quod erat ante; nam prius erat peccator, poſteà efficitur iuſtus, exuens veterem hominem, & novum induens ſecundum Deum, ut ait Apoſtolus. Perdidit tandem reliquias Civitatis, nempe Romanæ, dum fecit illam ſedem ſui Vicarij, ſubijciens eam Evangelicæ Legi, ut quæ erat magiſtra erroris, fieret diſciplina veritatis. De Chriſto autem Domino dixit Balaam: *Videbo eum, ſed non modo*: Quia omnes iniqui viſuri ſunt Chriſtum oculis corporeis, quando in forma humana apparebit ad iudicandum. Alij exponunt de adventu in carne paſſibili: et dicunt quod licet Balaam non viderit filium Dei in propria perſona, tamen vidit illum in poſteris ſuis: nam Magi, qui venerunt adorare Chriſtum natum, fuerunt de ſtirpe Balaam.

Reflexio 305.

DEnunciato adventu Chriſti Domini, prophetavit deinde Balaam de multis Gentibus. Et primo de Amalecitis dicens: *Principium Gentium Amalech, cuius extrema perdentur*. Hoc autem fuit tempore Regis Saul, qui omne vulgus Amalecitarum interfecit in ore gladij, ut patet *pr. Reg. cap.* 15. Dicitur autem Amalec principium gentium, quia iſte populus inſurrexit primus contra filios Iſrael, poſt exitum de Ægypto. Secundò prophetat de Cineis, qui erant deſcendentes de Iethro cognato Moyſis, & habitabant iuxta Amalec, prædicens eorum ruinam: fortitudo enim loci non potuit eos ſalvare, quin captivarentur cum decem Tribubus Iſrael, per Regem Aſſur, ut patet 4. *Reg. cap.* 17. Tertio prophetat de Romanis dicens: *Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt*. Iſta autem bella fuerunt facta per

Pompeum. Primò in Piratico bello, in quo omnes Piratas delevit tribus tantum menſibus: deinde terreſtri bello, de Mithridate triunphavit. Tigranem Armeniæ Regem, et ad genua procumbentem, in Regnum reſtituit. Inde Iberos, Albanos, & Iudæos debellavit, cepto eorum Rege Ariſtobulo. Feliciſſimus quidem Dux, ſi potentia temporalis, & mundanus honor habent aliquod veſtigium admirandæ, & veræ felicitatis. Condolendæ autem calamitatis ſuæ origo fuit, quia intravit in Templum Domini, & in *Sancta Sanctorum*: omniaque vaſa Dei, & ceremonias contempſit: nihil tamen, cupiditate ductus, abſtulit. Equos ſuos in porticu Salomonis ſtabulavit, & inde recedens Pharſalica pugna à Ceſare copijs longe inferiore, ſuperatus eſt, & in Ægyptum fugiens decapitatus eſt ab illo, quem ipſe in Regem exaltaverat. Poſt bella contra Aſſyrios, defunctis Machabœis, Romani in terram Iudæorum dominantes, inſtituebant Reges, & Pontifices, quos volebant, & ſic fuerunt inſtituti Ariſtobolus, Alexander, & Ioannes. Poſtea vero, magna ſeditione orta inter eos, qui erant de genere Regio, tranſtulerunt ad Alienigenas Regnum diviſum per Tetrarchias. Vaſtatio igitur Hebræorum inchoata fuit tempore Pompei, ſed conſummata tempore Titi, in vindictam mortis Salvatoris Dei. Romani vero per bella inteſtina, inter eos orta, perierunt: nam multæ Provinciæ à Romano diſceſſerunt Imperio; adeout hodie, reſpectu antiquæ dominationis, non remaneat niſi ſolum Imperij nomen. Sicut enim in principio nil fortius fuit Romano Imperio, aut durius, ut patet *Daniel* 2. ita in fine nihil debilius.

CAP. XXV. Reflexio 306.

POſtquam Balaam benedixit, licet invitus, populum Iſrael, reverſus eſt in terram ſuam; dato tamen prius Regi Moab impio conſilio, videlicet: ut mitteret puellas pulchras, nobiles, & orna-

ornatas prope exercitum Iſraelitarum, quæ allicerent iuvenes ad ſe venientes, ſed non permitterent ſe cognoſci ab eis, niſi prius comederent de idolotitis, & inſuper adorarent ipſa Idola, quæ ſecum ferebant. Sciebat enim impius Magus, quod quouſque populus Iſrael maneret in obſervantia Divinæ Legis, nullus inimicus poterat contra eum prævalere. Si vero per idolatriam recederet à Deo ſuo; putabat quod ſtatim in manus hoſtium traderetur, utpote privatus Divino patrocinio. Et quia ſciebat hebræos eſſe valde luxurioſos, conſuluit ut Virgines pulchræ mitterentur prope Caſtra, ut blanditijs ſuis inflammarent proclivem concupiſcientiam Iſraeliticæ iuventutis. Manebat autem exercitus Hebræus in Setim, qui eſt locus in planioribus locis Moabitarum, & iſta fuit ultima manſio, quam habuerunt Iſraelitæ in toto deſerto; nam poſt iſtam non fecerunt aliam manſionem uſque ad tranſitum Iordanis. Igitur hìc manente exercitu, de mandato Regis acceſſerunt prope caſtra nobiliores, & pulchriores Virgines Moabitæ; quæ vocaverunt Hebræos ad ſua Sacrificia, & ſtatim populus acceſſit ad eas, & fornicatus eſt, non ſolum corporaliter per luxuriam cum filiabus Moab; ſed etiam per idolatriam, adorando Deos earum, & comedendo de ſanctificatis Idolis ſuis.

Reflexio 307.

SEcuta fornicatione populi, ſtatim Dominus paravit ultionem: præcepit enim Moyſi, ut tolleret cunctos Principes Populi, qui erant Principes duodecim Tribuum, & ſuſpenderet illos in patibulis contra Solem; videlicet ad partem orientalem, ut ſic melius poſſet mors eorum videri à toto populo. Aliqui enim iſtorum erant culpabiles, quia idolatraverant. Aliqui vero neglexerant retrahere ſubditos ſuos à perpetratis ſceleribus; unde quia peccatum erat publicum, etiam pœna debebat eſſe publica, ad terrorem plebis. Deinde dixit Moyſes ad Iudices: *occidat unuſquiſque*

pro-

proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor: ideſt applicati cultui Idoli prædicti ipſum adorando, vel ſe illi conſecrando. Initiari enim ſignat ritum conſecrationis. Dum igitur Iudices inquirunt reos, unus de filijs Iſrael intravit, vidente Moyſe, & tota multitudine, ad ſcortum Madianitidem; fuit enim magis effrons, & audax quam alij, dum peccatum ſuum coram omnibus perpetrare non erubuit; quod ſemper eſt ſignum voluntatis nimis depravatæ, à qua menſuratur meritum, vel demeritum in operatione. Tunc Phinees,non ſuſtinens univerſale ſcandalum in populo, ſufficiens ad contaminandam totam plebem, arrepto pugione ingreſſus eſt poſt effrontem Iſraelitam in Lupanar, videlicet in parvo quodam tentorio, ubi mulier Madianitis permanebat: ſingulæ namque mulieres Moabitides, & Madianitides, de Præcepto Regis Moab, habebant Tentoriola ad hoc diſpoſita, ne cunctis pateret earum turpitudo, & ut iuventus liberè poſſet ad illas accedere, & perfodit Virum, & Mulierem in locis genitalibus: hoc Iuſtitia Divina diſponente; ut ſicut in vitio ſimul erant, ita et mors eſſet illis ſimultanea, & punirentur in illis partibus, cum quibus peccabant. Per hunc autem zelum, quo Phinees non timuit occidere Principem unius Tribus, fuit Dominus placatus; ceſſavitque Plaga, quæ erat peſtis, vel ſubitanea mors, in qua perierunt uſque ad vigintiquatuor millia hominum.

CAP. XXVI. Reflexio 308.

ACtum eſt ſupra de perditione iniquorum per varias clades; hìc agitur de numeratione, & ordinatione manentium. Fuerat enim populus deordinatus per peccatum idolatriæ. Et quia potiſſima ratio communicationis humanæ,eſt abundantia in neceſſarijs ad vitam, cum iſta ponatur tamquam quidam finis politiæ, ut patet 3.

&

& 7. *Polit.* ideo iuſſit Dominus fieri diviſionem poſſeſſionum; tum quia communia negliguntur, propria autem diligenter curantur; tum quia per hoc multa litigia, & contentiones ceſſant, eoquod quilibet ſuum proprium recognoſcit. Diviſio autem poſſeſſionum debet fieri ſecundum numerum perſonarum, & ideo Dominus præcepit Moyſi, ut numeraret omnem ſummam filiorum Iſrael, per domos, & cognationes ſuas: quibus deinde recenſitis divideret terram, dando pluribus maiorem partem, & paucioribus minorem; ita tamen ut hoc eſſet per ſortem, ad excludendas nimirum contentiones, quæ poſſent oriri in ipſa diviſione, ſi fuiſſet ſimpliciter facta ex humana aſſignatione. Dicunt tamen Doctores, quod providentia Divina, cadebat ſors cuilibet Tribui ſuper partem terræ ſibi proportionatæ, ſecundum pluralitatem, vel paucitatem familiarum in ea contentarum. In numeratione autem Tribus Ruben, facit Divina Scriptura menſionem de Dathan, & Abiron, qui ſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron in ſeditione Core, deinde ſubiungit: *Et factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte filij eius non perirent*. Hoc autem fuit, quia terra aperta eſt, & abſorbuit Core: filij autem illius, qui ſimul erant cum patre, manſerunt pendentes in aere quouſque terra ipſa, devorato Core, iterum unita, & conſolidata fuit ſub pedibus eorum. Erant enim iuſti, & ſancti, & inter Levitas effecti ſunt Cantores, & multos Pſalmos compoſuerunt, qui intitulantur Pſalmi filiorum Core. Pro gratiarum vero actione ſupradicti beneficij, fecerunt illum Pſalmum: *Deus noſter, Refugium, & Virtus adiutor in tribulationibus, &c.*

CAP. XXVII. Reflexio 309.

Poſita regula de diviſione terræ promiſſionis, hic ponitur caſus ſpecialis circa illud, quod ſub illa non videbatur comprehendi, videlicet: An liceret dare ſortem in aliquo caſu feminis ſicut viris; acceſſerunt enim

filiæ

filiæ Selphaad, ſteteruntque coram Moyſe, & Eleazaro, & cunctis principibus populi ad oſtium Tabernaculi, & dixerunt: *Pater noſter mortuus eſt in Deſerto, nec fuit in ſeditione Core, ſed in peccato ſuo mortuus eſt: hic non habuit mares filios: cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri*. Per hoc autem quod dixerunt prædictæ filiæ patrem ſuum fuiſſe mortuum in deſerto, dicunt DD. aliqui, quod fuit ille, qui lapidatus eſt in deſerto colligens ligna in Sabbato. Alij dicunt quod fuit unus de murmurantibus, & mortuus eſt cum alijs, propter peccatum murmurationis contra Deum. Dixerunt vero iſtæ mulieres, patrem ſuum non fuiſſe in ſeditione Core, ne illis diceretur, quod eſſent privatæ iure hereditatis, ſicut fit in filijs illorum, qui ſunt rei læſæ Maieſtatis; nam tales privantur ſucceſſione paterna. Igitur occaſione iſtarum filiarum determinatum fuit, quod quando pater non habebat filios, ſuccederet filia; quod ſi nec filiam habuiſſet, ſuccedebat frater, & iſto non extante, ſuccedebat patruus: quod ſi nec iſte fuiſſet, ſuccedebat propinquior de eius genere. Sciendum eſt autem, quod primus filius iſtarum mulierum accipiebat nomen familiæ Avunculi ſui prædefuncti ſine filijs; reliqui vero filij tranſibant in nomen familiæ patrum ſuorum, alioquin eorum familiæ deletæ fuiſſent, quod erat inconveniens.

Reflexio 310.

POſtquam actum eſt de aſſignatione terræ fienda, dum populus fuiſſet in illam ingreſſus, dixit Dominus ad Moyſen: *Aſcende in Montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram: cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum*. Voluit enim Dominus Deus, præbere Moyſi quoddam gaudium ante illius mortem, ideoque elevavit ſupernaturaliter potentiam illius viſivam, ut poſſet diſtincte cognoſcere omnes partes terræ promiſſionis, quibus viſis gauderet.

deret. Tunc Moyſes acceptans humiliter Divinam diſpoſitionem, oravit ad Deum, non pro dilatione mortis ſuæ, ſed pro ſalute populi ſibi commiſſi, dicens: *provideat Dominus Deus hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc; ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore*: Verus quippe Paſtor erat, ideoque etiam in limine mortis exiſtens curam gerebat ovium ſuarum. Licèt autem eſſent in populo multi Iudices, tamen petijt unum tantum Principem, quia bella de proximo imminebant: quamvis autem ad regendum populum, dum pacifice in Civitate manet, conveniens ſit Principatus Ariſtocraticus, vel Democraticus, tamen pro bello nullus convenit, niſi Monarchicus. Hoc autem experti ſunt Romani in ſe: nam propter multiplices Duces, in bello Cannenſi in quo pugnaverunt contra Annibalem, ibique erant duo Conſules, nempe Marcus Æmilius, & Terentius Varo ſimul diſcordantes de die belli, totus exercitus deletus eſt. Igitur orante Moyſe pro communi populi utilitate, dixit Dominus ad eum: *Tolle Ioſue virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum*: Iſte autem Spiritus, erat fortitudo contra adverſitates neceſſaria; nullum enim Principem decet eſſe puſillanimem in adverſis; alioquin ſubijceret populum ſuum inimicis. Ponebatur vero manus ſuper Ioſue, ut legitimè inſtitueretur in Ducem; & ne videretur intruſus; vel per ambitionem, regimen populi occupaſſe. Erat igitur prædicta impoſitio quædam cæremonia collationis Principatus, in qua fuit collata Ioſue quædam gratia à Deo ſpecialiter apta, ad perfectè populum regendum. Deinde Moyſes coram tota multitudine honoravit Ioſue: recognoſcens, & declarans illum futurum Ducem populi poſt mortem ſuam. Hoc autem erat dare illi partem gloriæ ſuæ, ut dicitur in Tex.

CA P.

CAP. XXVIII. Reflexio 311.

Poſita ordinatione multitudinis ad Principem temporalem, cui parere debebat; ponitur deinde ordinatio ad Deum. Cuius cultus licet principaliter conſiſtat in anima, tamen manifeſtari debet per oblationes, & Sacrificia, & feſta ſolemnia, in quibus homo debet vacare Divinis. Populus autem Iſraeliticus intraturus terram promiſſionis, fortè poterat credere ſe non obligari ad Ritus Sacrificiorum in ipſa terra; quia nimirum in deſerto per ſpatium quadraginta annorum, non obſervaverat *illa*; ideo voluit Deus repetere ipſa Sacrificia, ut ſcirent Iſraelitæ, ſe teneri ad illa facienda, ſicut fecerant in Monte Sinai in conſecratione Sacerdotum. In deſerto autem fuerunt diſpenſati ab immolatione, quia non habebant illa, quæ neceſſaria erant ad Sacrificium, nempe, Farinam, Oleum, & Vinum. Deinde aſſignantur Feſta principalia, ut populus magis haberet illa impreſſa pro obſervatione illarum. Et primum eſt feſtum *Neomeniæ*, quod fiebat in novilunio, propter recolendum beneficium Divinæ gubernationis, & propter hoc fiebat in novilunio, quia mutatio in iſtis inferioribus magis apparet ſecundum innovationem Lunæ communitèr, quam alijs temporibus. Secunda ſolemnitas erat *Phaſe*, ideſt immolatio Agni Paſchalis, quæ fiebat in memoriam beneficij eductionis filiorum Iſrael de duriſſima ſervitute Ægyptiaca, à qua mirabiliter fuerunt liberati à Deo. Tertia ſolemnitas erat *Pentecoſtes*, & fiebat in memoriam dationis Divinæ legis, quæ fuit data in Monte Sinai, quinquageſimo die ab exitu de Ægypto excluſivè, & ideo celebrabatur poſt decurſum quadraginta novem dierum à Paſchate Azymorum. In Pentecoſte autem offerebantur primitiva de novis frugibus; nempe duos panes de novo frumento, ſicut in Paſchate offerebantur primitiva de granis. Et hoc in recognitionem bene-

beneficij Dei, qui preſtat omnia alimenta creaturis ſuis; ideoque non erat licitum Hebræis comedere de novis panibus, niſi prius offerrent Deo panes primitiarum: nec metere de Spicis pro ſuis uſibus, niſi prius ſaltem unum manipulum offerrent Deo.

CAP. XXIX. Reflexio 312.

Dicto de feſtivitatibus primi, & tertij Menſis, quæ fiebant in Vere; hic agitur de ſolemnitatibus Menſis ſeptimi, quæ fiebant in Autumno, nempe in principio Septembris, & talis menſis erat quaſi totus feſtivus, nam in illo fiebant quatuor feſta. Primum erat feſtum Tubarum; & celebrabatur in memoriam liberationis Iſaac à morte, pro quo Abraam, ut redderet Deo gratias de liberatione filij ſui, immolavit Arietem, quem vidit poſt tergum inter vepres, hærentem cornibus; rogans Deum, ut dignaretur acceptare Holocauſtum Arietis, ſicut acceptaſſet Holocauſtum proprij filij; maxime quia promptiſſime ſe obtulerat, ut obediret Deo, ad vere immolandum filium ſuum Iſaac. Secundum erat feſtum Expiationis, quod celebrabatur in memoriam ſingularis illius beneficij, quo Dominus placatus fuit ſuper fabricationem Vituli, quem erexit populus, & adoravit in Deſerto. Remiſſio autem talis peccati, fuit decima die Septembris, in qua Moyſes deſcendit de Monte portans ſecundas Tabulas, in ſignum Divinæ placationis, & ideo hunc diem debebant Iſraelitæ ſanctiſſimum reputare, & affligere animas ſuas in ſignum doloris ſceleris perpetrati, & reddere gratias Deo pro illius condonatione. Tertium erat feſtum Tabernaculorum, quod fiebat decimaquinta die eiuſdem Menſis, in memoriam beneficij, quo Deus fecit habitare Iſraelitas per quadraginta annos in deſerto ſteriliſſimo; & tamen in tam longo tempore,

con-

convenientiſsimè providit de neceſſarijs pro ſuſtentatione totius populi, non ſolum quo ad cibos, ſed etiam contra Solis æſtum; protegens eos continue per Nubis umbraculum, deduxitque illos ad terram delectabilem, & omnibus bonis repletam: in cuius ſignum, habebant in tali Feſto fructus arboris pulcherrimæ in manibus ſuis. Quartum erat feſtum Cetus,ſeu Collectæ,quod celebrabatur immediate poſt feſtū Tabernaculorum: & in tali die colligebatur pecunia pro Sacrificijs fiendis;iſta enim fiebant de ſumptibus totius communitatis; loquendo de ſacrificijs, quæ offerebantur Deo pro ſalute totius populi. Et iſta erant in lege præſcripta, ita ut non poſſent ullo modo præteriri. Cum igitur talia Sacrificia fierent pro tota communitate, iuſtum erat, ut totus populus concurreret pro expenſis in illis faciendis. Spontanea vero Sacrificia fiebant de ſumptibus particularibus ipſorum offerentium. Notandum eſt autem, quod in prædictis omnibus ſolemnitatibus, inter multa Sacrificia præſcripta, offerebatur Hircus pro peccato. Et ratio ea erat, quia ſemper aliqua peccata erant in Iſrael; ſive in perſonis privatis, ſive in toto populo: ideoque conveniens erat in illis accipi Sacrificium expiativum, ut ſic meritorie feſta celebrarentur.

CAP. XXX. Reflexio 313.

Suprà dictum fuit de ordinatione populi ad Deum, per ea quæ erant de communi lege; hic autem ordinatur populus ad ipſum Deum, per ea quæ ſunt in propria voluntate; cuiuſmodi ſunt Vota,& iuramenta,per quæ aſtringimur Deo; quia licet vovere ſit voluntarium, tamen reddere votum iam factum, & iuramentum, eſt neceſſarium, quia utrumque eſt obligatorium: Votum tamen magis, cuius ratio eſt, quia obligatio Voti cauſatur ex fidelitate quam Deo debemus, ad quam requiritur,quod ſolvamus ei promiſſum: Obligatio autem Iuramenti, cauſa-

tur

tur ex reverentia, quam ipſi Deo debemus, ex qua tenemur verificare id quod per nomen illius promittimus: omnis autem infidelitas irreverentiam continet; ſed non è contra, omnis irreverentia continet infidelitatem; ideo votum ex ſua ratione magis obligatorium eſt quam iuramentum, & ideo Dominus præcipit hìc, ut adimpleantur. De Votis tamen Puellarum, & Vxorum proceditur cum tali diſtintione in littera. Nam ſi pater cognovit id, quod filia pollicita eſt, & tacuerit, tenet votum, vel Iuramentum Puellæ. Si vero, ut audivit votum filiæ, contradixit, tunc votum, vel iuramentum irritum eſt. Similiter, ſi vir audiens votum Vxoris, contradixerit, Votum irritatur; Si vero taceat, tenet. Cauſa huius eſt, quia Pater, vel Maritus, per taciturnitatem ſuam arguitur conſentire: nam qnandocumque agitur de præiudicio alicuius, ſi taceat conſentire videtur. Si autem agatur de favore alicuius, ex taciturnitate ſua non præſumitur conſenſus. Et ratio diverſitatis eſt; quia quod aliquis iura ſua perdat, dependet à propria voluntate; ideoque per taciturnitatem præſumitur conſentire: nam contradicendo poterat ſe tueri: quod autem bonum mihi detur, vel ad honorem promovear, non dependet ex mea voluntate, ſed à voluntate dantis, vel promoventis. Cum igitur per meum conſenſum nullum ius mihi acquiratur contra dantem, vel Promoventem, tacendo, non arguor conſentire. Sed si de malo, vel præiudicio meo agatur, quia ex conſenſu meo ius alteri contra me acquiritur, lex præſumit, quod ſi non conſentirem, manifeſtè repugnarem, & ſic eſt ibi conſenſus interpretativus, qui ſufficit ad obligandum. Sciendum eſt autem, quod in Novo Teſtamento, ad ampliandum cultum Divinum liberior eſt poteſtas vovendi, quam eſſet in lege antiqua. Nam filius, & filia in poteſtate patris exiſtentes, poſſunt vovere religionem, vel alium ſtatum perfectionis, etiam patre invito, & contradicente. Similiter poſſunt contrahere matrimonium, licet patris conſenſus non accedat; quia in his, quæ pertinent ad propriam perſonam, filij familias ſunt ſui iuris.

CAP. XXXI. Reflexio 314.

SVpra in capitulo vigeſimo quinto fuit poſita admonitio bellandi contra Madianitas, qui populum Iſrael induxerunt ad idolatriam; hic ſubditur eius executio; nam Dominus dixit ad Moyſen: *Vlciſcere prius de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.* Audiens autem Moyſes Divinum præceptum, convertens ſe ſtatim ad populum, ait: *Armate ex vobis vires ad pugnam, qui poſſint ultionem Domini expetere de Medianitis.* In hoc vero apparuit obedientia, & fidelitas Moyſis erga Deum, & eius generoſitas in contemnendo mortem: audierat enim ex viva voce Domini dilationem mortis ſuæ, uſque ad interfectionem Madianitarum; & tamen, non propter hoc diſtulit pugnam, ut diutius viveret, ſed illam acceleravit, ut Dei voluntas adimpleretur. Miſit ergo duodecim millia expeditorum virorum ad pugnam, iubens illis ut percuterent Madianitas in ore gladij. Et conſtituit Ducem eorum Phinees; quia iſte zelabat toto corde honorem Divinum: & cum ageretur hic de ulciſcenda iniuria Divina, nullus alius apparebat, ita idoneus, ſicut Phinees, qui iam dederat ſignum Zelus ſui erga honorem Divinum, dum occidit Principem unius Tribus, publicè peccantem. Deinde Moyſes, antequam milites prædicti pergerent ad pugnam, tradidit ipſi Phinees Vaſa Sancta, & Tubas argenteas ad clangendum, in ſignum futuræ victoriæ obtinendæ per ſpeciale Dei auxilium. Dicunt autem DD. quod elevata Lamina Sancta in altum, in qua erat ſculptum nomen Domini *Tetragrammaton*, ſtatim exercitus Madianitarum fuit excęcatus, & timore mortis percuſſus, cadebat ad terram coram filijs Iſrael, non audentes contra eos arma ſua elevare, & ſic omnis eorum exercitus partim dedit ſe fugæ; reliqui vero occiſi ſunt cum Regibus eorum, in qua pugna occiſus etiam fuit Balaam. Sceleſtus

enim.

enim Magus perrexerat quidem poſt datam benedictionem Iſraeli, licet invitam, in patriam ſuam; ſed quia audivit, quod multi de Iudæis poſt fornicationem perierant, redijt ad Madianitas, ut acciperet mercedem iniqui ſui conſilij, ſed recepit mortem, tum temporalem, tum æternam. Igitur trucidatis Madianitis, reſervarunt Iſraelitæ fœminas earum, ducentes illas captivas ad caſtra, ſed Moyſes iuſſit eas, quæ noverant Viros, iugulari, cum iſtæ feciſſent prævaricari filios Iſrael; Virgines autem reſervari. Et ſi quæras, quomodo cognoſcebantur, quæ eſſent virgines, & quæ non? Reſpondent communiter Doctores, quod iſta cognitio fiebat per Arcam fœderis: preſentabantur enim omnes fœminæ coram Arca, & illæ, quæ erant virgines, pertranſibant prorſus illeſæ; quæ vero erant corruptæ non poterant tranſire Arcam, ſed ad illius præſentiam ſtatim cadebant, & iſtæ occidebantur. Quia vero non poterant diſtingui illæ, quæ fuiſſent cognitæ ab Iſraelitis, occidebantur omnes, ut ſic perirent illæ, per quas fuerat perpetrata fornicatio, & ſecuta idolatria.

CAP. XXXII. Reflexio 315.

POſito bello contra Madianitas, ſubditur de diviſione terræ, quam Iſraelitæ habuerunt ante ingreſſum terræ promiſſionis. Etenim filij Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manaſſe, cum haberent pecora multa, & iumenta, quia de præda Madianitarum emerant magnam partem animalium ab alijs ſuis fratribus; videntes terram Galaad eſſe multum paſcualem, & perconſequens aptam pro ſuis gregibus alendis, acceſſerunt ad Moyſem petentes, ut pro eorum portione aſſignaret terram prædictam ſibi ipſis; promittentes pergere ad prælium ante filios Iſrael, donec eos introducerent in terram

promiſſionis: unde Moyſes ſub prædicta conditione dedit illis Regnum Sehon Regis Amorrhæi, & Regnum Og Regis Baſam, cum urbibus ſuis per circuitum. Tunc ædificaverunt dictæ Tribus Civitates, reſtaurando videlicet illas, & fortificando propter inſidias inimicorum, in circuitu manentium. Sed dices hoc fuiſſe ſuperfluum; nam Deus prohibuiſſet hoſtes accedere ad nocendum illis. Dicendum, quod prædictæ Tribus, non debebant exponere ſe huic periculo; ſed ſecundum dictamen prudentiæ debebant agere ad illud removendum; quia ſemper homines debent agere ſecundum humanam prudentiam in periculis imminentibus, & non committere ſe totaliter Divino regimini, niſi in illis rebus, in quibus Deus iuſſit, quod nos totaliter ſuo regimini committamus. Et ratio huius eſt: quia Deus dedit homini intellectum, tamquam primum principium motivum, & regulativum ſuarum operationum, & ideo vult, quod per illud homo dirigatur in agendis, eligendo media, per quæ evadat pericula. Cum autem homo totaliter ſe committit Divinæ diſpoſitioni, tunc non vult regi per intellectum, ſed per aliud principium ſuperius, non humanum, & ideo peccat; tum quia contra rationem agit; tum quia non obſervat Dei diſpoſitionem, nec utitur illo lumine naturali, quod impreſſit Deus ſuo intellectui, in quo caſu tentat Deum, quia cum nolit agere ſecundum dictamen rationis, nec media eligere pro ſublevanda ſua miſeria, tacitè videtur velle obligare Deum ad ſe liberandum; vel facere miraculum, ad hoc, ut ſequatur id, de quo ipſe indiget. Si vero humanum iudicium non ſufficiat, vel non poſſint conſequi media pro conſequendo fine; tunc debemus nos committere totaliter Divinæ providentiæ, alioquin diffidimus de bonitate ipſius Dei.

CAP.

CAP. XXXIII. Reflexio 316.

IN præcedentibus actum eſt de proceſſu filiorum Iſrael ab exitu de Ægypto, uſque ad Iordanem, qui erat terminus *ad quem* ſui proceſſus; incipiebat namque terra promiſſionis ab ipſo flumine; hic autem breviter computantur, & epiloganter ſeriatim loca ſuarum manſionum. Et quia in ſuperioribus non fuerunt notata niſi loca illa, in quibus facta fuerant aliqua notabilia, ideo hic ponitur numerus, & ordo manſionum ab exitu de Ægypto uſque ad Iordanem. Sciendum autem, quod prædictæ Manſiones in univerſum fuerunt 42. Primo autem anno egreſſionis de Ægypto, & in principio ſecũdi anni uſque ad locum unde miſſi fuerunt exploratores, fecerunt Iſraelitæ 14. Manſiones. Erat autem Manſio fixio, ſeù depoſitio caſtrorum in aliquo loco determinato ad ibidem quieſcendum, donec Dominus Deus contrarium iuberet; quod præceptum dabatur per ſignum ſenſibile, nempè motionis Nubis dirigentis exercitum; tunc enim movebantur Iſraelitæ, & ſequebantur motum Nubis. Quadrageſimo autem anno fecerunt octo manſiones; videlicèt à monte Or excluſivè, uſque ad Iordanem: & ſic patet, quod tempore intermedio quod fuit fere 38. annorum, fecerunt Iſraelitæ 20. manſiones. Ex quo ſequitur, quod licèt dicatur in Sacra Scriptura, quod filij Iſrael fuerunt vagi per deſertum toto tempore quadraginta annorum; non tamen eſt intelligendum ipſos fuiſse in continuo motu de loco ad locum, ſed ſolum quod erant ſemper obligati ad proficiendum quotieſcumque hoc Deus iuberet, vel per Moyſen mandata Dei pronunciantem, vel per ipſam Nubem ſe moventem.

CAP. XXXV. Reflexio 318.

DIcto de diviſione terræ, hìc agitur de ipſius particulari datione; tum extra Iordanem; tum intra ipſum; cuius cauſa duplex fuit. Vna pro Levitarum habitaculo; altera pro fugitivorum refugio. Iuſſit igitur Dominus, quod filij Iſrael aſſignarent quadraginta octo Civitates Levitis, cum ſuburbanis, quæ tendebant forinſecus per circuitum, mille paſſuum, & erant pro alendis pecoribus. Vnde, licet ibi eſſent agri, & vineæ; tamen quando aſſignabantur Levitis redigebantur ad paſcua tantum. Ex prædictis Civitatibus ſex fuerunt determinatæ pro fugitivis, Scilicet, tres trans Iordanem, & tres in terram Chanaam. Licet autem trans Iordanem habitarent ſolummodo duæ Tribus cum dimidia; tamen tot Civitates refugij erant ibi, quot erant ubi manebant novem Tribus, cum dimidia: cuius ratio fuit. Quia terra trans Iordanem erat longiqua à Templo Dei; ideoque multiplicabantur in illa Civitates refugij, ut effuſores ſanguinis elongarentur à Templo. Porrò iſtæ Civitates erant privilegiatæ, ita quod homicidæ ad illas confugientes non poſſent inde educi, uſque ad cognitionem cauſæ. Sciendum autem, quod homicida à caſu debebat manere in Civitate refugij, uſque ad mortem Summi Sacerdotis. Et ratio erat, quia licet eſſet innocens, & puniretur ſine ſua culpa, in hoc quod erat profugus à Patria ſua, non tamen hoc erat ſine iuſtiſſimo motivo: videlicet, quia ex mora ipſius inter amicos defuncti, poterant ſeditiones, & homicida oriri, & per conſequens pax communis turbari; ideoque expediebat Reipublicæ, ut talis maneret eſul ad tempus, quia detrahendum eſt bono particulari propter conſervationem boni communis. Poterat vero reverti in morte Summi Pontificis, quia pro tali morte erat afflictio, & luctus in toto populo: quo tempore, reſpectu huius communis afflictionis ſolebant Iræ par-

ticulares ſedari. Si verò occiſor à caſu ante mortem Summi Pontificis exijſſet terminos Civitatis refugij, poterat impune occidi à propinquo interfecti, ſi fuiſſet inventus extra portam Civitatis. Cauſa huius conceſſionis fuit, quia Iſraelitæ erant duri corde; unde ſi Deus non permiſiſſet, quod occiderent hoſtes ſuos, ſed hoc prohibuiſſet, cum eſſent crudeles, non obſervaſſent legem, ſed prævaricatores illius extitiſſent; ideo melius fuit, quod daretur eis lex iſta, etiam ſi eſſet remiſſa, quam quod infringerent legem bonam. Sicut de Libello repudij permiſſum eſt, ut patet *Matthei* 19. Porro iudicium de homicidio perpetrato utrum fuiſſet à caſu, vel à propoſito deliberato, non fiebat in Civitate refugij, ſed in illa, in cuius territorio fuerat perpetratum delictum, quia ibi magis poterat haberi veritas. Cognito autem, quod homicidium fuiſſet voluntarium, occidebatur reus: erat enim ſolummodo ſecurus tempore ventilationis cauſæ, ſed cognito, quod illud per inſidias perpetraſſet, mittebatur per Iudices Civitatis refugij ad locum perpetrati delicti, ut interficeretur. Deus enim dicebatur habitare inter filios Iſrael, per veram fidem, & ſpecialem cultum Latriæ; ideoque terra Divinæ habitationis, debebat præ cœteris ſervari munda per purgationem peccatorum, & maxime homicidij voluntarij, quia ſanguis innocens effuſus ſuper terram, propter horrorem criminis, dicitur clamare coram Deo, ut patet *Gen.* 4.

CAP. XXXVI. Reflexio 319.

POſitis Legibus de Civitatibus fugitivorum, hìc agitur de quodam dubio incidenti: dictum namque fuit ſupra *cap.* 27. quod filiæ Salphaad ſuccederent patri in hæreditate, eoquod non habebat filium maſculum: quapropter ſi nuberent filijs alterius Tribus ſequeretur, quod hæreditas patris tranſiret ad aliam Tribum; quia filius natus ex illa muliere, quæ debebat ter-

ram

ram illam hæreditare, non erat computandus in Tribu Matris, ſed Patris; quia genealogia hominum, non accipitur per Matres, ſed per Patres. Et ex hoc ſequebatur, quod in anno Iubilæi prædicta hæreditas non revertebatur ad primos Dominos. Vnde ex tali tranſlatione fieret confuſio ſortium, quod erat contra Domini præceptum *Levit.* 27. Quare Moyſes de præcepto Domini reſpondit: quod filiæ Salphaad non poſſent contrahere matrimonium, niſi cum hominibus ſuæ Tribus, dicens; *Omnes viri ducant uxores de Tribu & cognatione ſua*. Et per hoc patet, quod non ſolum quando filia ſuccedebat de hæreditate paterna; ſed indifferenter nullus poterat accipere uxorem, niſi de Tribu ſua; nec mulieres contrahere cum viris alterius Tribus, licèt non ſuccederent in hæreditate patris. Diſpenſatum tamen fuit, quod Tribus Sacerdotalis, & Regia, poſſent ad invicem contrahere matrimonia; tum propter nobilitatem utriuſque Tribus; tum ut Reges, per familiaritatem cum Sacerdotibus, magis tenerentur in cùlto unius veri Dei; tum denique, ut pax in populo maximè ſervaretur, propter unionem Principis Secularis cum Eccleſiaſtico.

DEV-

Digitized by Google

DEVTERONOMIVM

QVia Moyſes, morte ſua relicturus erat populum ſibi commiſſum, decuit in vita termino illum imbuere ſalubri admonitione. Vltimum ergo vale faciens, ingeminat præcepta totius Legis. Et quia multa in alijs Libris ponuntur diſperſa, & multa permixta hiſtorijs: ideo breviter coniunguntur omnia, ut arctius teneantur in memoria. Quapropter Liber iſte aliorum quatuor eſt ſumma; & ſatis conſone, dicitur a Græcis Deuteronomium, ideſt nova Lex: Deuteronom. etenim, ſignificat ſecundum, vel nouum. Nomas vero Regula vel Lex.

Digitized by Google

CAP. I. Reflexio 320.

MVlta in hoc primo capitulo recolit Moyſes; & præcipue de electione Iudicum de omnibus Tribubus, quos elegit Sapientes, & Nobiles. Sapientes, quia non poterant dari in Lege Regulæ circa omnia agibilia, ut habetur 2. *Ethic.* Vir autem ſapiens, videns caſum contingentem, poteſt bene ſecundum ſubiectam materiam dirigere, eo modo quo iudicaſſet Legislator. Nobiles vero, quia nobilitas quandam neceſſitatem videtur importare hominibus, ut ſtrenuos mores ſui generis imitentur. Item quia facilius Cives tolerant Nobilem eis dominari, quàm plebeum; & maius obſequium ei præſtant, quod requiritur erga perſonam Principis; tum quia, cum homines parvæ conditionis magnæ multitudini dominantur, Cives nobiles nolentes imperio illorum ſubici, diſſenſiones faciunt, legeſque eorum violant, niſi ille qui parvæ conditionis eſt, ita virtute excellat, ut omnibus de Politia complaceat, quod rariſſime contingit. Prædictis autem Iudicibus iuſſit Moyſes, ne acciperent cuiuſpiam perſonam: hoc enim opponitur Iuſtitiæ diſtributivæ, cuius Iudex debet eſſe Cuſtos integerrimus. Ad ſciendum autem quando perſona accipitur, ſupponendum eſt, conditiones perſonarum, aliquæ eſſe pertinentes ad meritum rei quæ datur. Vt ſi Epiſcopus det beneficium Clerico Sapienti, & bonæ converſationis. Aliæ ſunt impertinentes, quia nihil faciunt ad meritum rei, ut ſi det beneficium alicui, quia eſt conſanguineus, vel amicus, & tunc diſtribuens eſt acceptor perſonarum, & perconſequens iniuſtus. Sciendum autem quod acceptio perſonarum fit regulariter duobus modis. Primus eſt, quando poteſtas diſtribuentis

entis eſt ligata per aliquam legem taxantem: ut ſi Lex determinet tale beneficium deberi dari homini habenti talem conditionem, & Superior conferat alicui, qui tali conditione eſt privatus; tunc enim eſt acceptor perſonarum, quia diſtribuit beneficium propter ſolam perſonam. Secundus eſt, quando diſtributio beneficij ſuperabundans in uno, præiudicat alteri. Vt ſi Superior diſtribuat uni perſonæ plura beneficia quam neceſſe ſit ſuſtentationi illius: tunc enim eſt iniuſtus, quia gravat multos Clericos dignos, dum iuri illorum ſubtrahit id, quod alteri tam profuſe, & impudenter ſupererogat. In bonis autem proprijs non poteſt intervenire acceptio perſonarum; quia nullus iſtorum modorum intercedit, ut per ſe patet.

CAP. II. Reflexio 321.

IN ſuperiori capitulo narravit Moyſes pœnas inflictas à Deo irato; hìc demonſtrat beneficia populo collata à Domino placato; ut ſic induceret ipſum ad reverentiam Legis, eique imprimeret iugem recordationem beneficiorum Dei, ut ſemper in gratiarum actione maneret; eaque confiteretur, ut nova reciperet. Etenim si aliquis à Magnanimo, beneficium recipere velit, perſuadere illi debet dicendo: ſe ab illo multa alia beneficia recepiſſe. ut patet 4. *Ethic.*, Deus autem magnanimus, & Magnificus eſt. Narrat ergo Moyſes primò ſingulare beneficium à Deo præſtitum, per quadraginta annos, in quibus in Deſerto ſterilisſimo nihil defuit populo pro convenienti ſuſtentatione. Et licet aliquando defuerint aquæ, hoc tamen erat pro parvo tempore, & ad probationem populi: quapropter non deficiebant ſimpliciter; quia cum inciperent eſſe neceſſariæ, Deus dabat illas miraculosè. Secundò narrat victorias à Deo conceſſas, & maxime de Rege Sehon, occur-
rente

rente Iſraelitis cum omni populo ſuo. Et licet eſſet vicinus Regi Og, cum quo poterat fœdus inire, tamen non vocavit illum in auxilium ſuum; tum quia fortiſſimum ſe reputabat, & Iſraelitas contemnebat; tum quia ſperatam victoriam ſolus habere cupiebat. Sed Dominus tradidit illum, cum filijs ſuis, & toto exercitu in manus Iſraelis, qui omnes urbes prædicti Regis cæpit, interfectis habitatoribus earum, & acceptis ſpolijs univerſæ terræ illius: in ſignum, quod idem facturi erant populis Chananæorum, ad quorum terram de mandato Domini pergere debebant.

CAP. III. Reflexio 322.

Dicto de pugna contra Sehon, ſubiungitur de prælio contra Regem Og, quem percuſſit Moyſes, ſicut percuſſerat Sehon. Erat autem Og Gigas valde terribilis, adeo ut ab omnibus timeretur; ſed Moyſes illum proſtravit. Ex hoc autem quod ex Dei adiutorio ſuperaverat duos Reges, terramque eorum diſtribuerat, opinatus fuit quod verbum Domini ſibi dictum *Numer.* 20. ſcilicet: quod non intraret terram promiſſionis, non eſſet verbum ſententiæ definitivæ; ſed ſolummodo comminationis, quæ frequenter retractatur, ut patet *Ionæ* 2. Ideo Sanctus Dux fatetur ſe precaſſe Dominum, ut poſſet tranſire Iordanem, & ingredi terram promiſſam; ſed Dominus reſpondit ei, quod nequaquam ultra loqueretur de hac re: ab æterno enim Deus diſpoſuerat, propter peccatum ad aquas contradictionis, dare Moyſi hanc pęnam, ut non ingrederetur terram promiſſam. Et talis ſententia non fuit data ſolum ſecundum exigentiam demeriti, ſed definitivè, ſecundum quod erat in mente Dei determinatum. Moyſes autem nō cognovit hoc, ideo oravit hanc pęnam ſibi remitti. Si enim ſciviſſet, ſententiā prędictam fuiſſe latam ex Divina determinatione, nullomodo rogaſſet, quia magnum peccatum eſſet, obſiſtere, rogando, divinæ voluntati cognitæ.

CAP.

CAP. IV. Reflexio 323.

POſtquam Moyſes induxit populum ad Dei reverentiam, & Legis obſervantiam; hìc incipit explicare eminentiam Legis. Eminentia autem Legis primo oſtenditur ex effectu, qui erat prolongare vitam, & multiplicare, ſi obſervaretur, bona temporalia; ideo dicit: *Iſrael audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, & ingrediens poſſideas terram*: Et quia ad eminentiam Legis ſpectat, ut nulla fiat additio, vel diminutio; ideo utrumque prohibetur. Quia omnis Scriptura Sacra, Spiritu Sancto dictante, qui eſt infallibilis veritas, conſcripta eſt. Vnde non debet argui veritas Scripturæ ex veritate rei; ſed magis veritas rei, ex veritate Scripturæ. Valet enim hæc conſequentia. Dicitur hoc in Scriptura, ergo ſic eſt. Hinc beatus Petrus *Epiſt. 2. Cap. pr.* confitetur ſe vidiſſe Chriſtum Dominum transfiguratũ in Monte Tabor; ſed dicit, quod firmior eſt ſermo Propheticus; anteponens Sacram Scripturarum veritati ab eo manifeſte viſæ. Adverte autem, quod ſolum prohibetur additio depravans intellectum Legis, non autem declarans, vel dilucidans. Vocatur deinde Lex Divina, *Sapientia*, eſt enim talis; unde inter quinque habitus intellectus, quos *Ariſt.* ponit *6. Ethic.* Sapientia perfectior eſt cæteris, cum ſit de altiſſimis Cauſis. Sacra autem Scriptura de Altiſſima Cauſa eſt, nempe de Deo, & per Altiſſimam cauſam: ſcilicet per reductionem ad ipſum Deum, dirigendo actus humanos, ſecundum quod Deo placent, vel diſplicent. Sic in artificialibus, ille Sapiens dicitur, qui diſponit res ſecundum regulationem ad ſupremam Cauſam, quæ eſt forma totalis: unde Ædificator Domus, qui parietes ſic, vel ſic diſponit ut conveniant formæ ultimatæ, Sapiens dicitur, quia inferiores particulas materiæ, dirigit per altiſſimam cauſam, ideſt per conformationem

iſta-

Digitized by Google

arum ad formam ultimatam, quæ eſt altiſſima cauſa, cum is ſit principaliter intentus in tota operatione. Artifices ro inferiores, non dicuntur ſapientes; quia non attendunt rmam ultimatam ædificij, ſed mandatum magiſtri. Dicir etiam Sacra Scriptura *Intellectus*: quia intellectus eſt bitus principiorum, quæ naturali lumine cognoſcuntur, & æ certiſſima ſunt, cum non habeantur per diſcurſum; ſed ſolo lumine naturali concreato: illa autem quæ per ſyllogiſticum diſcurſum habentur, non ſunt certa, quia poteſt rari in deductione. Sic Lex divina certiſſima eſt, quia ſine iqua deductione, ex ſola illuſtratione cælitus miſſa, per lem habetur: eſtque certiſſima certitudine adhæſionis, cet non certitudine evidentiæ.

Reflexio 324.

OStenſa Legis Eminentia, inducit conſequenter Moyſes populum ad illius obſervantiam; referendo illa terribilia, quæ in eius datione oſtendit Dominus in Monte Sinai, dicens: *Acceſſiſtis ad radices Montis, qui ardebat ſque ad Cœlum, erantque in eo Tenebræ, & Nubes, & Caligo:* gnis enim ille erat obſcurus, & fumans; quia confirmatio ntiquæ legis oportebat differre a confirmatione novæ Legis, quæ in linguis igneis lucentibus data eſt. Tunc enim rat veritas revelata, quæ figuris, & tegumentis in Veteri ege manebat, cum iſta eſſet umbra futurorum bonorum. Deinde dicit Sanctus Dux, quod in datione legis, non apparuit figura alicuius Creaturæ expreſſiva: Et per hoc prohibuit Deus populo omnem Imaginem; & ideo dicit, quod caverent ab idolatria, quia Deus ignis conſumens eſt; ideſt acriter puniens, ſicut ignis inter elementa eſt magis activus: prædicens illis, ſi adorarent idola, quod Deus diſperderet eos in omnes Gentes, ut ſic magis triſtarentur. Si enim omnes ad eandem terram expulſi fuiſſent, non tantum anguſtiati eſſent, lenientes exilij triſtitiam gaudio ſodalitatis. Omnis

enim

enim homo naturaliter eſt animal politicum, optans vivere in politia, quia ibi delectatur. Non afficitur autem ad quamcunque, ſed ad hanc, vel ad illam, in quibus natus, aut multo tempore converſatus eſt. Cum igitur ſit pars alicuius politiæ, habens unitatem ad illam, tamquam pars ad totum, ſeparatio ab ea valde doloroſa eſt, quia omnia naturaliter unitatem deſiderant, cum eſſe in unitate ſervetur. Porro dum dicitur hìc, quod ignis ardebat uſque ad Cœlum, eſt hyperbole. Vel hoc dicitur, quia ſic apparebat Iſraelitis. Videtur enim Cœlum continuari iſtis inferioribus Nubibus, quia diſtantiam intermediam non percipimus; ideoque etiam diſtantiſſima coniuncta reputamus, ut habetur in *pr. Com. Proſpectivæ*. Etenim ſi aliquis reſpiciat per lineam rectam verſus Cœli partem, quæ capiti noſtro imminet; licet inter Nubes, & Cœlum ſint ſpatia nobis quaſi incomprehenſibilia, tamen Nubes Cœlo iunctæ eſſe videntur. Et eodem modo, Luna videtur eſſe immediatè coniuncta Aſtris fixis; licet inter ipſam, & Aſtra ſint ſex Orbes Cœleſtes ſpatiorum incredibilium. Similiter ſi reſpiciamus per lineam iacentem verſus Orientem, vel Occidentem, vel aliam Mundi partem, videtur Cœlum coniungi monti, qui medius eſt inter Cœlum, & oculum noſtrum, ob prædictam rationem: quia nimirum ſpatium intercedens inter Cęlum, & montem, non percipitur à nobis.

Reflexio 225.

POſt prædictionem pœnæ, ne Iudæi poſt peccatum deſperarent, promittit Legiſlator populo in captivitate poſito, ſi verè pœniteret, miſericordiam. Nam manus Domini ſemper ſuſpicit redeuntes ad ſe, dicens: *Cumque quæſieris ibi Dominum Deum tuum invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Hoc autem dupliciter poteſt intelligi, videlicet: Aut quantum ad relaxationem culpæ; & appoſitionem gratiæ; aut quantum ad condonationem pœnæ. Quoad primum, generale erat tam Iu-

dæis-

ris, quam Gentilibus; quandoquidem contritio de pecca-
s ſemper fuit, & eſt huius virtutis, quod delere poſſit faci-
ora. Quantum vero ad ſecundùm, diſtinguendum eſt. Nam
it peccatum, pro quo Iudæi ducebantur captivi, erat tota-
ter conſummatum, aut non. Quando non erat conſumma-
ım reducebat illos Deus in terram ſuam, ſi converterent ur
toto corde ſuo, ut patet de captivitate Babylonica, in qua
ım de ſceleribus doluiſſent, liberati fuerunt poſt ſeptua-
inta annos. Si vero peccatum totaliter fuiſſet conſumma-
m, non erant reducendi. Patet hoc in captivitate decem
ribuum, quæ adhuc ſunt in terra Medorum, inter Aylam,
Gozam, à qua numquam liberandæ ſunt, ut reducantur
Ieruſalem, ſicut ſepiſſimè Prophetæ prædixerunt. Et in
uabus Tribubus Iuda, & Beniamin, quæ ſunt diſperſæ in
hriſtiana Republica, quæ numquam redibunt in terram
am, quia conſummaverunt peccatum in morte Chriſti
omini. Quapropter in omnibus locis Divinæ Scripturæ, in
iibus dicitur, quod Deus reducet Iudæos diſperſos, etiam
ad Cardines Cœli diſſipati fuiſſent, intelligendum eſt de
lis captivitatibus, ad quas ducti ſunt propter peccata non
nſummata. Quando autem peccatum ſit conſummatum,
ut pœna mutabilis non ſit, non eſt nobis notum, ſed Divi-
ſententiæ reſervatur, ideoque ſemper pro mutatione pœ-
orare poſſumus, & debemus, tamquam incerti de præ-
cta conſumatione.

CAP. V. Reflexio 326.

POſito mandato de cavenda idolatria, hìc po-
nitur explanatio Legis, dicens Moyſes:
quod populus non ſolum diſceret legem,
ſed etiam opere compleret. Etenim lega-
lis conſideratio, non eſt ſpeculativa, ſed
practica: finis autem practicæ non eſt veri-
, ſed operatio, vel bonum, quod eſt obiectum movens

Digitized by Google

operantem, ex 2. *Metaph.* Sicut ergo vana eſſet ſpeculativa ſcientia, per quam nulla veritas haberetur; ita vana eſt conſideratio practica, ſi nulla actio ſequitur ex *Ariſt.* 2. *Ethic.* Deinde Legiſlator repetit præcepta Decalogi, explanans illa, & dicens: Quod nullā imaginem facerent cuiuſcunq; rei, ad ipſam colendam. Secundo prohibet uſurpare Nomen Dei fruſtra: non enim parva talis uſurpationis imminet ultio, cum per hoc contemnatur Divina Maieſtas. Tertio præcipit obſervationem Sabbati, quam diem vocat requiem Domini; quia nimirum debet eſſe tota applicata ad ſervitutem Dei, & ideo dicit: *Non facies in eo quicquam operis, tu, & filius tuus, ſervus, & ancilla, bos, & aſinus, ut requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu.* Hoc autem erat ad magnum honorem, & reverentiam Dei, ut non ſolum nos, ſed etiam omnes res noſtræ Deum laudare viderentur. Sciendum vero, quod in hoc præcepto aliquid morale eſt, aliquod vero ceremoniale. Quod enim aliquo tempore Deo vacare debeamus, ut recordemur beneficiorum eius, & cogitando de Deo, aſcendamus in cognitionem, & amorem Æternorum, morale eſt. Quod vero ſupradicta fiant, hoc, vel illo tempore, ceremoniale eſt: & ideo in Eccleſia Dei hoc mutatum eſt; nam quod fiebat in Sabbato ad memoriam beneficij Creationis, nunc in Lege Nova obſervamus die Dominica, ad memoriam Reſurrectionis; quia nimirum, magis opera Recreationis attendimus, quam Creationis.

CAP. VI. Reflexio 327.

TRadita doctrina fidei, quam de Deo credere debemus, ſequitur qualiter ipſum amare debeamus. Sicut autem in illis, quæ naturaliter amamus, ſemper cognitio præcedit amorem; ita in his, quæ ſupernaturaliter diligimus, ſupernaturalis cognitio, quæ eſt fides revelata ex auditu Legis, præcedit Charitatem, quæ eſt habitus

itus dilectionis ſupernaturaliter iuſuſus. Dicitur ergo hic: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Dicitur *ex toto corde*, ideſt ex toto motu voluntatis, quæ deſignatur nomine cordis; quia ſicut cor movet alia membra corporis, ſic voluntas movet omnes potentias animæ ad actus ſuos. Dicitur *ex tota anima*, ideſt ex toto intellectu, & appetitu ſenſitivo, ita ut intellectus ſit Deo ſubditus, maxime in his, quæ pertinent ad fidem; ut vires animæ ſenſitivæ regulentur per imperium voluntatis, ad obſervantiam legis à Deo datæ, quod eſt ferri in amorem Dei. Dicitur *ex tota fortitudine tua*. Itaut, quantum vires noſtræ poſſunt, tantum pro Deo faciamus. Et hic conſumatur vera dilectio, quæ facit perfecte inhęrere Deo. Pro maiori tamen prædictæ dilectionis intelligentia ſciendum eſt: quod eorum quæ diliguntur, quædam diliguntur ut finis, quædam ut ea quæ ſunt ad finem; finis autem ratione maioris boni magis diligitur, ut patet ex *primo Ethic.* Quandocumque ergo aliqua res propter alteram diligitur, minus diligitur, quam illa propter quam diligitur. Si ergo aliquis diligat Deum, ut ipſum faciat divitem, vel ab aliquo malo liberet; tunc diligit Deum amore concupiſcentiæ, & pervertit ordinem diligendi; quia per ſe, & ut finem intendit divitem eſſe. Deum vero diligit, non quidem ſecundum ſe, ſed ſecundum alterum, inquantum ei proficit ad eſſe divitem; unde non diligit Deum, ut finem; ſed ut id quod eſt ad finem. Aliquando autem amamus Deum amore concupiſcientiæ, ut nos beatificet, & tunc nulla perverſitas ordinis eſt, quia tunc Deus diligitur ut finis architectonicus, & ut ſummum bonum; beatitudo namque obiectiva eſt ſummum bonum, & finis. Nec mutatur gradus bonitatis Divinæ, quia nihil ei præponitur. Amamus vero Deum alio amore qui dicitur amor amicitiæ; cum videlicet illum diligimus, non tamquam facientem nobis aliquod bonum; ſed ut ipſi Deo bonum ſit: utpote, quia volumus quod Deo dentur multæ laudes, & quod in omni terra celebretur eius nomen. Et talis

amor incomparabiliter maior eſt, quam amor concupiſcentiæ; ex quo ſequitur, quod ad actum Contritionis, non ſufficit quod aliquis deſideret vitam æternam, ſed quod diligat Deum ex charitate, ideſt amore amicitiæ. Patent autem prędicta: quia nullus poteſt diligere Deum amore amicitiæ, quin ſit in charitate; quia vel ante ſtabat in charitate, vel per iſtum actum reducitur ad charitatem. Poſſumus vero amare Deum amore concupiſcentiæ, exiſtentes in peccato mortali: Latro namque, vel homicida precatur Deum, ut ſibi det vitam æternam, non tamen habet charitatem.

Reflexio 328.

PRopoſita Divina dilectione, tradit Legislator varios modos, quibus in Deum feramur; inter quos principem locum tenet meditatio Divinorum præceptorum, ideo dicit *meditaberis in eis dormiens, atque conſurgens*: In Hebræo autem habetur: *Cubans atque conſurgens*, quia in ingreſſu lecti ad dormiendum, & in egreſsu ad vigilandum, debet homo cor ſuum reducere per dilectionem in Deum. Poteſt etiam intelligi de dormire. Licet enim in dormiendo nullus meditari poſſit præcepta Dei, quia tunc ceſſant potentiæ rationales, & intenduntur animales; tamen poſſumus in mente habere, ſi velimus illa in vigilia efficaciter meditari: & tunc eſſet ſenſus, quod ita in die aſſuefaciamus nos ipſos in meditatione præceptorum Dei, ut etiam in nocte nobis veniant in ſomnijs. Et iſto modo decepit quidam Seruus Dominum ſuum. Conſueverat enim illa mala, quæ faciebat per diem dicere etiam in ſomnijs: quapropter Dominus illlius ſciebat omnes iniquitates, quas ſeruus perpetrabat. Videns igitur ſeruus omnia mala ſua palam fieri, prudenti conſilio ductus, qualibet nocte ante accubitum, orationes quaſdam, cum vehementiſſima attentione recitabat; ex quo fiebat, ut in ſomnis illa repeteret, ob fortem impreſſionem cauſatam in Phantaſia. Quare Dominus audiens orationes Servi, iudicavit

illum

illum iuſtum ; nec illi licentiam, ſicut diſpoſuerat, dedit, ſed apud ſe tanquam Sanctum retinuit, pia namque fraude deceptus eſt. Dicitur deinde in *Tex: Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, & movebuntur ante oculos tuos* : Ideſt, nullo modo erunt tibi in oblivionem ; ſicut homo non obliviſcitur rei, quæ ante oculos ſuos appenditur. Et quia manus eſt ad operationem : tunc dicuntur præcepta Divina eſſe in manu noſtra, quando operationi applicantur. Nihil enim refert mandata ſcire, & ea mente retinere, niſi ſecundum illa operemur: quandoquidem doctrina moralis inanis eſt, niſi reducatur ad opus, ut patet ex ſecundo *Ethic.* Advertendum eſt autem, quod omnia prædicta, non ſic præcipiuntur quaſi debeant eſſe ſemper in actu. Nam ſi aliquis vellet continue meditari Deum, non poſſet; quia fatigantur, & deficiunt organa ex corruptibilitate naturæ; ideo intelliguntur præcepta affirmativa, tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, quantum ad tempora congrua.

Reflexio 329.

Poſtquam Moyſes aſſignavit maximum præceptum de dilectione Dei, removet deinde tria impedimenta prædictæ dilectionis. Primum erat copia rerum temporalium, quam Iſraelitæ exeuntes de deſerto, & accedentes ad terram promiſſionis habituri erant: homo namque, de penuria veniens ad magnam abundantiam, ſolet in ſemetipſo elevari, & inherere bono ſenſibili, & ſic à dilectione Dei recedit: tanto namque quis à ſuperno amore diſiungitur, quanto inferius delectatur. Ratio autem fundamentalis eſt. Quia bonum ſecundum veritatem, vel ſecundum quod à nobis tanquam bonum æxtimatur, movet ad fruitionem ſuam; qui autem eſt in adverſitate, non habet apud ſe aliquod Fortunæ bonum quo frui poſſit; ideo cogitur ad Deum, qui eſt ſummum bonum, recurrere, illique adhærere & in ipſo ſperare ; quapropter, ut experientia demonſtrat, homines in al-

boribus, & ægritudinibus poſiti, magis Deum cognoſcunt, & amant, quam temporibus ſanitatis, vel proſperitatis. E converſo autem, quando ſuccedit homini ſtatus felicitatis, adhærent illi aliqua bona fortunæ, quæ ante non adhærebant. Et quia ſunt ſenſibilia, maximè immutant. Bona autem æterna, ſunt ſolummodo intelligibilia; & ideo in proſperitate homo recedit ab amore Dei: in præſentia namque boni ſenſibilis, quod valde immutat, intelligibile, quod reſpectu noſtræ fragilitatis, minoris eſt poteſtatis, non poteſt immutare, loqueodo naturaliter; ideo ſanctus Dux populum ſibi commiſſum monet dicens: *Cumque introduxerit te Dominus Deus in terram, & dederit tibi Civitates magnas, & optimas, & domos plenas cunctarum opum, & comederis, & ſaturatus fueris, caue diligenter, ne obliuiſcaris Domini*. Secundum impedimẽtum erat ſi Iſraelitæ iuraſſent per falſos Deos, ideo dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius iurabis*. Sciendum autem quod hoc non eſt Præceptum, ſed permiſſio: videbat enim Deus Iudæos pronos ad iurandum; unde ne per nomina idolorum iurarent, permiſit illis iurare per nomen ſuum. Ex hoc autem loco, aliqui Rabbini dixerunt: iuramentum eſſe frequentandum; ſed prorſus erraverunt, quia numquam iurare licet, niſi adſit neceſſitas; alias eſſet contra ſecundum præceptum Decalogi, de non accipiendo nomen Dei in vanum; tunc enim in vanum aſſumitur, cum ſine neceſſitate profertur. Vnde Filius Dei dixit *Matth*. 5. *Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non*. Tertium impedimentum erat si homo tentaret Deum, ideo dicitur: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Sciendum eſt autem, quod tentare, eſt velle capere experientiam de alique re dubia; unde amicus tentat amicum, ut ſciat utrum in neceſſitate poſſit de illo ſe promittere. Sic ille dicitur tentare Deum, qui agit ut ſciat, utrum Deus ſubveniat in neceſſitatibus: talitque tentatio magnum peccatum eſt, cum non ſolum ſit præſumptio, ſed infedelitas; nam talis homo dubitat de potentia, & bonitate Dei.

CAP.

CAP. VII. Reflexio 330.

Dicto de impedimentis amandi Deum, quæ proveniunt à ſeipſis; hìc agitur de impedimentis provenientibus ab adverſarijs. Hoc autem erat, ſi Hebræi in terra promiſſionis contraxiſſent matrimonia cum Chananæis; quia filij nati, edocti fuiſſent à Matribus in ritu Gentili, à quo ut totaliter eſſent remoti præcipitur hìc, ut Lucos ſuccideret, ideſt loca nemoroſa conſita apud Aras, in quibus Chananæi Luxurijs vacabant; poſt nefanda Sacrificia Priapi, in quibus erat omne genus carnalis abominationis; tum in coitu maſculorum ad invicem, qui vocabantur effeminati, ideſt habentes vicem fœminarum; tum quia erat communis concubitus virorum cum fœminis; nullo obſervato fędere Matrimonij. Prædictæ autem horrendæ luxuriæ fiebant in locis obſcuris, in quibus propter multitudinem arborum lux Solis prorſus tollebatur. Nam quantumcumque homines turpes fuerint, tamen numquam perdiderunt iſtam verecundiam, exceptis aliquibus Philoſophis, qui ſub ſpecie rectæ rationis, introduxerunt, ut coniuges in publico coniungerentur; quia omne licitum, publicum eſſe volebant. Tullius autem in Libris de Republica, loquens de converſatione carnali coniugum, dixit: *Omnia rectè facta collocari in lucem deſiderant; hoc autem rectè factum, cum fieri velit, videri renuit.* Iubetur deinde Iſraelitis, ut delerent Chananæos uſque ad internecionem: nam propter enormiſſimas ſuas iniquitates, erant ex Dei ſententia condemnati ad mortem, & Hebræi erant executores Divinæ Iuſtitiæ, quæ nolebat amplius ſuſtinere tam inaudita, & replicata ſcelera.

CAP. VIII. Reflexio 331.

POſita incitamenta Divinæ dilectionis, hìc ponuntur motiva ad amandum, & timendum Deum ex conſideratione ſuæ munificentiæ in beneficijs præteritis, quæ debent eſſe nobis materia, ad continuè Deum diligendum: licet multoties contingat, ex humana perverſitate, homines in gratijs Dei magis inſoleſcere, dum non gratias debitas Benefactori ſuo reddunt; ſed tunc magis Divina contemnunt, quam antea facerent; ut in ipſis impleatur quod ſcriptum eſt: *Incraſſatus, dilatatus, impinguatus, dereliquit Deum factorem ſuum*. Narrantur igitur hìc beneficia à Domino exhibita in deſerto Iſraelitis: in quo, pro pane receperunt manna de Cœlo, *omne delectamentum, & omnem ſuavitatem habentem*; nec vnquam defuit per ſpatium quadraginta annorum. Et quia non erant, in loco ubi poſſent ſibi providere de veſtimento; per Dei miraculum, in prædicto ſpatio, veſtimenta alicuius non defecerunt vetuſtate. Et communitèr dicunt Doctores; quod veſtimenta puerorum creſcebant eis, ſecundum augumentum ſuæ quantitatis, quia non habebant unde poſſent emere ſibi veſtimenta. In itinere autem tam longo, & continuato, non fuit attritus pes eorum. Quod tamen beneficium ſolummodo bonis conceſſum fuit; ſicut de Manna, quantum ad varios ſapores dulcedinis: nam mali in itinerando ſatis laboraverunt, ut patet num. 11. ubi dicitur: *ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore*: dolor autem maxime fit in pedibus, pro itinere. Sed ſacra Scriptura frequenter attribuit toti populo, quod tantum illi convenit ratione unius partis.

CAP. IX. Reflexio 332.

SVpra poſita fuerunt incitamenta ad amorem Dei per ſua beneficia; hic alia ponuntur ex recordatione Divinæ miſericordiæ, non ſolum patienter portantis peccata populi, ſed etiam illa remittentis, & de proximo introducentis populum in terram copioſiſſimam, & omnibus bonis abundantem. Admonet tamen Sanctus Dux populum, ne in bono, & proſpero ſucceſſu præſumeret, talem felicitatem provenire ex proprio merito, & iuſtitia, nullus enim quantumcumque Sanctus, de felicitate terrena ſibi proveniente poteſt gloriari; quia licet aliquis habens gratiam, poſſit per illam mereri etiam bona temporalia; tamen non habuit ex ſe illam gratiam, neque illam meruit, alioquin ut ait Apoſtolus, *gratia non eſt gratia*; ideoque in nullo gloriandum nobis eſt, niſi in infirmitatibus noſtris. Gloria vero, & laudes tribuendæ ſunt Deo, qui magnitudinem dedit, & gratiam. Ad excludendam autem prædictam præſumptionem dat Moyſes ſalubre conſilium populo, dicens: *Ne obliviſcaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in ſolitudine*: Memoria namque peccatorum fugat elationem, & comprimit tumorem ſuperbiæ; redditque hominem humiliorem, & cautiorem: adeout Deus aliquando permittit ſuos cadere, ut meliores fiant. Et ſic indirectè, uni magis cecidiſse profuit, quam alteri ſtetiſse, dum lacrymis, & continuo dolore maculas criminum præteritorum delet. Qui autem peccavit, & ſe deliquiſse oblitus fuit, omnium peſsimus eſt, quia ex oblivione peccati Iuſtis ſe facit æqualem. Advertendum tamen eſt, quod quando ex memoria peccatorum timetur periculum recidivi; ut eſt memoria circa obiecta delectabilia carnis; cavendum eſt à particulari, & vehementi recordatione talis peccati, ne inflammata

concu-

concupiſcientia, ad illa perpetranda redeamus: ſunt enim obiecta valde moventia ad fruitionem ſui. In his ergo ſufficit dolere in generali. Quando vero nullum apparet delectabile, retineri debet peccatum in memoria, ut continuè deteſtetur.

CAP. X. Reflexio 333.

Supra poſita fuit narratio peccatorum; hìc ſubditur eorum remiſſio. Signum autem placationis Divinæ fuit reparatio Legis in ſecundis tabulis. Narrat ergo Moyſes qualiter oraverit pro populo in monte ad Dominum, qui eum exaudivit; adeout populum non diſperderet, ſicut meruerat propter peccatum idolatriæ: ſubdens, quod Deus poſt tam clementem remiſſionem nil aliud petit à populo, niſi ut timeat ipſū Deum. Ordo namque in gratiæ perfectione talis eſt, ut primò homo timeat Deum, tanquam iuſtiſſimum punitorem, & ſic obſervet eius mandata; deinde per aſſiduam eorum obſervantiam, concipit in ſe verum amorem Dei. Ad hunc autem debebant inceſſanter Iſraelitæ tendere, conſiderando quod licet Deus, ſupremus Dominus ſit Cœli, & terræ, totiuſque creaturæ; tamen dicit, quod patribus eorum conglutinatus eſt; ad declarandum videlicèt amorem ſuum ſingularem erga filios Iſrael. Verbum enim, *conglutinare*, ſignat quandam unionem: amor enim eſt vis unitiva, faciens duos eſſe unum; nam amicitia eſt idem velle, & idem nolle; ideoque debebant totaliter adhærere Deo per purum amorem, totam ſpem ſuam ponendo in ipſo. Hortatur autem eos, ut circumciderent præputium cordis; videlicèt ſuperflua, & nociva deſideria. Sicut enim præputium in carne, videtur aliquod in ipſa carne ſuperfluum; ita malitia voluntatis magis eſt per ſuperabundantiam, quam per defectum: utrumque tamen malum eſt, cum in medio conſiſtat Virtus.

CAP.

CAP. XI. Reflexio 334.

IN ſuperioribus à capitulo ſexto uſque hùc poſita fuerunt diverſa incentiva ad amorem Divinum; hìc infert Moyſes intentam concluſionem dicens: *Ama itaque Dominum Deum tuum, & obſerua præcepta eius*. Et ſic ponit amorem Dei tamquam radicem, ſeu principium totius operationis noſtræ. Etenim qui vere diligit Deum, omnia mandata obſervat, quæ ſunt quædam viæ directivæ actuum noſtrorum in rectum finem. In Divinis autem Præceptis, debet homo ita applicari, ut non leviter ex quolibet motu cuiuſlibet tentationis, vel laboris, concutiatur, & recedat à via Domini, quam elegit, ſed debet immobilis perſiſtere. Amor enim Dei radicatus in anima, fortior eſt quam mors. Etenim diligentes Deum, ſpernunt mortem in hac momentanea vita, ut eo fruantur in æterna. De fortitudine autem huius amoris, ait Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Deinde, Moyſes incitat populum de novo ad amorem Dei ex beneficijs futuris, ſub conditione tamen, ſi illi obtemperarent; promittens, quod Dominus reſpiceret eorum terram, dando videlicet rorem, & pluviam ſecundum opportunitatem temporum. Si vero declinaſſent à dilectione, & ſervitute Dei, tunc Dominus clauderet Cœlum, ne ſecundum eorum neceſſitates bene influeret, ſed peſtem, & alios morbos cauſaret. Ex motu enim Cęli fiunt omnes generationes, & corruptiones in terra, ſecundũ virtutem influxivam illi datã à Deo.

CAP. XII. Reflexio 335.

POſtquam Moyſes explanavit illa, quæ pertinent ad Præceptum Divinæ dilectionis, quod eſt principium reſpectu præceptorum Decalogi; hìc ponit alia Præcepta, & monitiones, quæ ſunt

quaſi

quaſi quædam concluſiones elicitæ ex ipſis Præceptis. Iubet igitur, ut Iſraelitæ ingreſſi terram Chanaam, ſubverterent omnia loca in quibus Gentes coluerant Idola. Poſiturus namque Deus locum ſui cultus, dextruit primò locum mali cultus; quia vià rationis, & naturæ, prius malum removetur, quam bonum inſtituatur. Cum igitur Divinum nomen deberet reſonare in prædicta terra, in Sacrificijs, & oblationibus, & laudibus Divinis, primo deſtruenda erant profana nomina Idolorum. Erat autem in tota terra unus locus eligendus pro cultu veri Dei, ne ex multiplicatione locorum, ſumerent Iſraelitæ occaſionem idolatrandi: & in iſto ſolo debebant Hebræi offerre Hoſtias, eaſque comedere epulando coram Domino. Intendebat enim Deus inducere filios Iſrael ad veram religionem, ſed quia iſti nimis carnales erant, trahebat illos ad ſe per quædam gaudia corporalia; ut ſic comedendo de melioribus, & abundantiori modo, quam alijs temporibus, allicerentur ad ſe exercendum in actibus Latriæ: per aſſuefationem autem, relinquebant corporalem delectationem, & ſurgebant principaliter in cultum Dei. Sicut nunc homines per timorem ſervilem bene operantur, & per talem exercitationem provehuntur, ad amandum Deum ex Charitate. Hunc modum tenuit Chriſtus Dominus in principio ſuæ prædicationis; dulciter enim cum peccatoribus comedendo permanſit: & ideo valde proficuum eſt, ut boni viri oblectent malos homines, tribuendo illis temporalia; hoc enim temperamento, corda eorum ad bonum trahunt. Et utinam omnes Epiſcopi, & alij Eccleſiæ Dei miniſtri, hunc modum tenerent: tunc enim verba correctionis, ſuam efficaciam haberent, & tali eſca, non ſolum ex officio, ſed etiam in praxi, vere eſſent piſcatores hominum.

CAP.

CAP. XIII. Reflexio 336.

FIrmato cultu Latriæ, hìc ponitur pœna contrà illos, qui auderent removere populum à tali cultu. Iubetur autem, quod ſi ſurrexiſſet Propheta in populo prædicens ſignum, atque portentum, & illud evenerit; poſtea vero dixerit debere ſequi Deos alienos, talis Propheta occideretur, tamquam Propheta dœmonum: nam impoſſibile eſt ipſum fuiſſe Dei Prophetam, cum Dominus idolatriam zelet, & deteſtetur. Et licet evenerit quod prædixerat, tamen nihil refert; quia dœmones aliquando prædicunt futura, quæ excedunt humanam cognitionem: qua propter in iſto caſu erat tentatio permiſſa à Deo, ut populus ratione fidei mereretur, & coram alijs appareret eius virtus, & etiam coram ſe ipſo; homo enim non ſe cognoſcit, donec mediantibus adverſitatibus, ſibi ipſi innoteſcat. Sic Deus tentavit Abraham, dum iuſſit illi, ut proprium filium immolaret, ut per obedientiam tam duram, innoteſceret futuris generationibus mirabilis eius virtus, & conſtantiſſima fides. Sed dices, Deus neminem tentat, ut ait *Iacob. Apoſt.* Dicendum, quod tentatio duplex eſt. Vna eſt inſtigatio ad malum, puta ad iram, vel libidinem, & hoc modo Deus neminem tentat; nam iſtæ paſſiones ſunt à nobis, ideſt à principio intrinſeco; Vnde idem Apoſtolus ait: *Vnuſquiſque autem tentatur à concupiſcētia ſua abſtractus, & illectus*. Alia eſt tentatio, quæ eſt occaſio exibendæ virtutis, & de iſta non loquitur Apoſtolus, ſed de prima. Hìnc de iuſtis, & amicis Dei dicitur *Sap. cap. 3. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe: tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi Holocauſti hoſtiam accepit illos*. Deinde ponitur determinatio penæ illi Civitati, quæ perpetraſſet idolatriam. Et iubetur, quod percuterentur habitatores illius in ore gladij, uſque ad animalia. Suppellectiles autem flammis darentur, cum tota

Civi-

Civitate; ut ſic averteretur Dominus ab ira furoris ſui. Per prædictum namque peccatum provocatur ira Dei contra totum Regnum, quando negligitur puniri; nam tunc alij conſentire in ſcelere videntur.

CAP. XIV. Reflexio 337.

SVpra poſita ſunt Præcepta immediatè pertinentia ad Latriam: hìc ponuntur quædam alia ſpectantia ad corporalem munditiam, quæ ordinabatur in Latriam; nam immundi prohibebantur ingredi loca ſacra. Primò igitur interdicitur Iudæis, ne carnes ſuas inciderent in morte charorum; nec facerent ſibi Calvitium, eradicando videlicet capillos, qui ſunt in anteriori parte capitis ſuper frontem: hæc enim omnia faciebant idolatræ, à quorum moribus ſemper Deus arcebat populum ſuum. Item, quia non erat à fidelibus multum plangendum in morte amicorum, vel parentum; ut ſic videretur differentia inter illos, qui totum bonum hominis putabant ceſſare in morte; & illos qui hominem morientem ad maiora bona tranſire firmiter credunt. Immoderatus ergo luctus, non decebat filios Dei, qui habebant fidem Reſurrectionis. Moderatus tamen, procedens ex naturali pietate, decet. Secundo prohibetur Iſraelitis, ne comederent animalia immunda. Sciendum eſt autem, quod nulla immunditia ſpiritualis poteſt eſſe in brutis, quæ peccare nequeunt; tamen poteſt aliquo modo redundare in eis, in quantum homines utuntur illis ad mala: utpote quia illa immolant idolis; vel eis utuntur ad maleficia. Immunditia vero corporalis, poteſt eſſe directè in animalibus; vel quia immundo cibo utuntur, ſicut Porcus; vel quia in loco immundo habitant, ex quo contrahunt fętorem; & propter utramque cauſam, multa animalia prohibebantur in Lege veteri. Deinde inducitur populus ad ſuſtentationem Sacerdotum, & reliquorum miniſtrorum Dei;

Digitized by Google

Dei: non enim potuiſſet cultus Latriæ exerceri ſine miniſtris ad hoc deputatis. Tandem inducitur populus ad ſuſtentationem pauperum, dum præcipitur, quod anno tertio ſepararent Iſraelitæ aliam decimam, ex omnibus, quæ naſcebantur eo tempore, & iſta vocabatur decima pauperis, quæ fiebat ſolum de triennio in triennium, ne Iudæi pauperes cogerentur quærere eleemoſynas à Gentilibus, vel ſervire illis pro ſuſtentatione vitæ ſuæ, ne per hoc ad idolatriam inducerentur.

CAP. XV. Reflexio 338.

DIcto de eleemoſyna, quæ fiebat pauperibus, agitur hìc de illa, quæ fiebat omnibus debitoribus, per remiſſionem debiti in ſeptimo anno. Sciendum eſt igitur, quod ſi aliquis mutuaſſet fratri ſuo Iudæo pecuniam, poterat quidem creditor cogere debitorem, ut ſolveret ante annum remiſſionis, ſed ſi ante ſeptimum annum non fuiſſet ſolutum debitum, non compellebatur mutuatarius amplius ſolvere illud. Nec poterat accipiens mutuum renunciare privilegio ſeptimi anni, quia Lex iſta erat principaliter introducta in favorem pauperum. Porrò hìc monentur divites, ne refugerent mutuare pauperibus, ex eo quod appropinquaret annus ſeptimus; nam talis cogitatio impia eſſet, & tunc neceſſitas pauperis clamaret ad Dominum. Deinde excluditur alia fraus, quæ erat contra honorem Divinum, dum dicitur: *Non operaberis in primogenito Bovis, & non tondebis primogenita ovium*. Aliqui enim Iudæi, propter eorum avaritiam, volebant arare in primogenito Bovis: unde per tres annos apud ſe retinebant illud animal. Similiter tondere volebant ovem primogenitam, antequam iſta animalia offerrent Deo, & ſic duo mala veniebant. Primum erat, quia illa, quæ Deo ſanctificata erant, converteban-

bantur ad uſus humanos. Secundum erat, quia damnificabantur Sacerdotes, propter retentionem dictorum animalium, quia non habebant fructum. Si vero animal fuiſſet maculoſum, non debebat offerri Deo, ſed pretium dabatur Sacerdotibus. Et hoc erat; tum quia videbatur vileſcere cultus Divinus; tum quia res Sacræ quanto pulchriores ſunt, tanto magis elevant mentes ad Cœleſtia, & æterna. Ex quo infertur licere Eccleſias valde pulchras eſſe, tam in ædificijs, quam in pretioſis ſuppellectilibus, ut hæc terrena pulchritudo converta t animos noſtros ad contemplandum fulgorem patriæ Cæleſtis. Hinc legimus antiquum illud Tabernaculum, iuſſu Dei erectum à Moyſe in deſerto, habuiſſe multa auri, & argenti pondera. Templum verò, quod Salomon conſtruxit Mons aureus videbatur; nihil enim erat in eo, quod non eſſet aurum, vel laminis aureis tectum. Cavere tamen debent Epiſcopi, ne dum Eccleſiæ magnis ædificiorum, & vaſorum copijs replentur, pauperes Chriſti Domini, fame pereant; abſurdum enim eſſet, proſternere lapides vivos, ut lapides mortui erigerentur. Præpoſitus ergo Eccleſiæ Dei, unum faciat, & alterum non ommittat.

CAP. XVI. Reflexio 339.

Supra poſita fuerunt Præcepta ordinantia ad Latriam de ſeptemnio in ſeptemnium; hìc adiunguntur alia, quæ idem ordinabant in quolibet anno, reſpectu trium temporum, in quibus Iudæi celebrabant feſta ſolemnia, videlicèt: In primo menſe, *Feſtum Phaſe* propter beneficium egreſſionis de Ægypto. Secundum erat *Feſtum Pentecoſtes* in menſe tertio propter beneficium Legis datæ. Tertium erat *Feſtum Tabernaculorum*, propter beneficium conſervationis Iſraelitarum in Deſerto ſteriliſſimo, ubi habitaverunt in Tabernaculis. Præſcribitur autem locus

Digitized by Google

locus inquo Phaſe immolandum erat; & iſte fuit poſtea Civitas Ieruſalem, electa à Deo ad ſuum cultum; ut nimirum cum maiori reverentia fieret iſta immolatio, dum celebrabatur in Civitate, in qua ſpecialiter poſitum erat nomen tDei. Prima autem dies incipiebat à veſpere decimæ quartæ diei primi menſis, & terminabat in primo veſpere decimæ quintæ diei; & tota illa die, cum nocte ſequenti, debebant remanere Iudæi in Ieruſalem; mane autem facto, poterant recedere. Prædicta immolatio debebat fieri veſpere ad occaſum ſolis, & vocatur ſolis occaſus, non ſolum tempus, quo ſol cadit ſub Horizonte, ſed tempus à quo ſol incipit declinare à puncto circuli meridiani. Vnde poſt meridiem decimæ quartæ diei, uſque ad noctem, quacunque hora poterat immolari Agnus. Per ſeptem autem dies debebant Iſraelitæ comedere azymos panes, qui vocantur panes afflictionis, quia talis panis eſt inſipidus guſtui, & ſtomacho ponderoſiſſimus, & ideo repugnat ſanitati: nam miſcetur farina cum aqua frigida; ſine ſale, & frumento; quæ omnia ſubtiliant, & digerunt. Volebat autem Dominus, quod Iſraelitæ hunc panem ederent, ut haberent memoriam afflictionis, & pavoris, quem ſuſtinuerant in egreſſu de Ægypto.

Reflexio 340.

Poſtquam poſita ſunt præcepta, quæ ſunt quaſi concluſiones præceptorum Decalogi ordinantes ad Deum, ponuntur ſubſequenter illa, quæ ſunt concluſiones ordinantes ad proximum. Ordo autem inter homines conſiſtit in diverſis gradibus Civium bene inſtitutis; & quia nulla ſocietas poteſt permanere abſque Iuſtitia; ideo præſcribuntur Iudices, & Magiſtri, ut iudicent populum iuſto iudicio, ad quod duo neceſſaria ſunt. Primum quod iudicantes ſint in Lege Sapientes, & prudentes, ut ſciant applicare iuſtam determinationem ad cauſas, quarum determinatio non reperitur ſcripta. Alterum requiſitum, eſt bo-

nitas ſecundum virtutem moralem: nam dato quod aliquis ſciat quid agendum ſit, tamen ſi virtutis habitum non habeat, ducetur à paſſione ad oppoſitum: hinc *Ar.* ait 7. *Ethic.* Quod *malitia corrumpit rectum iudicium, & errare facit circa principia practica*. Sicut erraverunt Senes exardeſcentes in pulchritudinem Suſannæ. Hoc autem maxime evenit, quando iudex diligit munera, quæ excæcant oculos, & faciunt deviare à rectitudine, ut expreſsè dicitur hìc in *Tex.* Voluit autem Deus, quod Iudices eſſent in portis Civitatum; quia ſicut iudex eſt perſona publica cuilibet iuſtum diſtribuens; ita congruebat ei locus publicus, ad quem omnes, ſive divites, ſive pauperes poſſent accedere. Et hunc modum acceperunt Stoici, quorum ſolicitudo fuit, omnibus inſinuare virtutem. Sedebant enim in portis Civitatum, ut omnibus tranſeuntibus ipſam virtutem prædicarent. Olim vero iudices ferebantur in curribus per totam Civitatem, ut volentes aliquid petere ab ipſis, exeundo ianuas domus, invenirent iuſtitiam. Honeſtius tamen eſt, litigantes ad Iudicem currere, quàm Iudices ad litigantes pergere; nam diſtributivum Iuſtitiæ, quod in Civitate potiſſimum eſt, debet haberi in magno honore; ideoque in publico iudex ſedere debet; ut qui cauſas habent, ad audiendam illius determinationem humiliter accedant.

CAP. XVII. Reflexio 341.

SVpra poſita fuit materia circa quam Iudices laborare deberent; hìc ponitur modus executionis circa Idolatriam puniendam. Advertendum eſt autem, quod licèt Gentiles colerent elementa, & aliqui res elementatas; tamen magis venerabantur corpora Cœleſtia putantes illa, non ſolum animata, ſed in illis eſse Deitatem. Videbant enim habere poteſtatem in iſtis inferiori-

Digitized by Google

rioribus: quia vero Sol, & Luna magis cognoſcuntur quam cœtera aſtra; ideo magis iſta, quam reliqua corpora coluerunt. Item propter manifeſtam motus varietatem: nam aliquando aſcendunt verſus caput Cancri ad latitudinem Septentrionalem; aliquando verſus caput Capricorni ad latitudinem meridianam. Stellæ autem, quæ ſunt in octava ſphæra, non habent declinationes, quia in illa fixæ ſunt. Planetæ verò, licèt declinationes habeant, tamen motus declinationis non percipitur, nec iudicatur ab omnibus, ſed ſolummodo à Sapientibus. Item quia Gentiles videbant maiorem virtutem emanare ab his duobus luminaribus, quam à cœteris Aſtris: Sol enim luce ſua nos lętificat, & calore ſanos reddit. Diſtinguit tempora, & facit terræ naſcentia germinare, & quicquid in terra occidit, vel oritur, in ipſius poteſtate eſt. Hinc *Ar. 2. de Generat. ait*. Quod *per acceſſum Solis, & receſſum in Circulo obliquo fiunt Generationes, & corruptiones in terra*. Luna vero poteſtatem gerit ſuper humida. Fluxus, & refluxus maris, per quadraturas ſuas, remiſſius, vel intenſius fit; totiuſque agricolturæ, quæ ſuperhumiditatem fundatur, domina eſt. Vnde Gentiles, ut abundarent terræ naſcentibus, offerebant ei libamina: idemque fecerunt Iudæi, vocantes illam, Reginam Cœli, ut patet *Ieremiæ* 44. Colebantur etiam à Gentilibus duodecim ſigna Zodiaci, magis quam alia aſtra. Quam impietatem ſecuti pariter fuerunt Iudæi, ut patet 4. *Reg.* Cauſa huius dementiæ fuit: quia cōmunis conceptus omnium mortalium fuit, Deum eſſe Maximum Ens, & Maximum Bonum, & ideo, cum aliquod corpus inter cœleſtia magis de virtute influxiva habere ruſticana ſimplicitas videbat, affirmabat eſſe Deum. Et quia inter aſtra, & aſtrorum coſtellationes, nullæ magis virtuoſiores ſunt ad influendum, quam ſigna zodiaci; ideo mortalium temeritas, & avaritia dicta ſigna Deos putabat.

Reflexio 342.

POſt remotionem idolatriæ agitur de inſtitutione Regis. Circa quod ſciendum: quod illud quod hic dicitur, non eſt præceptum, alioquin peccaſſent filij Iſrael petendo ſibi Regem, cuius contrarium dicitur *Pr. Reg.* 12. ſed eſt permiſſio de malo ipſius populi optantis ſibi Regem. Nam bonum populi conſiſtebat in hoc, quod ſolus Deus regnaret ſuper illum, eoquod erat peculiaris ſuus populus. Sed quia Dominus ſciebat populum petiturum Regem, poſuit hic conditiones illius, ne totale malum, in tali electione accideret. Magna namque regulatio neceſſaria eſt in Rege, & ideo non debet, poni niſi virtuoſiſſimus. Eſt enim periculoſum, omnia uni committere, ex 2. *Polit*. Inter Politias tamen, nulla melior eſt quam Regalis. Et ratio ea eſt, quia principatus ſunt meliores, inquantum ſunt minus ſeditioſi: nullus autem principatus ſeditione caret, niſi regalis, quia unus non poteſt diſcordare à ſeipſo. Plures autem licet virtuoſi ſint, plerumque diſcordant: hinc *Ariſt.* 12. *Metaph.* ait; *Malam eſſe pluralitatem*. Non poterant autem Iudæi eligere in Regem hominem alterius Gentis, quantumcumque eis bonus videretur; quia nullus bonus eſſe poteſt, qui Deum verum non colit, converſus ad vanitatem ſimulacrorum, in quorum cultu ſuprema malitia conſiſtit. Electo autem Rege, prohibuit illi Deus multiplicationem equorum, quod intelligitur ad iactantiam, non vero quo ad decentiam ſui ſtatus. Similiter ei interdicitur plurimas habere uxores. Non prohibetur igitur pro illo tempore ſimpliciter pluralitas uxorum, cum David, qui fuit ſanctus, ſex uxores habuerit; ſed ſolummodo quod non haberet in numero exceſſivo; ne Rex induceretur ad nimiam carnalitatem. Prohibentur ſimiliter Regi auri, & argenti immenſa pondera, ne nimis gloriaretur divitijs. Moderata tamen pecunia non illi interdicitur; hæc enim erat neceſſaria

propter

propter quotidianas expenſas, & ſubitanea pericula, quæ regno ſuo poterant occurrere. Vnde de Rege fortaſſe dicere poſſumus id quod ait *Ariſt. ſecundo polit. de Civitate*: Quod non debeat eſſe, nec valde dives, nec valde pauper; nam ſi eſſet valde dives aggrederetur multa contra alios populos, ut opprimeret. Et tunc alię vicinæ politiæ inſurgerent contra illam; vel alij populi ob magnas illius divitias, conſpirarent contra illam, ut opibus illius ditarentur. Et ſic patet, quod nimia copia divitiarum inquietam reddunt Civitatem, dum vel illa non quieſcit, vel alij eam quieſcere non ſinunt. Non debet autem eſſe nimis pauper, quia præ inopia non poſſet ſuſtinere hoſtiles incurſus.

Reflexio 343.

SEcuta Regis electione, iuſſit Dominus, ut ſtatim ſibi deſcriberet Deuteronomium, accipiens exemplar à Sacerdotibus. Et dicunt Hebræi, quod debebat habere volumen duplicatum. Vnum ad ſervandum in loco Theſauri ſui, tamquam aliquod precioſiſſimum. Aliud vero ad portandum ſecum continuè, ut poſſet illud frequenter legere. Et ſic diſceret ſemper timere Dominum Deum ſuum, nec elevaretur in ſuperbiam: hæc enim omnia conſequuntur ad continuam Sacræ ſcripturæ meditationem. Timor enim ſervilis primò cauſatur: nam cum aliquis legit tot genera afflictionum peccatoribus inflicta, ſatis magnam occaſionem habet, ad fugiendas iniquitates. Poſt hunc timorem ſubſequitur timor reverentialis, ſeu filialis, per quem homo cavet, ne illum offendat quem valde venerandum, & amandum putat: Nam ex lectione Divinæ Scripturæ reperimus magnam Dei potentiam, & ſapientiam in admirabilibus operationibus ſuis; Immenſamque bonitatem, in quotidiana beneficiorum largitione. Ex quo deinde in amorem, & obſequium erga Deum tendimus, & cavemus, ne Summum Bonum offendamus. Ex timore igitur venit obſervantia Le-

gis, & ex tali obſervatione, repreſſio paſſionum, ne in iactantiam, & ſuperbiam elevemur. Quæ quidem omnia, ſpecialiter Dominus prohibuit Regi; quia iſte inter homines aliquod maximum, & excellentiſſimum eſt: unde cernens ſe omnibus maiorem, putare poſſet, ſe nihil debere ſubditis; ita quod nullum iuſtum eſſet inter eum, & ſubditos; ſicut nec eſt inter hominem,& poſſeſſionem ſuam, *ex* 8. *Ethic*. Et ideo voluit Deus, ut Rex conſtitutus, ſtatim conſideraret per meditationem Legis, quod talis honor, non erat illi datus propter ſeipſum, ſed propter alios, ut eos regeret, & illis inſerviret. Vnde quidam Rex dixit filio ſuo, qui poſt ſe regnare debebat: *Neſcis Fili, Regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem*? Et Homerus non vocavit Agamenonem bonum Regem, ſed bonum Paſtorem populorum; quia Rex debet curam gerere populi ſui, ſicut Paſtor proprij Gregis, & ideo hìc *in Tex*. vocantur illius ſubditi, eius fratres: frater enim æqualitatis nomen eſt, ut ſic exiſtimaret eos ſibi æquales in natura, quos voluntate Dei regendos ſuſcipiebat.

CAP. XVIII. Reflexio 344.

SVpra egit Legislator de ſtatu Iudicum Sacerdotum; hìc agit de eorum ſuſtentatione. Tribus enim Levi, non habuit partem in terra promiſſionis, niſi urbes ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora; ideoque debebant de bonis aliorum ſuſtentari, nam Perſona publica debet vivere de ſumptibus publicis. Sacerdotes autem, & Levitæ erant perſonæ publicæ, cum loco totius communitatis eſſent aſſignati ad miniſterium Dei. Inſuper inſtruebant populum, docentes qualiter vita eſſet dirigenda; ne igitur vacarent ſæcularibus negotijs, ſuſtentari debebant à populo. Etenim quælibet communitas etiam Genti-

Gentilium, determinavit aliquos miniſtros ad Divina peragenda, quibus dabantur omnia neceſſaria; ut patet de Ægyptijs, qui de horreis publicis miniſtrabant frumenta Sacerdotibus ſuis, & inſuper aſſignatæ fuerant illis terræ particulares. *Hinc Ariſt.* 8. *Ethic.* ait, quod communicatio in Sacrificijs, & feſtivitatibus Deorum, eſt quædam pars communicationis politicæ: Ideoque dicit quod debentur de communi determinari ſumptus ſacrificiorum, quia magna pars ſtatus politici eſt in honore deorum.

Reflexio 345.

POſt præceptum de ſuſtentandis Sacerdotibus veri Dei, removentur filij Iſrael à quibuſdam abominationibus populorum inhabitantium terram promiſſionis: iſti namque, per Sacrificia nefanda dœmonibus exhibita, querebant veritatem de futuris ſtando ſuper tumulos mortuorum. Debebant enim filij Iſrael quērere veritatem in lege Dei. Vbi autem legis determinatio non ſufficeret, promittitur illis prophetica revelatio, dum dicitur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Iſta autem auctoritas, licet poſſit intelligi de quolibet Propheta bono, tamen intelligitur principalitèr de Chriſto Domino, qui fuit Propheta magnus, ad quem Prophetiæ aliorum Prophetarum ordinatæ fuerunt. Vndè Filius Dei teſtatus eſt hanc auctoritatem de ſe intelligi, ut patet *Ioan.* 5. & *Lucæ* 24. & *Actu* 3. Principalis igitur ſenſus litteralis eſt de Chriſto Domino; Secundarius verò poteſt applicari Ioſuè, & cuilibet ali vero Prophetæ: Nam una littera poteſt importare duos ſenſus litterales, quando unus ſubordinatur alteri. Suſcitavit etiam Deus aliquos Prophetas de Gentibus, ut patet de Iob, & de Sybillis, quæ multa prophetaverunt etiam de Chriſto Domino: Nam Cumana Sibylla vaticinata eſt Incarnationem Filij Dei dicens:

Iam nova progenies Cœlo dimittitur alto.

Et Sibylla Erijthrea prædixit Iudicium futurum dicens:

Iudicij ſignum tellus ſudore madeſcet,
Et Rex adveniet per ſecula cuncta futurus.

Hæc etiam prophetavit, Troiam bello perituram, & Homerum Græcorum Vatem, qui poſteà per multa tempora natus eſt, mendacia locuturum. Fertur autèm Sibyllam Cumanam attuliſſe novem libros ad Tarquinium priſcum, ac pro eis popoſciſſe trecentos Philippeos. Rege autem aſpernante, ob magnitudinem pretij, in eius conſpectu combuſſit tres libros, poſtulans idem pretium pro reliquis: cumque à Rege ut fatua irrideretur, tres alios combuſſit, petens pro tribus remanentibus idem pretium. Tunc Tarquinius commotus conſtantia mulieris, iuſſit ſtatim dari pretium, præcipiens dictos tres libros in Capitolio religioſiſſimè ſervari, & à ſolis quindecim Viris de rebus dubijs, veluti oracula, conſuli. Aliqui Doctores dicunt, quod libri omnium Sibyllarum in Capitolio ſervabantur, etiam magno tempore poſt Chriſtum natum, & volentibus monſtrabantur, exceptis tribus libris Sibyllæ Cumanæ. Demum omnes libros Sibyllinos Stillico, cum adverſus Honorium, & Arcadium Principes defectionem moliretur, combuſſit; de quo pulchrè cecinit Rutilius:

Ne tantum patrijs ſerviret Proditor armis,
Sancta ſibillinæ fata cremavit opus.

CAP. XIX. Reflexio 346.

EXplicatis illis, quæ pertinent ad ſtatum ſublimium perſonarum, hìc ponuntur illa, quæ pertinent ad bonum ſtatum inferiorum. In rectiſſimis namque Politijs nihil inordinatum manere debet. Et primò ponuntur illa, quæ ordinant hominem quantum ad iraſcibilem. Deordinatio autem partis iraſcibilis maximè appa-

ret

ret in homicidio; quapropter ſex ordinabat, quod occidens totalitèr à caſu poſſet refugium habere in aliqua determinata Civitate, ne conſanguinei occiſi in vindicando mortem illius, multiplicarent homicidia. Si vero homicidium commiſſum fuiſset per inſidias; tunc occiſor, manens in Civitate refugij, tradebatur in manu proximi, cuius ſanguis effuſus fuerat, ut moreretur. Homicidium autem, & quodlibet aliud delictum, non probabatur per unicum tantum teſtem, ſed per duos ad minus. Et ratio ea eſt, quia unus poteſt faciliter errare, vel corrumpi, quod non præſumitur in duobus. E contrario autem, ſi neceſſarij fuiſſent multi teſtes, auferreretur via ad inveniendam veritatem, propter difficultatem inveniendi multos teſtes; ideoque, tam Divina quam humana iura, moderationem dederunt, ut nec unus ſufficeret, nec valde multi prærequirerentur. In ferendo autem teſtimonio, ſi quis aliquis dixiſset contra fratrem ſuum falſum teſtimonium, puniebatur in eo quod facere tentavit; reddendo animam pro anima; oculum pro oculo, & hoc ut cœteri timorem haberent. Intentio namque cuiuſlibet Legiſlatoris, in pœnarum inflictione eſt, ut ſubditi arceantur à ſcelere: magis enim intendit correctionem illorum, qui nondum mali ſunt, ſed poſſunt fieri mali, quam punitionem illorum, qui iuſtà ratione peccati commiſſi, torquentur.

CAP. XX. Reflexio 347.

ACto de homicidio à particulari perſona commiſso, hìc agitur de homicidio facto in communi, videlicet in bello, in quo Sacerdos debebat animare milites bonis exhortationibus, ad ſtrenuè, & ſine ullo timore certandum: nam per timorem cordis deſtituuntur membra exteriora ab actibus ſuis. Cum autem Iſraelitæ pugnarent pro Religione, & pro gloria Dei, longe ab eis ti-

mor

mor eſſe debebat; quia Deus in bello iuſto, per ſpecialem protectionem adiuvat certantes. Poſt verba Sacerdotis, ſtatim debebant Duces per ſingulas Turmas, audiente Exercitu, proclamare, ut quatuor genera hominum arcerentur à bello. Primus erat ille, qui domum ædificaverat, nec illam dedicaverat, hoc eſt, ſolemnizaverat. Pro quo ſciendum, quod tunc temporis, antequam Dominus domus ibidem moraretur, invitabat amicos, cum quibus in ea epulabatur, & iſta lætitia vocabatur dedicatio domus. Sicut ſolemnitas, quæ fit in conſecratione Eccleſiarum vocatur dedicatio, & transfertur hoc ad quamlibet rem novam, dum ea uti incipimus. Ratio huius remotionis erat: quia talis homo cogitabat de domo prædicta vehementer; & ideo nolebat Deus, quod maneret in Caſtris; quia laxaretur animo, & remiſſè pugnaret, diſtractus à prædicta apprehenſione. Secundus erat ille, qui plantaverat vineam, nec fecerat eſse communem. Pro quo ſciendum, quod tunc temporis, quando plantabatur vinea, fructus trium annorum erant immundi; quarto vero anno offerebantur Domino; in quinto autem poſſeſſor illius recipiebat fructus, vocabatque amicos ad comedendum de fructibus vineæ, & tunc dicebatur vinea facta communis; talis ergo homo debebat à caſtris recedere; quia multum afficiebatur ad fructus guſtandos plantatæ vineæ, & perconſequens iudicabatur ineptus ad fortiter bellandum. Tertius erat ille, qui deſponſaverat Vxorem, non conſummato cū illa matrimonio: animalis enim homo, circa primos ſponſæ ſuæ amplexus, ardentiſſimo tenetur amore; ideo talis removebatur à caſtris; quia per diſtractionem ex vehementi concupiſcentia cauſatam, non erat aptus ab bellum. Complacebat enim Deus Iſraelitis, quia populus adhuc carnalis, & rudis, à maximis, & licitis delectationibus arcendus non erat. Quarto loco repellebantur formidoloſi, hoc eſt homines multum timentes: formido namque exceſſivum timorem denominat; non vero repellebantur illi, qui parum timidi erant; quia difficile eſt medium, circa timores,

& au-

& audacias habere. Nam materia cuiuslibet virtutis diviſibilis eſt, & ſimpliciter medium adipiſci, valde laudabile eſt; quapropter modicum declinare à medio timiditatis, vel audaciæ, non eſt vituperabile; ſed ſolum damnandus eſt, qui multum excedit, vel deficit: formidoloſi autem multum deficiunt à fortitudine, ideò à caſtris totaliter repellebantur.

Reflexio 348.

POſt remotionem illorum, qui erant inepti ad pugnam, ſequitur de diviſione ſpoliarum: etenī in bello, devictis hoſtibus, ſequuntur communiter prædæ. Inducuntur autem hìc ſuperiores ad actum iuſtitiæ diſtributivæ in dividendo exercitui ipſas prædas. In omni namque communicatione, & amicitia, eſt aliquod iuſtum inter communicantes, ut ait *Ar.* 8. *Ethic*: & quanto illud iuſtum maius eſt, tanto amicitia, & communicatio maior erit. Si vero nullum, tota amicitia diſſolvitur. Patet hoc etiam in amicitia criminoſa, ſeu communicatione: nam latrones, qui communicant in lucro, dum inter eos fit æqualis diſtributio rerum ablatarum, continuant amicitiam, & communicationem ad invicem; ſed ſi aliquis maiorem partem ſibi ſtudeat appropriare, ſtatim ceſſat amor, & litigia ſequuntur. Hoc enim mirabile habet iuſtitia ſuper cœteras virtutes, quod actus illius, tam in bonis, quam in malis requiritur ad commanendum; actus autem aliarum virtutum, prærequiruntur ad ſolam permanentiam in bono, ad malum autem nequaquam: & ob hoc *Ariſt.* 5. *Ethic*: vocavit iuſtitiam optimam virtutem, & inter cœteras excellentem, ſicut Lucifer inter aſtra; nam ablata iuſtitia, nihil ſunt Regna, niſi publica latrocinia, teſte *Auguſtino* 4. *de Civit. Dei*. In bello autem, ſi Duces pro ſe prædam accipiant, nihil, aut modicum militibus dividentes; tunc iſti non curant de pugna, labores refugiunt, vitam periculis non exponunt; ſed data fuga, caſtra relinqunt: nihil enim magis eſt, quod aliquem Principem vinci ab hoſtibus faciat,

quam

quam avaritia erga ſuos milites; hinc libro primo Alexandriedis dicitur:

Nec Mænia, nec Turres Ducem tutantur avarum.

CAP. XXI. Reflexio 349.

POſtquam actum eſt de homicidio, cuius auctor cognoſcebatur; hìc conſequenter agitur de illo cuius auctor penitus ignorabatur, & præſcribitur modus inveniendi ipſum homicidium. Seniores enim illius Civitatis, quæ proximior erat cadaveri, debebant accipere vitulam, quæ non traxiſſet iugum; quia debebat eſſe fortis, & non fracta labore. Et hoc ad deſignandum ferocitatem committentis homicidium. Deinde ducebatur ad vallem aſperam, & ſaxoſam, & hìc cedebantur cervices illius: ad ſignandum, quod homicida, & etiam celantes ipſum homicidium, erant digni tali morte. Deinde, maiores Civitatis accedebant ad interfectum; tum ut magis moverentur intrinſecus, & abhorrerent falſum dicere; tum quia, preſente occiſore, eſt quoddam quaſi naturale miraculum, ut vulnera occiſi ſudent ſanguineum humorem, ſicut multoties viſum eſt. His peractis lavabant ſeniores manus ſuas; ad deſignandum, quod erant innocentes, & mundi à crimine; tamen per iſtam lotionem non fiebat intrinſece ulla munditia, ſicut aliquæ Gentes putaverunt. Vnde Hercules lavit ſe in quodam fonte Libiæ, & ſic credidit, ſe à cunctis piaculis abſolutum: hinc Agareni in ſuis delubris habent fontes, in quibus ſepiſſime ſe lavant, putantes per hoc diluere ſua facinora. Veruntamen, ſolum in Eccleſia Dei habet aqua vim luendi interius in anima peccata; quia nimirum Chriſtus Dominus, tactu ſuæ ſanctiſſimæ carnis, vim regenerativam tribuit aquis, ut deinde ſequeretur plena remiſſio peccatorum.

Re-

Reflexio 350.

DIcto de homicidio, ſubſequitur de his, quæ ſolent præcedere ex odio. Sciendum eſt autem, quod licet prohibitum eſſet filijs Iſrael, accipere mulieres Chananæas; tamen propter effrenatam ipſorum libidinem, conceſſit Deus, ut poſſent accipere Vxores de alijs Gentibus captas in Bello, dimiſſo tamen Gentilitatis ritu, hoc modo: radebat enim talis mulier ſibi Cæſariem, & Vngues: per quæ deſignabatur dimiſſio Gentilitatis, & converſio ad Iudaiſmum; nam abſciſſio capillorum, & unguium ſignificabat abraſionem cultus idolatriæ, qui vanus, ſuperfluus, & ſuperſtitioſus eſt. Deinde deponebat veſtem, in qua capta fuerat; per quod ſignificabatur depoſitio actuum exteriorum, & habitus totius veteris converſationis. Tandem ſedens flebat Patrem, & Matrem, tanquam actualiter mortuos; quia compaſſio naturalis exhibenda eſt ſemper parentibus; nec decet filios, ſine cordis amaritudine, prætẽrire funera parentum. His celebratis, ducebatur in domum Iudæi, eratque verè uxor illius. Sed quia frequenter contingebat, quod talis mulier fiebat odioſa marito: nam mulieres alienigenæ, cum habeant mores totaliter diſſimiles, ſunt odibiles viris ſuis, prohibetur hìc iniuria, quam poſſet illi facere maritus. Et præcipitur, quod ſi non placuiſſet oculis ſuis, teneretur illam dimittere liberam, abſque ullo pretio recepto ab ea, vel à parentibus; nec poterat illam vendere, quia ex quo facta fuerat ei Vxor, non erat decens, quod rediret ad conditionem Ancillarum. Secundo excluditur effectus odij, reſpectu prolis, dum dicitur: quod ſi aliquis habuiſset duas uxores; unam dilectam, & alteram, odioſam, ſi filius odioſæ fuiſſet primogenitus, non poterat pater, propter odium erga matrem, privare filium iure primogenituræ. Licebat autem tempore veteris teſtamenti habere plures uxores, maxime quia ante legem

datam, multi Sancti Patres plures uxores habuerunt. In hoc autem erat duplex ratio: in antiquis enim Patribus fuit deſiderium multiplicandi populum Dei, qui promiſſus fuerat numeroſus, ſicut ſtellæ Cœli, & ſicut arena maris, & perconſequens hoc erat aliqualiter virtuoſum, cum ad hoc non excitaret deſiderium explendæ libidinis. Secunda cauſa erat permiſſio Dei: Iſraelitæ namque erant tam effrenatæ libidinis, quod ſi non habuiſſent plures uxores, adulteria, & alia vitia perpetraſſent,

Reflexio 351.

POſt remotionem odij parentum erga filios, præcipitur obſequium filiorum erga parentes, dum ipſis ſtrictè imponitur obedientia; adeout ſi contumaces, & protervi fuiſſent, debebant à toto populo lapidibus obrui: filius namque tenetur audire præceptum patris, & matris, niſi mandaverint iniuſtum; eſt enim ſubditus illis, ſicut populus Regi; quia principatus paternus eſt Regalis, & filij omnia beneficia recipiunt à parentibus, inter quæ principem locum tenet Eſſe, cui nullum bonum ei comparari poteſt, etiam ſi omnia ſimul ſumantur, cum Eſſe ſit perfectio abſoluta, & fundamentum omnium perfectionum, tam naturalium, quam ſupernaturalium. Deinde prohibetur odium, quod poſſet aliquis habere contra damnatum ad mortem, & ideo agitur hìc de illius tumulatione, & iubetur eadem die ſepeliri; tum quia hoc erat opus miſericordiæ; tum quia ſi cadaver in ligno diù manſiſſet, videbatur quidam contemptus humanæ naturæ, dum pars illa puniretur, quæ iam peccati, & malitiæ expers eſt. In textu autem redditur ratio huius determinationis, dum dicitur de ſuſpenſo: *Quia maledictus à Deo eſt*. Et accipitur maledictio pro pœna ſuſpenſionis inflicta à Iudicibus, qui in terra locum Dei tenent. Et in hoc ſenſu dixit Apoſtolus ad *Galat.* 3. de Chriſto Domino, quod *factus eſt pro nobis maledictum*; ideſt patiens

pœnas

pœnas, & habens dolores acerbiſſimos, ſicut de ipſo prædixerat *Iſaias Cap.* 53. non verò culpam habens; ex qua maledictione ſecuta eſt in Gentibus benedictio Abrahæ. Supradicta autem lex, non tenetur à nobis univerſalitèr, quia hoc eſt præceptum Iudiciale. Iudicialia autem non manet in novo Teſtamento, niſi inſtituantur ab Eccleſia, vel à Principibus temporalibus, per quos tribueretur eis aliqua vis. Licet autem decens ſit noſtram honorare naturam; tamen quia maxima utilitas interdum accidit Reipublicæ, ſi criminoſi pendeant multis diebus in patibulis, ut ex hoc ſpectaculo arceantur ſubditi à ſceleribus; iudicatur plerumque à noſtris Iudicibus optimum eſſe relinquere Reorum membra in patibulis, & maxime in loco commiſſi delicti, uſque ad totalem reſolutionem.

CAP. XXII. Reflexio 352.

POſtquam Moyſes ordinavit Iraſcibilem reſpectu perſonæ coniunctæ; hìc illam ordinat reſpectu non coniunctæ. Ad partem autem iraſcibilem pertinet, ſi homo ſubtrahat auxilium proximo, quia videtur hoc procedere ex odio, & importat non ſolum defectum pietatis, ſed ſignum credulitatis: ideò dicitur, quod animalia errantia reducantur ad domum proximi, ut per hoc Iſraelitæ excitarentur ad amorem ſuorum proximorum, ſaltèm per exteriora ſigna. Et ad hoc quod magis creſcerent in pietate, ordinatur Iraſcibilis etiam reſpectu creaturæ irrationalis, dum iubetur, quod *non capiatur Avis ſimul cum filijs*. Ad crudelitatem namque pertinere videbatur, ſi avicula cum pullis caperetur. Et propter eamdem rationem, prohibebantur Iudæi arare in Bove, & Aſino, quia Bos eſt fortior, & habet maiorem paſſum, & perconſequens Aſinus nimis gravaretur. Non ſolum autem ordinatur iraſcibilis reſpectu damni corporalis; ſed etiam

etiam reſpectu damni ſpiritualis: ideoque prohibetur, ne mulier utatur veſte virili, nec vir veſte fœminea; talis enìm abuſus eſt occaſio libidinis exercendæ; poſſet enìm mulier liberius converſari cum hominibus, & viceverſa Vir cum mulieribus. Item, quia hoc erat ſuperſtitioſum; nam Gentiles mulieres in profanis Sacrificijs Martis, portabant arma virorum; & in nefandis Veneris Sacris, Viri portabant veſtes, & inſtrumenta Mulierum, puta, fuſum & ſimilia. Demum ad magis ordinandam Iraſcibilem, præcepit Deus, quod in circuitu tecti domus fieret murus ad præcavendum periculo caſus hominibus deſuper ambulantibus. In terra namque promiſſionis, tecta domorum erant plana: ibique conveniebant homines, cauſa recreationis: quapropter niſi fieret ibidem quoddam retinaculum, immineret periculum caſus.

Reflexio 353.

ORdinata parte iraſcibili, conſequenter ordinatur concupiſcibilis. Et primò reprimendo adulterium, pro quo decernitur pœna lapidationis, tam viro, quam mulieri. Sciendum tamen eſt, quod vir non arctabatur tantùm legibus matrimonij, ſicut Vxor Vndè nunc etiam ſecundùm Leges humanas, licèt vir commiſceatur alicui mulieri ſolutæ, non punitur. Sed mulier quocunque modo commiſceatur alteri, etiam ſoluto, meretur mortem. Ratio differentiæ eſt: quia magis in hoc fœmina offendit virum, quam vir mulierem. Nam illa, facit hereditatem viri ſui tranſire ad filios alienos, quos ſuſcepit ex fornicatione cum alio, vel ſuſcipere poterat. Maritus autem non, quia ſola fœmina cognoſcit filios ſuos. Item, quia magna iniuria fit ſtatui politico, dum filij degeneres aſſumuntur ad publicos honores, cum iſti familiam patris ſequantur; quod valdè inconveniens eſt, ut probat *Ariſt. 2. Polit.* contra Socratem, & Platonem. Reprimitur ſecundò concupiſcentia ratione Stupri.

Et

Et dicitur, quod ſi quis puellam ſponſam proximi ſui deflo-raſſet in Civitate, uterque lapidaretur. Vir quidem, quia humiliavit uxorem proximi ſui. Puella vero quia non clamavit, cum eſſet in civitate ubi poterat defendi ab iniuria, per homines accurrentes, & ideo lex præſupponebat ipſam conſenſiſſe. Si vero puella fuiſſet in agro, lapidabatur ſolummodo Vir; quia lex præſumebat, quod puella clamaſſet, ut deflorationem evaderet; ſed non potuiſſe habere auxilium, & ideo non conſenſiſſe in peccatum. Ea enim quæ æqualiter bona, vel mala eſſe poſſunt, in bonam partem ſunt interpretanda. Si autem quis defloraſſet virginem non ſponſam, debebat dare patri puellæ quinquaginta ſiclos, & illam ſemper habere in uxorem, ſi pater dare voluiſſet. Nec poterat eam dimittere toto tempore vitæ ſuæ, niſi propter adulterium. Iſta autem erat magna pœna; quia cuilibet Iudæo, erat libertas repudiandi uxorem, qua libertate privati, nimis ægre ferebant Iſraelitæ talem legem.

CAP. XXIII. Reflexio 354.

DEclaratis illis, quæ pertinent ad ordinationem partis iraſcibilis, & concupiſcibilis; hic conſequenter ponuntur illa, quæ pertinent ad ordinationem partis rationalis; tum reſpectu boni communis; tum reſpectu boni ſingularis perſonæ. Sciendum eſt autem, quod bonum commune, maxime tempore pacis, ex tribus conſervatur. Primum eſt, ſi bona, & honeſta coniugia copulentur: tunc enim bona proles in Republica procreatur. Secundum eſt, ſi perſonæ immundæ elongentur à Divinis. Tertium, ſi perſonæ viles, & defectuoſæ, ad honores; & regimen populi non admittantur; ideo hic excluduntur Eunuchi, tamquam immundi ab ingreſſu Atrij, in quo ſolum homines mundi orabant. Nec illis tribuebatur in temporali-

bus regimen populi; quia cum eſſent impotentes ad generandum, non decebat eos honor paternus, qui conſiſtit in regimine populi. Vnde antiquitus Iudices,& Gubernatores populi, vocabantur Patres conſcripti. Similiter excludebantur Manſeres, Nothi, & Spurij; quia nimirum, propter defectum natalium ſunt multum contemptibiles, & periculoſum eſt tales exaltare; quia ſubditi, & maximè Nobiles, non æquo animo tales ſuſtinent, propter vilitatem originis: ideo dicitur hìc, quod eunucus, & manſer non ingrederentur Eccleſiam Dei,uſque ad decimam generationem. Sciendum eſt autem, quod Eccleſia poteſt accipi tripliciter. Vno modo,pro congregatione populi, & ſic frequenter accipit. *Ariſt.* 2. *Polit.* Et tunc eſt ſenſus, quod Manſeres, non intrarent in Eccleſiam Domini, hoc eſt, non darentur eis uxores de multitudine filiorum Iſrael. Secundo modo,accipitur pro loco ſancto, ad quem poterant ingredi Laici, ut offerrent, & comederent hoſtias pacificas. Et ad talem locum non poterant intrare ſupradicti, quia reputabantur immundi. Tertiò,accipitur pro multitudine, quatenus habet ordinationem ad Rectores; & ſic dicitur aliquis intrare Eccleſiam, cum datur ei principatus, vel officium. Ad hanc igitur aſſumptionem prohibentur ſupradicti, utpote perſonæ contemptibiles. Vnde etiam nunc in Novo Teſtamento, tales perſonæ meritò repelluntur ab ordinibus, & dignitatibus. Ammonites vero, & Moabitæ converſi ad Iudaiſmum, non intrabant Eccleſiam Dei in æternum. Ægyptij autem, & Idumæi converſi, intrabant in Eccleſiam poſt quartam generationem. Et ratio diverſitatis erat, quia iſti non peccaverant tam graviter contra populum Iſrael, ſicut Ammonitæ, & Moabitæ; nam Ægyptij afflixerunt populum per perſecutionem corporalem; & Idumæi ſimiliter occurrendo in gladio filijs Iſrael, ut patet *Num.* 20. ſed Moabitæ, & Ammonitæ perſecuti ſunt eos ſpiritualitèr, per mulieres ſuas, inducentes populum ad luxuriam, & idolatriam. Aſſignatur etiam hìc alia ratio: quia nimirum Idumæi deſcenderunt

de

de Eſau fratre Iacob; & ſic erant quodammodo fratres Iſraelitarum: Ægyptij vero receperunt filios Iſrael in terram ſuam tempore famis; ideo iſtæ duæ Nationes, poſt temporis decurſum, admittebantur ad contrahenda matrimonia, & ad Sanctuarium, & dignitates.

Reflexio 355.

Dicto de ordinatione partis rationalis, attendendo ad bonum commune tempore pacis; ordinatur ſubſequenter eadem potentia reſpectu temporis belli, quo ad bonum totius Reipublicæ, quod conſiſtebat principaliter in munditia ſpirituali; nam quando Iſraelitæ mundè ſerviebant Deo, dabatur illis victoria; quapropter hìc dicitur: *Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos, cuſtodies te ab omni re mala*: videlicet ab omni culpa; licet enim debeamus omni tempore cuſtodire nos ab omni inquinamento peccati; tamèn hoc maxime fieri debet, tempore belli; ne tunc Deum irritemus, quando propitium habere in tam gravi neceſſitate debemus. Conſiſtebat ſecundò bonum populi, in munditia corporali; ideo dicitur, quod ſi fuiſſet homo, nocturno pollutus ſomnio, debebat egredi extra caſtra; nec ad illa reverti, niſi ad veſperam lavaretur aqua. Et idem erat de alijs immunditijs; ſed ponitur iſta, pro exemplo, ut idem intelligatur de reliquis. Deinde præcipitur aſſignatio loci extra caſtra ad requiſita naturæ, & hoc propter reverentiam Divinæ Maieſtatis. Nam in motione caſtrorum Sacerdotes cum Arca tranſibant per loca, ubi caſtra fixa fuerant. Et licet Deus non poſſit pollui ſordibus locorum; tamen, quia mundare ſordes in conſpectu alicuius eſt honor inter homines, ideo hoc debebat fieri, in conſpectu Dei, cui quilibet ſupremus honor ſemper, & ubique tribuendus eſt. Prohibetur deinde oblatio poſtribuli: irreverentia namque magna fuiſset, ſi de mercede pollutiſſima aliquod oblatum Deo fuiſset. Et ſimiliter pretium canis,

quod intelligitur, ſecundum aliquos, de pretio, quod accipiebatur ab illis, qui locabant canes venaticos, & cuſtodes ovium, ad impregnationem canicularum; erat enim turpe, & immundiſſimum lucrum, & perconſequens viliſſima oblatio. Alij dicunt quod intelligitur de primogenito canis, qui cum eſſet animal immundum non poterat offerri. Et quamvis pro primogenitis aliorum animalium immundorum, darentur quinque ſicli pro redemptione, ut habetur *Num.* 18. tamen pro primogenito canis, non dabantur, propter vilitatem huius animalis, ſed interficebatur.

Reflexio 356.

POſtquam actum eſt de ordinatione partis rationalis, quo ad bonum commune, ſubſequitur de illius ordinatione, attendendo ad bonum ſingularis perſonæ. Iubetur ergo ne Iſraelitæ traderent ſervum Domino ſuo, & intelligitur de ſervo, qui de terra aliena confugiſſet ad terram promiſſionis: & hoc fiebat in favorem fidei; ut nimirum ille ſervus habitans inter Iudæos, converteretur ad cultum veri Dei. Secundò præcipitur pietas erga proximum pauperem dum dicitur: *Non fænerabis fratri tuo ad uſuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.* Iſtud autem eſt permiſſio minoris mali, ad vitandum maius, ſcilicet ne Iudæi gravarent uſuris fratres ſuos; erant enim avariſſimi: unde ſi eis non fuiſſet permiſſum dare pecuniam ſub uſuris, extraneis, tradidiſſent illam ſub fœnore proprijs concivibus. Tertiò iubetur perſonis ſingularibus fidelitas erga Deum: ad quam requiritur, quod homo adimpleat omne id, quod ei promiſit per votum, quod ſolummodo fit Deo: nam vovere eſt actus Latriæ, quæ nulli alij, quam Deo tribuenda eſt. Dicitur ergo quod vovens non tardet reddere id quod vovit; magis enim acceptatur à Domino cum citò, quam dum ſerò redditur. Solicitos igitur nos eſſe oportet in adimplendo: etenim non reddentes promiſſa, Deus ſevere punit ſuo tempore

pore

pore. Eſt tamen maior culpa, cum quis votum ſolemne infringit; quia circumſtantia notoreitatis aggravat. Deinde poſt fidelitatem Deo debitam, præſcribitur fidelitas erga proximum. Quapropter concedebatur quidem alicui ingredi vineam alterius, & comedere de fructibus: non tamen portare ad domum ſuam. Intentio namque Divinæ Legis erat inducere Hebræos ad amicabilem communicationem rerum ſuarum ad invicem; ideoque conceſſit in talibus eſum, & prohibuit exceſſum, nempe deportationem extra, quia hoc pertinebat ad infidelitatem, & nimiam cupiditatem.

CAP. XXIV. Reflexio 357.

DIcto de legalitate circa quaſdam perſonas non coniunctas, hic agitur de legalitate circa coniunctas. Et ordinatur per hoc pars rationalis in vita domeſtica, quæ maximè conſiſtit in cohabitatione viri cum uxore, & quia contrariorum eadem eſt diſciplina; ideo primo agitur de ſeparatione viri ab uxore. Ad duritiam enim cordis Hebræorum, permiſſum illis fuit repudium. Licèt autem repudiatio non eſſet præcepta, tamen conſcriptio Libelli erat iuſſa repudianti; & hoc in favorem mulieris, ut poſſet alteri nubere. Inſuper in Libello proteſtabatur vir, numquam petere ab illa debitum. Secuto autem repudio, non poterat ampliùs illam habere in uxorem. Et hoc diſponebat Lex, ut Iſraelitæ eſſent minus proni, ad repudiandas uxores. Dabat deinde repudians omnia, quæ pertinebant ad ius uxoris; nempe bona dotalia, & partem bonorum de communi acquiſitorum. Ratio autem, cur Lex vetus permittebat repudium; Lex autem Evangelica non, ea eſt: quia licet lex vetus eſſet à Deo, tamen erat data non univerſaliter, ſed ſolummodo particulari politiæ Iudæorum, & perconſequens intendebat ſolummodo bonum illius gentis. Sed

Digitized by Google

illi genti adhuc infirmæ, expediebat magis repudiare uxores, & uſuras exercere cum alienis, ne Iſraelitæ uxores occiderent, & fratribus ſuis fœnerarent; ideo utrumque illis permiſſum eſt, non tamquam bonum, ſed tanquam minus malum. Lex autem Evangelica, non eſt data alicui particulari populo, ſed toti Mundo; quæ ſicut abſolutè omne iuſtum reſpicit, ita abſolutè omne malum prohibet. Intendit enim id, quod eſt ſecundum ſe bonum; nec reſpicit utilitatem, vel bonum ſtatum Politiæ quantum ad mundana incrementa, ſed bonum ſpirituale cuiuſlibet perſonæ. Et quia quodlibet malum eſt deſtructivum boni alicuius perſonæ ſpiritualis; ideo omne malum prohibet. Lex autem, quæ reſpicit bonum alicuius gentis ſpecialiter, cuiuſmodi erat lex vetus, non oportet, quod omne malum abſolutè prohibeat; ſed ſolummodo illud, quod eſt malum illi Politiæ, quam gubernat. Igitur illa lex dicitur ſimpliciter bona, quæ non deviat in aliquo ad id quod malum eſt: ſed quicquid in ea continetur, eſt ſimpliciter bonum. Ex hoc patet, quod inter omnes legiſlationes humanas cuiuſlibet Politiæ, nulla invenitur quæ ſit ſimpliciter bona, itaquod in nullo deviet à bono ſimpliciter, ad id quod eſt malum ſimpliciter. Immo non debet legiſlator ponere alicui Politiæ optimam Legem ſimpliciter, quia ſeculares ſunt imperfecti; ideoque non debet illis præſcribere legem ſimpliciter perfectam, quia illam continuo frangerent, ob eorum imperfectionem.

CAP. XXV. Reflexio 358.

SVpra dictum fuit de directione rationalis, circa varias commutationes; hìc agitur de directione eiuſdem circa diſtributiones pœnarum. Et primo de cauſis civilibus, quæ propter varias commutationes civium occurrere ſolent, ex quibus oriuntur contentiones: nam homines habent deſideria inordinata, magiſque volunt aliena repere, quam pro-

pria

pria largiri; ideo ad iſta ſedandaponuntur Iudices, ad hoc ut iuſtè determinent, & ubi oportet, ſtatuant pœnas, & præmia, ſic enim faciendo, pax Civitatis imperturbata permanet. Deinde determinatur pœna in cauſa matrimonij, quando videlicet moriebatur homo ſine liberis: tunc enim frater defuncti, tenebatur uxorem illius accipere, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo. Primus enim filius, ex tali matrimonio procreatus, adſcribebatur fratri defuncto, eique ſuccedebat in hereditate. Ratio huius determinationis fuit, quia talis filius magis videbatur pertinere ad defunctum, quam ſi natus eſſet ex extraneo, & ideo quando recuſabat frater ſuperſtes hoc facere, puniebatur pœna confuſibili, tamquam devians à charitate fraterna. Tollebat enim uxor defuncti calceamentum de pede illius, & in eius faciem expuebat, tamquam homini indigno, & vocabatur nomen illius, *Domus Diſcalceati*, ut iſtud vituperium tranſiret ad poſteros, & per hoc homines abhorrerent denegare ſuſcitationem ſeminis fratrum ſuorum. Per ablationem autem calceamenti, ſignabatur talis homo privatus omni honore, à maximo uſque ad infimum. Supradicta vero ſuſcitatio, intelligebatur ſolummodo de fratribus maioribus: ut ſi frater primogenitus moreretur ſine filijs, ſequens frater tenebatur accipere eius uxorem; & ſi iſte moreretur ſimiliter ſine filijs, ſequens frater tenebatur accipere eius uxorem, & ſic de alijs. Si vero, frater minor mortuus eſſet ſine filijs, non tenebatur frater maior ſuſcitare ſemen fratris ſui minoris; quia prædicta ſuſcitatio fiebat ad conſervandas familias primogenitorum, per quos principaliter deſcendebat linea patrum. Deinde ponitur pœna pro mulieris impudentia, quæ pro defenſione viri ſui, tenebat inimici pudenda: puniebatur enim, tum propter turpitudinem rei geſtæ; tum quia auferebatur ab homine poſſibilitatem ſe defendendi; nam propter dolorem non poterat ſe movere: tum quia alia via honeſtiori poterat mulier procurare defenſionem viri ſui. Tandem excluſa iniuſtitia per ſeveritatem pœnæ, concluditur Iuſti-

tia, dum dicitur: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera*: Vt nimirum homo cum maiori emeret, & cum minori menſura venderet.

CAP. XXVI. Reflexio 359.

SVpra, à *cap.* 12. uſque nunc, fuerunt poſita præcepta, quæ ſunt quædam concluſiones elicitæ ex præceptis Decalogi; hìc ponitur intenta concluſio, nimirum quod homo ſit gratus Deo pro beneficijs receptis. Gratitudo autem hominis ad Deum, debet eſſe non tantum in corde, ſed etiam in opere; ideoque præcipiuntur Primitiæ, & Decimæ, in quarum actuali ſolutione profitebantur offerentes alta voce, ſe recepiſſe à Deo beneficia in multiplicatione terræ naſcentium. Facta vero oblatione in Sanctuario, offerentes vacabant Epulis, admittentes ſecum ad convivia Levitas, & Advenas. Levitæ namque erant pauperes; nam interdum non ſufficiebant redditus decimarum, & aliarum rerum, ad ipſos ſuſtentandos. Similiter Advena, ideſt, ille qui de Gentilitate ad Iudaiſmum converſus fuerat: tales enim ſunt valde pauperes, cum extra patriam ſint; ideoque illos miſericorditer foveri oportebat, ut alij Gentiles incitarentur ad cultum unius veri Dei. Sciendum autem, quod Decimæ regulariter erant duæ. Vna quæ dabatur Levitis; altera vero, quæ conſervabatur pro pauperibus, & iſta fiebat in tertio anno, & non preſentabatur in Sanctuario, ſed dimittebatur in ſingulis Civitatibus, pro Pauperibus, Viduis, & Pupillis. Porrò offerentes primitias, proteſtabantur coram Deo, ſe non comediſſe de illis in luctu ſuo, neque in neceſſitate ſua. Si tamen fuiſſet magna neceſſitas, licitum erat comedere ex illis, ſicut David, & Pueri ſui comederunt de panibus propoſitionis, quibus veſci tantum licebat Sacerdotibus. Item profitebantur, ſe non ſeparaſſe decimas pro aliqua immun-

ditia exercenda. Nam licet peccatum eſſet abſolutè, comedere de primitijs, & decimis ſeparatis pro oblatione fienda Deo; tamen maius crimen fuiſſet, applicare decimam ad aliquem uſum profanum. Sicut, ſi modo in Eccleſia Dei, patrimonium Chriſti Domini, pauperibus debitum, & ſolæ ſuſtentationi miniſtrorum, daretur canibus, conſanguineis, luxui, meretricibus, & alijs contaminationibus.

CAP. XXVII. Reflexio 360.

IN hoc capitulo excitatur populus ad obſervantiam Legis, per maledictiones tranſgreſſoribus inferendas, & præcipitur populo, ut tranſmiſſo Iordane, erigeret ingentes lapides, quos ferrum non tetigiſſet; videlicet dolando, vel quadrando; quandoquidem bene permittebatur, quod tangeret illos ferrum, dum extraherentur de lapidicina, quia in hoc adhuc manebant informes, cum non reducerentur ad aliquam diſtinctam figuram. Determinabatur autem hoc, ut Iudæi totaliter elongarentur ab idolatria, ad quam nimis erant proclivi. Super hos lapides, ſecundum aliquos Doctores, totum Deuteronomiũ fuit inſcriptum. Secundum vero alios, fuerunt ſcripta, ſolummodo decem præcepta Decalogi. Videtur tamen melior prima ſententia, nam hìc in *Tex.* dicitur: *Omnia verba legis huius*. Iſta autem lex diſtinguitur contra primam, quæ fuit data in monte Sinai, ut patet infra *cap.* 29. ubi dicitur: *Hæc ſunt verba fæderis, quæ præcepit Dominus Moyſi, præter illud fædus, quod cum eis pepigit in Oreb*. Poterat autem ſcribi in lapidibus prædictis totum Deuteronomium; quia erant ingentes, & levigabantur calce benè temperata, itaquod ſcriptura non fiebat immediate in lapide, ſed in calce, ut tenacius imprimeretur, & poſſent fieri litteræ parvæ. Inter maledictiones autem, quæ hìc ponuntur, prima, & principalis

lis eſt, contra illos, qui facerent ſculptile, ideſt ſtatuam ad adorandum; quia idolatria eſt maximum peccatum, adeout in ſcripturis ſanctis, paſſim vocatur per antonomaſiam, peccatum; quia per hoc nimis elongatur homo à Deo, dum cultus debitus Deo, tribuitur lapidi: unde in lege antiqua, ſi aliquis ex Iſraelitis in publico ſtatuam erexiſſet, ut illam adoraret, puniebatur morte per Iudices; ſi autem in occulto, reſervabatur tale peccatum Divino Iudicio puniendum; idemque, de omnibus alijs maledictionibus poſitis hìc: quia omnia occulte fieri poſſunt.

CAP. XXVIII. Reflexio 361.

SVpra poſitæ ſunt maledictiones; hìc ponuntur benedictiones, ſuppoſita obſervantia Divinæ Legis: exprimuntur autem benedictiones ſecundum ea, quæ ſolent homines deſiderare in præſenti vita, & maxime, imperfecti, ſicut erant tunc Iudæi, qui optabant proſperitatem domus ſuæ, quæ conſiſtit principaliter in fecunditate prolis, & abundantia bonorum temporalium; ideoque iſta primò prædicuntur. Cupiunt deinde imperfecti, honores, & dignitates maxime ſublimes, & iſta promittuntur dum dicitur: *Conſtituet te Dominus, in caput, & non in caudam*. Quod idem eſt, ac dicere: dominaberis alijs, & nemo dominabitur tibi; caput enim inter alias partes obtinet principatum, tam ſitu, quam dignitate. Situ, quia ſuper omnes eſt. Dignitate vero, quia ab illo derivatur motus, & ſenſus ad alias partes. Deinde prædicitur transgreſſoribus Divinæ Legis ſupplicium, nempe penuria temporalium bonorum, his verbis: *Sit Cælum quod ſupra te eſt æneum, & terra quam calcas, ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de Cælo deſcendat ſuper te cinis*. Per quæ verba, extrema penuria denotatur: in duobus namque conſiſtit rerum commeſtibilium fertilitas, ſcili-

cet

Digitized by Google

cet in ſuperiore aeris diſpoſitione, & in terræ congrua ſuſceptione; cum autem aliquid horum ceſſat, tunc ſterilitas contingit, ideoque ponitur in Cœlo influente durities, & in terra ſuſcipiente privatio humiditatis, quæ neceſſaria eſt ad fructus producendos. Loco enim imbrium humectantium terram, aſſignatur pulvis, qui totaliter humiditate privatus eſt; & cinis, qui eſt in ultimo gradu diſſiccativus, cum ſit ultima reſolutio corporis combuſti, per actionem ignis perfectam. Tandem prædicitur inter alia, ignominia, privatio libertatis, dum dicitur: *Reducet te Dominus claſſibus in Ægyptum*. Hoc autem fuit impletum in deſtructione Ieruſalem per Titum. Capta namque Civitate, omnes Iudæi fuerunt captivati, in tantum quod dabantur triginta Iſraelitæ, pro uno denario, & ideo oneratæ fuerunt plures Naves de ipſis, in quibus ducti fuerunt Alexandriam, quæ eſt in Ægypto, ut ibi carius venderentur.

CAP. XXIX. Reflexio 362.

Ponitur in hoc Capitulo prædictarum benedictionum, & maledictionum ſusceptio. Sicut enim Iſraelitæ in Oreb profeſſi ſunt, ſe ſuſcipere Legem Dei, illamque obſervare; ſic explicata eadem Lege per Moyſen ſuper Iordanem, & maniſeſtè expreſſis maledictionibus, & benedictionibus, promiſerunt prædictam legem inviolabiliter obſervare ſub prædictis conditionibus. Volebat enim Deus in ſuſceptione Legis voluntatem, & conſenſum Iſraelitarum, ut ipſi in hoc mererentur: nam etiam ſi non conſenſiſſent, tamen remanebant obligati, quia Dominus mandabat. Secundo, ut inexcuſabiles eſſent; & ideo contra inobſervantes prædicitur, quod Deus non ignoſceret. Quando enim peccata ſunt ex infirmitate, vel ignorantia, Deus faciliter indulget, reſpiciens nos tamquam ex fragili maſſa procreatos. Quando vero pec-

catum ex pura malitia committitur, non ita facile Deus ignoſcit, licet ſemper ignoſcat, quantumcumque grave peccatum ſit dummodo ſincero, & contrito corde veniam petamus. Ad magis autem inducendum populum ad obſervantiam Divinæ Legis commemorat ſanctus Dux Divina beneficia, & maximè tria, nempe, eductionem de Ægypto, quæ importabat totalem libertatem relicta domo ſervitutis, & regale dominium in terra Chanaam. Secundo recolit conſervationem in deſerto ſteriliſſimo; in quo veſtimenta eorum non fuerunt attrita, & filijs ſuis veſtimenta creſcebant, parvulis ipſis ad maiorem ætatem venientibus. Similiter calceamenta ſemel facta, duraverunt ſemper illeſa per quadraginta annos. Tertio refert victoriam à Deo illis conceſſam de duobus potentiſſimis Regibus Sehon, & Og, ex quibus concludebat Sanctus Dux, quod obſervarent Iſraelitæ Legem Dei, & timerent illius tranſgreſſionem; ne poſt Divina beneficia, experirentur rigorem Divinæ Iuſtitiæ.

CAP. XXX. Reflexio 363.

SVpra poſita fuit multiplicatio pœnarum pro peccantibus; hic ponitur earum relaxatio pro pœnitentibus: vera namque pœnitentia Deum placat, & punitionem debitam removet; & ille qui debebat recipere punitiones, & flagella, recipit bona à Deo. Advertendum eſt tamen, quod licet in Sacra Scriptura promittantur proſperitates, nulla conditione appoſita, tamen ſemper intelligitur earum impletio, ſi homo cui fit promiſſio, permanſerit in eodem ſtatu bonitatis; ideoque hic in *Tex.* dicitur: *Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gaviſus eſt in patribus tuis; ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta eius.* Ex quibus verbis manifeſte patet, quod ſtatus bonitatis neceſſariò prærequiritur, ad conſe-

Digitized by Google

conſequendam promiſſionem bonorum; adhærendo videlicet per charitatem Deo, qui eſt vita noſtra; ideſt ille à quo ſumus, vivimur, & movemur. Eſt enim primum agens, & continuus gubernans. Nam cum ſit prima cauſa, in omnem rem influit, maxime, & ſemper ut patet in *pr. prop. lib. de cauſ.* Vnde hoc notum eſt, quod ſi Deus ab agendo, vel conſervando iſta inferiora deſiſteret per unicum tantum momentum, omnia neceſſario redigerentur in nihilum; quia licet ſint multæ cauſæ ſemper agentes, naturaliter ſubordinatæ; tamen quia iſtæ cauſatæ ſunt à Deo, & ab ipſo conſervantur, ſunt ab eo neceſſario dependentes; tum in eſſendo, tum in operando; quapropter, ſi generalis gubernatio, quantumcumque modica ceſſaret, prædictæ cauſæ perirent, & perconſequens omnes res in nihilum reducerentur, ſicut erant antequam à Deo crearentur.

CAP. XXXI. Reflexio 364.

IN ſuperioribus poſita fuerunt præcepta; hîc conſequenter inducitur populus ad perſeverantiam in Lege, per modum cuiuſdam teſtamenti; nam Moyſes de proximo erat moriturus. Præmittitur tamen inſtitutio novi Ducis: fuit enim neceſſarium, quod adhuc vivente Moyſe, inſtitueretur eius ſucceſſor, ne poſt eius mortem ſurgeret in populo, ſemper ad malum propenſo, ſeditio. Vocavit ergo Moyſes Ioſue, prædicens ipſum introducturum populum Dei, in terram promiſſionis, dixitque illi: *Confortare, & eſto robuſtus.* Quaſi diceret ne formides ſuſcipere onus tanti regiminis, quia Deus in omnibus te proſperabit. Ioſue namque formidabat tantum onus ſubire, conſiderans, quod Moyſes, qui erat talis, ac tantus; tamen gravatus mole dignitatis, & tantis replicatis ſeditionibus tumultuantis plebis, peccaverat ad aquas contradictionis,

Sed

Sed quia audivit voluntatem Dei eſſe, ut poſt Moyſem re-geret populum, humiliter obedivit, ſed non ſe ingeſſit; quia ille, qui dignitatem petit, vel ſuperbe appetit, non eſt eligendus, ſed repellendus, cum per hoc ſit prorſus indi-gnus conſequi Prælationem. Vocatus ergo Ioſue non recu-ſavit, ſed obedientiam ſuo ſuperiori exhibuit. Tunc Do-minus apparuit in Columna Nubis: ut nimirum, per præſen-tiam Divinæ ſuæ Maieſtatiſ in ſigno viſibili, eſſet Ioſue ma-ioris auctoritatis in conſpectu totius populi; omneſque il-lum recognoſcerent tamquam Dei miniſtrum, ab ipſo ſpe-cialiter electum; & ut per hanc apparitionem, haberet de cœtero ſanctus Dux imperturbabilem conſtantiam in proxi-mis bellorum eventibus, dum manifeſte cognoſcebat ſuam electionem approbatam à Deo, per ſignum cœlitus miſſum coram omni populo ſibi commiſſo.

Reflexio 365.

POſt inſtitutionē Ducis, ponitur inſtructio Plebis obtem-perare debentis, quia Dux nihil proficeret, niſi plebe principaliter Deo, ſecundariò Principi obediret. Quæ quidem obedientia per Legis memoriam conſervatur; ideo Moyſes illam ſcripſit, & tradidit Sacerdotibus: ad iſtos enim ſpectat docere populum, ipſam Legem explanando. Præ-cepit autem illis, ut legerent verba Legis in ſeptimo anno ſemper; quia tunc filij Iſrael, liberati à debitis, poterant melius ire ad Templum, & Legem attentius audire. Simi-liter in feſto Tabernaculorum; quia in tali ſolemnitate ma-nebant Iſraelitæ pluribus diebus in loco ſancto, quam in alijs feſtivitatibus. Iuſſit etiam ſanctus Dux, quod lex non ſolum legeretur adultis; ſed etiam parvulis, ut ſic eorum mentibus magis imprimeretur. Primæ namque impreſſiones fortiſſimæ ſunt; quia in pueris organa receptiva tenera ſunt, & per conſequens ſit fortior impreſſio. Adde quod pueri nullas adhuc ſpecies aliarum rerum receperunt; ideoque

anima,

anima, toto conatu ſe vertit ſuper id, quod ei proponitur. Cum autem factæ ſunt multæ impreſſiones, non poteſt totaliter intendere, novis ſupervenientibus, & ideo ſecundæ impreſſiones debiliores ſunt, & tertiæ magis, & ſic de alijs. Quapropter videmus, quod homines occupati circa multa, faciliter ab illis elabuntur illa, quæ de novo audiunt: quia iſta radicantur remiſsè in anima ad plurima intenta: hinc *Ar. 2. Ethic.* ait, quod non modicum refert, à iuventute ſic, vel ſic aſſueſcere. Et Plato voluit, quod homines à tenera ætate inſtruerentur ad recte lætandum, & triſtandum, quia in his eſt perfecta diſciplina.

CAP. XXXII. Reflexio 366.

DEſcripta inſtitutione Ducis, ponitur hic exhortatio Plebis, ad perſeverantiam in Divinis mandatis; & hoc per Canticum memoria retinendum, & iugiter voce decantandum, in quo Cœlum, & Terra vocantur in teſtimonium: tum ad comprehendendam omnem creaturam; tum ad perpetuam durationem Teſtium; tum ad ſignificandam firmitatem verbi: quia inter res ſenſibiles, nullæ creaturæ ſunt ita firmæ, ſicut Cœlum, & Terra. Recolit autem Moyſes in hoc Cantico Divina beneficia, ad maiorem peccati aggravationem. Nam, cum tanta Deus pro Iſraelitis egiſſet, debebant totaliter abhorrere prevaricationem Divinæ Legis. Primum autem beneficium fuit Creatio, quod notatur cum dicitur: *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Secundum fuit electio gratuita, quæ deſignatur illis verbis: *Quando dividebat Altiſſimus Gentes quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael.* Pro intelligentia teſtus ſciendum, quod in confuſione Linguarum diviſæ ſunt Gentes per totum orbem, & populi diſtincti, ſe-

cundum

ſecundum ſeptuagintas linguas, & huius numeri preciſæ fuerunt filij Iſrael, in Ægyptum deſcendentes cum Iacob. Et tunc populus Iſrael fuit Deo ſpecialiter dedicatus, alijs ad Idolatriam declinantibus. Tertium fuit, ſeparando populum ab Idolatris, dum Deus liberavit Abram de terra Chaldæorum, ubi vigebat idolatria, quod notatur cum dicitur: *Invenit eum in terra deſerta in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis*. Vocatur autem Chaldæa *terra deſerta*, quia erat privata cultu Dei. Et dicitur *locus horroris*, nempe timoris; quia homines per timorem à Nembrod illis incuſſum, cogebantur adorare ignem. Quartum fuit, paterna dilectio, qua Dominus eduxit filios Iſrael de captivitate ægyptiaca, ducens eos per deſertum, & cuſtodiens illos ſpecialiter in omnibus neceſſitatibus: quæ omnia notantur cum dicitur: *Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodivit, quaſi pupillam oculi ſui: ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis*. Pro intelligentia *Tex.* notandum eſt, quod Aquila, ut provocet filios ad volandum, volat ſuper eos, ut ipſi volare concupiſcant. Sic Deus volens educere de Ægypto Iſraëlitas, provocavit illos ad exeundum; per multa mirabilia, quæ fecit. Præterea Aquila, quando vult transferre Pullos de loco ad locum, portat eos ſuper humeros: non enim à parte ſuperiori, ſed ab inferiori timet, ne emittantur ſagittæ, & ideo ponit pullos ſuper humeros ſuos, ut magis ipſa, quam filij, percutiatur telis: ſic Angelus, repræſentans perſonam Dei, poſuit ſe inter caſtra filiorum Iſrael, & AEgyptiorum ſuper mare rubrum, ne illorum ſagittæ læderent Hebræos. Quintum fuit, ſolemnis introductio in terram promiſſionis, quæ habebat omnium bonorum abundantiam, quod notatur illis verbis: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, & ſugeret mel de petra, oleumque, de ſaxo duriſſimo*;

Reflexio 367.

ENarratis divinis beneficijs, ponitur conſequenter ingratitudo Hebræorum: perverſus enim populus, incraſſatus delicijs, impinguatus divitijs, ditatus honoribus, & dilatatus terreno dominio, receſſit à Deo benefactore ſuo. Iſta enim ſolent homines deducere extra metas rationis, multiſque malis, & varijs ſceleribus implicare. Prædicitur vero ingrato populo iuſta ultio, illis verbis: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima; devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Vocatur autem nomine ignis ultio Divina, quia iſte eſt magis afflictivus. Et facit comparationem de magno igne, qui non ſolum terram comburit, & incinerat; ſed etiam montium fundamenta exurit. Sic pœna inflicta à Deo, totum hominem peccatorem eradicat, & potentes viros, cuiuſmodi ſunt Reges, & Principes, quando vult, evellit ab eorum temporali ſublimitate. Pœnæ vero inflictæ à Deo, vocantur Sagittæ, quia ut plurimum improviſis nobis, & non expectantibus adveniunt. Sunt enim firmiter retentæ in Dei Theſauris; videlicet in ſecretiſſimis penetralibus divinæ ſuæ Sapientiæ, ad puniendum peccatores ſuo tempore: pro omni namque culpa debetur pœna; vel quam homo ſibi imponat, vel quam Deus illi infligat; non enim decet, relinquere dedecus culpæ, ſine decore Iuſtitiæ.

Reflexio 368.

POſtquam denunciata ſunt mala futura populo Iſrael propter ſua peccata, conſequenter denunciatur hic deſtructio ſuorum adverſariorum: fuit enim iſte modus Prophetarum, ut poſt denunciationem pœnæ debitæ peccatis, prædicerent deinde flagella inimicorum, ad aliqualem

conſolationem populi Dei. Et hoc rationabiliter, quia licet infideles, eſſent executores Divinæ Iuſtitiæ puniendo Iſraelitas, qui Deum offenderant; tamen hoc non faciebant ex amore, vel obedientia ad Deum; ſed ex cupiditate nocendi, vel ex aliqua alia mala voluntate, & ideo merebantur à Deo puniri, quia non intendebant exequi Divinam Iuſtitiam, ſed deſtruere divinum cultum, qui apud Iudæos vigebat. Deus autem voluntatibus malis hominum utitur ſolummodo ad gloriam ſuam, convertendo ſua providentia perverſas illas voluntates, ad bonum Iuſtitiæ; ſpecificat enim ad bonum, actum malum. Prædicitur ergo punitio adverſariorum illis verbis: *Laudate Gentes populum eius, quia ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum.* Adverte autem; quod accipitur hic totum pro parte, ſecundum morem Divinæ Scripturæ. Licet enim in populo Iſrael eſſent multi mali, tamen cum illis erant multi boni, & iſti frequenter cum malis interficiebantur, vel captivi ducebantur; ſicut patet de Tobia, & Daniele cum ſocijs ſuis, & de vindicta taliũ ſervorum Dei, loquitur hìc Divina Scriptura.

CAP. XXXIII. Reflexio 369.

QVia in ſuperiori Capitulo, fuit prænunciata à Deo mors Moyſis, ponitur hìc benedictio eiuſdem ſuper quamlibet Tribum. Mos enim erat Sanctorum Patrum, imminente morte ſua, benedicere filios, ideo Moyſes hoc obſervavit. Ponitur autem primo benedictio Ruben, his verbis: *Vivat Ruben, & non moriatur, & ſit parvus in numero.* Hoc autem dixit Moyſes, concordans dicto Iacob, *Geneſ.* 49. Deinde benedicitur Iuda, his verbis: *Audi Domine vocem Iudæ: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra adverſarios eius erit.* Iſta autem dicuntur, quia de Iuda deſcendere debebant Reges, qui clamarent in bello

adiu-

Digitized by Google

adiuvari à Domino; ut patet de David, qui toties clamavit liberari à perſecutione Saulis; & Aſa ab exercitu Æthiopum; Ioſaphat ab Ammonitis; & Ezechias ab exercitu Sennacherib: Dicitur *Manus eius pugnabit pro eo*; quia uſque ad electionem Saulis, Tribus Iuda habuit Ducatum belli, ut patet *Iud.* 1. Tertio loco, benedicitur Levi his verbis: *Perfectio tua, & Doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos: ponent Thymiama in furore tuo.* Dicitur *perfectio tua, & doctrina*; quia vita ſancta debet eſſe cum ſcientia indiviſibiliter annexa Sacerdotio, & hæc doctrina, derivata eſt à Moyſe ad Levitas. Et dirigendo verba ad Deum, dicit ſe fuiſſe à Domino probatum *ad aquas contradictionis*, dum illi decrevit pœnam mortis. Et quia filij Levi ad præceptum Moyſis interfecerunt propinquos ſuos, propter culpam contractam in adoratione Vituli, ideo talem Tribum dicitur ignoraſſe patrem, & matrem. Propter huiuſmodi autem zelum, fuit talis Tribus electa ad miniſtrandum Deo in Altari, ubi ponebatur Thymiama, ad avertendum furorem Dei, à populo peccante: oblato namque Sacrificio cum Thymiamate, auferebatur divina indignatio. Quarto loco benedicitur Beniamin, his verbis: *Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo quaſi in Thalamo, tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Pro intelligentia *Tex.* ſciendum, quod in ſorte Beniamin futurum erat Templum, in quo ſpeciali modo habitabat Dominus, & vocatur *Thalamus*, ad denotandam requiem contemplationis, & vacationem ab omnibus curis mundanis. Dicitur *Inter humeros illius requieſcet*: Quia licet humeri ſint in ſuperiori parte corporis; tamen inferiores ſunt capite: & per hoc pulchrè deſignabatur locus ædificationis Templi. Nam licet hoc ædificatum fuerit in monte Moria, nō tamen in ſummitate montis, ſed prope ipſum, & ſic erat ibi illa proportio, quæ intercedit inter humeros, & caput. Quinto loco benedicitur Ioſeph, his

verbis: *De benedictione Domini terra eius; de pomis Cœli, & Rore, atque abyſſo ſubiacente; De pomis fructuum Solis, ac Lunæ, de vertice antiquorum montium: de pomis collium æternorum. Benedictio illius, qui apparuit in Rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Dicitur *de benedictionibus Domini terra eius*, quia ſors Ioſeph erat valde fertilis. Dicitur *de pomis Cœli, & rore, atque abyſſo ſubiacente*; quia arbores fructificant ex influentia Cœli, & Stellarum: terra autem humectata, eſt apta ad fructificandum; humectatur autem à ſuperiori parte, ex deſcenſu roris; ab inferiori vero, ex aquis latentibus ſub terra, quæ nomine abyſſi deſignantur. Dicitur *de pomis fructuum Solis, & Lunæ*; ad deſignandum quod inter Cœli luminaria, Sol, & Luna habent maiorem efficaciam ſuper terræ naſcentia: dicitur de *vertice antiquorum montium*; quia ibi fructus citius ad maturitatem veniunt, & propter novitatem magis diliguntur: dicitur *Benedictio illius, qui apparuit in Rubo*. ideſt Dei, qui apparuit Moyſi in Deſerto in Rubo ardente. Vocatur autem Ioſeph *Nazaræus*, quia inter fratres fuit ſanctior: dicitur *Quaſi primogenita Tauri*: propter Tribum Ephraim, quæ fuit bellicoſa, & propter Regnum decem Tribuum, quod fuit datum in primo Rege Ieroboam, ut patet *3. Reg. cap.* 11. Sexto loco benedicitur Zabulon, & Iſſachar ſimul; ſortes enim eorum fuerunt propinquæ, his verbis: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in Tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem. Qui inundationem Maris, quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Pro intelligentia textus ſciendum eſt, quod Tribus Zabulon fuit intenta negociationibus; Tribus vero Iſſachar ſtudio Legis: & ut liberius ad hoc vacaret, Tribus Zabulon providebat illi, ſaltem in magna parte, de neceſſarijs; ideo dicitur ad Zabulon: *Lætare in exitu tuo*. Nempe pro negotiationibus exercendis. Et Iſſachar in Tabernaculis tuis; ſcilicet quieſcendo in eis pro ſtudio divinæ Legis. Iſti vero vocabant populos ad montem, ideſt ad Templum;

in

in ſolemnitatibus enim veniebat ibi populus ad audiendam doctrinam legis, à Doctoribus de Tribu Iſſachar. Et quia iſti ſuſtentabantur, ut dictum eſt à Tribu Zabulon, ideo dicitur: *Inundationem maris, quaſi lac ſugent*. Ideſt bona delata in navibus: *Et Theſauros abſconditos arenarum*: Videlicet metalla, & lapides pretioſos, qui de arena terræ extrahuntur.

Reflexio 170.

POſitis benedictionibus pro filijs Dominarum, ponuntur conſequenter benedictiones pro filijs Ancillarum. Et primo benedicitur Gad his verbis: *Benedictus in latitudine Gad: quaſi Leo requievit, capitque brachium, & verticem. Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſua Doctor eſſet repoſitus*. Dicitur *benedictus in latitudine*; quia ſors terræ ſuæ, erat latiſſima. Dicitur *quaſi Leo requievit*, quia hæc Tribus fuit valde bellicoſa; per brachium autem intelliguntur milites inimici, & per verticem intelligitur Dux eorum; Neutri autem poterant ſuſtinere impetum Gaditarum; quapropter in bellis contra Chananæos, fuerunt poſiti in fronte exercitus: Dicitur, *quod in parte ſua Doctor eſſet poſitus*; quia in ſorte Gad erat mons Nebo, in quo ſepultus fuit Moyſes, magnus Legis Doctor, quod quidem cedebat in magnum honorem prædictæ Tribus. Secundo benedicitur Dan his verbis: *Dan Catulus leonis, fluet largiter de Baſam*. Vocatur autem *catulus leonis*, propter Samſonem de tali Tribu oriundus, qui fortiſſimus in iuventute ſua fuit. Dicitur, *Fluet largiter de Baſam*. Propter fluvium Iordanem, qui oritur in ſorte Dan, iuxta Civitatem captam ab ipſis, quæ prius Lachis vocabatur, ad radices montis Libani, ubi ſunt duo fontes, unus nomine Ior, & alter Dan, qui ſimul iuncti nomen Iordanis efficiunt. Primus tamen ortus Iordanis eſt in Baſam, nam paleæ ibi immiſſæ, ſubterraneo meatu ductæ, reci-

Recipiuntur in Dan. Tertio benedicitur Nephthali his verbis *Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: Mare, & meridiem poſſidebit*: Per quæ verba, deſignatur fertilitas ſuæ ſortis, in qua terræ naſcentia citius appropinquabant ad maturitatem, quam in alijs locis; unde de fructibus illius afferebantur primitiæ ad Templum; & ſic Sacerdotes pulcherrimis eloquijs benedicebant Deum. Dicitur: *Mare, & meridiem poſſidebit*. Quia Mare Galieæ, quantum ad ſuam partem meridionalem, cecidit in ſortem Nephthali. Tandem benedicitur Aſer his verbis: *Benedictus in filijs Aſer; ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum; Ferrum, & æs calceamentum eius*. Dicitur *benedictus in filijs*; quia fuit valde multiplicatus in prole. Dicitur *Placens fratribus ſuis*: Per quod deſignatur pulchritudo prolis: nam filiæ talis Tribus, fuerunt ita pulchræ, ut iudicarentur dignæ nubere Regibus, & Sacerdotibus. Dicitur *Tingat in oleo pedem ſuum*: Ad denotandam copiam olivarum. Et quia in ſorte illius fuerunt multæ mineræ ferri, & æris, quæ calcabantur ab illis, qui ibi operabantur, ut extraherent ferrum, & æs; ideo dicitur ferrum, & æs calceamentum eius. Hic quæri poteſt quare Simeon non fuit benedictus. Ad hoc reſpondent DD. quod fuit privatus benedictione, quia Princeps huius Tribus fornicatus fuit in Beelphegor, ex quo immiſſa fuit mortalitas in populo à Deo offenſo, ob prædictum ſcelus.

CAP. XXXIV. Reflexio 371.

COmpleta benedictione populi, conſequenter deſcribitur mors Moyſis, & eius Sepulchrum: ad vocem enim Domini aſcendit ſanctus Dux in verticem Phaſga; oſtenditq; ei Dominus omnem terram promiſſionis, quam totam conſpexit, non viribus naturalibus; quia ſpecies venientes à tali diſtantia, vel nihil, vel debi-

debiliter immutabant potentiam viſivam; ſed Dominus Deus elevavit potentiam viſivam Moyſis; vel præſentavit ei ſpecies omnium locorum, ut haberet perfectam, & diſtinctam cognitionem de illis;nihilque notabile remaneret,quod non cognoſceret. Hoc autem factum eſt ad ſancti Ducis conſolationem, ut terram tam delectabilem, non potens,ſtante diffinitiva Dei ſententia,ingredi, ſaltem in articulo mortis ipſam intueretur. Igitur eadem die, in qua Moyſes dedit benedictiones, mortuus eſt in monte Abarim, qui mons habebat longitudinem magnam, & in iſto erat quædam pars alta, quæ vocabatur mons Nebo, in quem perrexit Moyſes, ibique iubente Deo mortuus eſt,nulla ægritudine præcedente; ſed Domini voluntate, animam de corpore educente, cum eſſet centum, & viginti annorum. Nec caligavit oculus eius, nec dentes moti ſunt, & omnes ſenſus illius uſque in finem vivaces remanſerunt, quod eſt mirabile in ſenibus, propter diſtemperantiam complexionis. Migravit autem ex hac mortali vita ſuaviter, & quietè. Deſideraverat enim mortem illam, quam habuit Aaron frater ſuus; ideo Dominus Deus eam illi conceſſit: quam nobis etiam Clementiſſimus Deus dignetur donare, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium ſuum. Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

LIbrum, cui titulus eſt Literales Reflexiones in Pentat euchum Moyſis &c. *Auctore Per Illuſtri ac Admod. Rever. D. Petro Paulo Ponticello I.V.D Vidi & attentè perlegi Ego infraſcriptus de mandato Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Flamminij Nobili Vicarij Generalis Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Iulij Cardinalis Spinulæ Epiſcopi Lucani, nihilque in eo cenſura dignum obſervavi, ſed omnia tuta, Sana, Sacriſque Expoſitoribus conſona, ac proinde divinæ Scripturæ ſtudioſis plurimum profutura, ſi ijs ad quos ſpectat typis mandari placuerit. Datum in Monaſterio S. Frigdiani die* 30. *Ianuarij* 1684.

D. Auguſtinus Bendinelli Can. Reg. Lat. Abbas Privilegiatus, & Reviſor Synodalis.

EGo *infraſcriptus de mandato Reuerendiſs. Domini Flamminij Nobili Vicarij Generalis Eminentiſs. & Reverendiſs. Iulij Cardinalis Spinulæ Epiſcopi Lucani, perlegi Librum, cui titulus eſt:* Literales Reflexiones in Pentateucum Moyſis, *elaboratum ſtudio, & ingenio Per Illuſtris, & Admod. Rever. Domini Petri Pauli Ponticelli, I.V.D. & inveni ſanam, & catholicam doctrinam ad mentem SS. Patrum, ſacrorum Expoſitorum, dignum propterea, ſi ità videbitur, qui in lucem edi poſſit. Datum in ædibus S. Mariæ Curtis Orland. die* 22. *Iulij* 1688.

Conſtantinus Manfredi Congregat. Matris Dei Examinator Synodalis.

IMPRIMATVR.

Flamminius Nobili Vic. Generalis Lucenſis.

LIterales Reflexiones *hic ſummo ſtudio, & ingenij fœlicitate expoſitas cum iucunditate animi perlegi, & quia dignas omnium oculis ut exponantur diudicavi, prælo etiam donari poſſe ad publicam utilitatem libenter aſſentior.*

Ego Laurentius Motroni I. V. D. & Nobilis Lucenſis Illuſtriſs. Officij ſuper Iuriſdictione Præpoſitus.

INDEX.

A

Aron cur petijt inaures ut formaret Idolum? In hoc fuit valdè imperfectus. Reflexio 206. pag. 239.

Abel obtulit Deo de melioribus gregis ſui. Ref. 27. p. 32.

Abel interpretatur, Luctus, & nihil. Congregavit oves, quæ manſuetæ erant: Curavit eas ad otium fugiendum. Ref. 26. pag. 31.

Abraha conſtantia, & fides in filio immolando. Ref. 72. pag. 88.

Abram Idola patris confregit, & ab ipſo accuſatus, mittitur in ignem; ſed Divinâ virtute ſervatur illæſus. Refl. 51. pag. 61.

Abram cur fuerit honoratus ab Ægyptijs? Ref. 53. pag. 64.

Abram quare petijt ſignum ſi Deo credidit? Ref. 57. pag. 69.

Abram cur diviſit animalia quadrupedia, non vero aves? Ref. 58. pag. 72.

Abram quare accepit tertiam uxorem de Chananæis, cum nullam de iſtis voluerit dare Iſaac filio ſuo? Ref. 77. pag. 95.

Abſtinentes à vino ſunt acutiores ingenij. Ref. 272. pag. 320.

Actus Latriæ exterior in quo conſiſtat. Ref. 27. pag. 32.

Actus matrimonialis habet annexam quandam turpitudinem. Ref. 166. pag. 197.

Adam fuit deceptus, ſed non ſeductus. Ref. 20. pag. 24.

Adam habuit omnes ſcientias, & etiam cognitionem de ſupernaturalibus Ref. 16. pag. 19.

Adam luxit centum annos mortem filij ſui Abel, & per centum annos ſe continuit ab uxore. Ref. 32. pag. 37.

Adam miniſterio Angelorum ductus fuit in Paradiſo terreſtri. Ref. 12 pag. 15.

Adam cognovit ſupernaturaliter formationē Hevæ de coſta ſuâ. R. 18. p. 21

Adæ, quare non erat bonum eſſe ſolum? Ref. 16. pag. 18.

Æternum, non accipitur ſemper in Sacra Scriptura proprie, ſed large, videlicèt pro longo tempore. Ref. 61. pag. 75.

Agar, ſecundum aliquos Doctores, fuit filia Regis Ægypti. Paſſa fuit abortum in ſolitudine, quem Deus vivificavit. Ref. 60. pag. 74.

Agareni quid ſentiant de Beatis in æterna vita? Ref. 6. pag. 8.

Agni Paſchalis immolatio ad quid inſtituta? debebat eſſe maſculus, & anniculus. Ref. 147. pag. 176. & Ref. 149. pag. 178.

Agnus Paſchalis erat figura Chriſti Domini. Ref. 152. pag. 180.

Altare holocauſti quid repreſentaret, & cur ſangune aſpergeretur? Ref. 59. pag. 74.

Altare Thymiamatis ad quid inſerviut? Ref. 202. pag. 236.
Amor Dei, eſt radix bonæ operationis noſtræ. Ref. 334. pag. 395.
Ancilla gentilis non remanebat libera in ſeptimo anno, ſed adhuc erat ſervâ una cum filijs. Ref. 178. pag. 209.
Ancilla hebræa adveniente pubertate exibat de ſervitute. Non poterat vendi Gentili. Et quid ſi fuiſset deflorata? Ref. 179. pag. 210.
Angeli non habent fixa nomina ſtabilia. Ref. 93. pag. 114.
Angeli non ſunt proprie in loco, ſed improprie. Ref. 127. pag. 153.
Angelus apparens in deſerto Ancillæ Agar adverſa faciei, quid ſignificaret. Ref. 60 pag. 75.
Angelus non poteſt deficere per naturam. Non comedit proprie. Et quomodo convertat cibum? Ref. 65. pag. 80.
Angelus luctans cũ Iacob cur dixit nomen ſuum eſſe mirabile? R. 93 p. 114.
Angelus non poteſt operari miracula. Ref. 211. pag. 245.
Angelus, in corpore aſſumpto, poteſt facere quod videatur ab uno, & non ab alio. Ref. 299. pag. 352.
Anima rationalis eſt imm dia e a Deo per creationem, quam ſolus poteſt unire corpori. Ref. 8. pag. 9.
Anima cur dicatur eſſe in ſanguine magis, quam in alijs corporis partibus? Ref. 248. pag. 290.
Animalia in ſtatu Iuſtitiæ originalis, erant totalitèr homini ſubiectâ Ref. 9. pag. 11.
Animalia fuerant adducta ad Noe miniſterio Angelorum, vel Divino inſtinctu venerunt, omni feritate depoſita. Ref. 38. pag 44.
Animæ rationali naturalit r inditum eſt, ut ſapiat cœleſtia. R. 11. p. 13.
Anni peregrinationis ſemmis Abram, quomodo computandi? R. 59. p. 73.
Aquæ Cryſtallinæ, de qua natura ſint. Ref. 3. pag. 4.
Arca Noe fuit conſtructa ſpatio centum annorum. Ref. 37. pag. 43.
Arca Teſtamenti ponebatur in medio totius exercitus. Ref. 276. pag. 325.
Aſperſio ſeptennaria ſanguinis immolatæ victimæ, quid ſignaret. Ref. 223. pag. 260.
Aſtrologia ubi fuerit inventa. Ref. 53. pag. 64.
Avis non poterat capi ſimul cum filijs. Ref. 352. 415.

B

Baal fuit Idolum multarum gentium. Ref. 300. pag. 353.
Balam, an fuerit Propheta Dei, vel Dæmonis. Ref. 295. pag. 348.
Balaam erat magnus Aſtrologus in iudicialibus. Ref. 296. pag. 349.
Balaam prophetavit de Romanis. Ref. 305. pag. 359.
Belli tempore ſpecialiter cavendum eſt ab omni peccato. Ref. 355. pag. 419.
Benedicere pertinet ex officio ad Sacerdotem. Ref. 56. pag. 68.

Benedictio Dei data Sabbato quid fuerit? Ref. 10. pag. 12.
Benedictio in Sacris litteris quid importet. Ref. 43. pag. 50.
Benedictio univerſarum cognationum data Abrahæ, completa eſt in Chriſto Domino. Ref. 51. pag. 62.
Benedictione data Iacob, cur Iſaac expavit. Ref. 84. pag. 103.
Beneficia conferre non laborantibus in Eccleſia Dei, univerſale ſcandalum eſt. Ref. 258. pag. 302.
Beneficia Dei augent magis peccatum ſubſequentem. Ref. 277. pag. 326.
Beneficia Dei præterita, & præſentia debent eſſe ſingulare motivum ad ipſum ardentius diligendum. Ref. 331. pag. 392.
Bona temporalia, quare promittebantur in antiqua lege? Reg 171. pag. 202.
Bonum commune ut conſervetur, detrahendum eſt bono particulari. Ref. 318. pag. 375.

C

CAath cur movit ſeditionem contra Moyſen? Ref. 286. pag. 336.
Caim obtulit Deo de fructibus corroſis, & putrefactis. Ref 27. p. 32.
Caim magis laboravit in acquirendo cibos, quam Adæ poſteritas per Seth Ref. 28. pag. 33.
Caim mutavit ſimplicitatem primi ſæculi in malitiam, exercuitque rapinas. Ref. 30. pag. 36.
Caim deſperavit de Divina Miſericordia; & quomodò intelligantur illa verba [Qui occiderit Caim ſeptuplum punietur?] Ref. 29 pag. 34.
Calliditas Serpentis ad quem principaliter referatur? Ref. 19. pag. 23.
Carnes hoſtiæ immolatæ pro peccato non poterant comedi à mulieribus, ſed à ſolis filijs maſculis Sacerdotum. Ref. 229. pag. 266.
Carnes Hoſtiæ pacificæ debebant comedi eadem die: hoſtiæ verò votivæ poterant comedi etiam ſecunda die, & quare? Ref. 231. pag. 268.
Caro generata ex alimento eſt impurior quam prima deperdita. Ref. 13. p. 16.
Cerebrum hominis diverſimodè ſe habet, in quadraturis ex coniunctionibus Lunæ. Ref. 41. pag. 48.
Cete grandia quid ſint, & quid de ipſis turpiter dicant Hebræi? Ref. 6. pag. 7.
Cham peccans cur non maledicatur à patre in propria perſona? Ref. 45. p. 54.
Cherubim habens flammeum gladium ante Paradiſum, quomodo intelligatur? Ref. 25. pag. 30.
Clibanus fumans, & Lampas tranſiens inter partes animalium, quid ſignificaret? Ref. 59. pag. 73.
Circumciſio tria neceſſario requirebat. Ref. 61. pag. 75.
Circumciſio quare habebat determinatam corporis partem? & cur dicatur fœdus æternum? ibidem.
Cognitio prophetica fit tribus modis. Ref. 281. pag. 330.

Coitus tam hominum, quàm Iumentorum non fuit in Arcâ. Ref. 38. pag. 45.
Comedere in Veſpere ſalubrius eſt, quam in Meridie. Ref. 159. pag. 189.
Comminatio Dei non adimpleta, non arguit mutabilitatem in Deo, ſed in libero arbitrio hominis. Ref. 302. pag. 356.
Confeſſio facta Hirco quid denotaret? Ref. 247. pag. 288.
Confirmatio antiquæ legis cur facta fuerit per ignem obſcurum? R. 324. p. 383.
Conſecrationes Sacerdotum, eorumque ſignificationes. Ref. 199. pag. 233.
Coſta Adæ non fuit ſublata nuda, ſed cum aliqua carne ſibi adhærente. Ref. 17. pag. 21.
Crux quare, & quomodo adoranda. Ref. 168. pag. 199.
Cubiti extenſio quanta ſit. Ref. 36. pag. 41.
Cultus unius veri Dei firmat Regna; ceſſatio illius eradicat Imperia. Ref. 58. par. 71.
Cultus Simulacrorum dicit ſupremam malitiam. Ref. 342. pag. 404.

D

DEambulare Dei ad auram, quomodo intelligatur? Ref. 21. pag. 26.
Decima prò pauperibus fiebat de triennio in triennium. R. 337. p. 399.
Decimæ non dabantur in ſeptimo anno. Ref. 258. pag. 322.
Deum eſſe, eſt per ſe naturaliter notum. Ref. 132. pag. 158.
Deus, licet puniat, tamen in ipſa punitione miſeretur. Ref. 25. pag. 30.
Deus totaliter excedit conditionem noſtri intellectus. Ref. 1. pag. 2.
Deus in aliqua ſimilitudine creata apparuit Adæ poſt illius tranſgreſſionem. Ref. 21. pag. 26.
Deus cum dicitur deſcendere, quid importet? Ref. 50. pag. 60.
Deus cur iuravit per ſemetipſum? Re. 74. pag. 90.
Deus quare puniebat magis Iudæos idololatrantes quam alias gentes? Ref. 210. pag. 244.
Deus quare prohibuit Balaam maledicere Iſraelitis, cum iſta nihil illis nocere poſſet. Ref. 297. pag. 350.
Diabolus non habebat poteſtatem tentandi hominem interius in ſtatu innocentiæ. Ref. 19. pag. 23.
Diabolus non poteſt tranſmutare compoſitum in aliud compoſitum. Ref. 135. pag. 162.
Diluvium quo anni tempore acciderit. Ref. 39. pag. 46.
Diviſio animalium facta ab Abram, quid ſignificaret? Ref. 58. pag. 72.
Dominatio in Republica plebei hominis eſt valde periculoſa. R. 320. p. 379.
Dominium eſt homini naturale. Ref. 9. pag. 11.
Dominus occidens ſervum incurrebat eandem pœnam, ac ſi occidiſſet hominem liberum. Ref. 180. pag. 211.
Domus intra civitatem, vel villas muratas non poterat redimi anno elapſo. Ref. 260. pag. 305.

E

Ecleſia quare tranſtulit feſtum Sabbati in Dominicam? Ref. 326. p. 386.
Elementa quomodo fuerint diſtincta, & cur in tex. fiat tantum mentio de Terra, & Aqua? Ref. 4. pag. 5.
Elevatio manuum Moyſis in bello, quid denotaret? Ref. 163. pag. 193.
Empyreum cur ſic vocetur, & quare Moyſes non fecerit de illo ſpecialem mentionem? Ref. 1. pag. 2.
Enos quare dicatur invocaſſe nomen Domini, & cum Deo ambulaſſe. Ref. 32. pag. 37.
Epiſcopi, & alij Prælati Eccleſiæ, quomodo debeant regere ſubditos. Ref. 335. pag. 396.
Eſau invenit modos fallendi Aves. Ref. 80. pag. 98. *Fuit Simoniacus in vendenda primogenitura. Ref.* 81. pag. 99.
Eſus ſanguinis, & Adipis erat prohibitus ſub pœna mortis. R. 122. p. 260.
Eucharistiæ Sacrificium ſucceſſit loco veterum ſacrificiorum. R. 200. p. 234.
Expulſio primorum parentum de Paradiſo qua hora acciderit? Ref. 21 p. 26.

F

Facies Moyſis quare dicebatur cornuta? Ref. 212. pag. 248.
Feneſtra Arcæ de qua materia fuerit? Ref. 38. pag. 45.
Fermentatum ſemper removebatur à Sacrificio. Ref. 221. pag. 258.
Feſtivitates, Solemnitates, & Feriæ quomodo differant, & quare non fuerint inſtitutæ à Chriſto Domino? Ref. 255. pag. 298.
Feſtum expiationis fiebat duplici de cauſa. Ref. 246. pag. 286.
Filiæ Lot quare dormierunt cum Patre? Ref. 69. pag. 84.
Filius in lege naturæ quid agere debebat antequam conſequeretur paternam benedictionem. Ref. 83. pag. 101.
Fimbriæ hyacinthinæ quare iuſſæ Hebræis. Ref. 285. pag. 335.
Firmamentum proprie acceptum. Et quomodò dividat aquas ab aquis? Ref. 3. pag. 4.
Fractio Tabularum, fuit ſignum evacuationis Legalium in adventu Chriſti Domini. Ref. 208. pag. 241.
Fructus percepti ab emptore fundi, computabantur in ſortem, deductis laboribus. Ref. 259. pag. 304.
Furans hominem, eumque vendens pœnam mortis incurrebat. R. 180. p. 211.

G

Generatio in tenera ætate facta mala eſt. Ref. 89. pag. 110.
Generatio, in Sacra ſcriptura, aliquando accipitur pro eventu rei. Ref. 99. pag. 120.
Generoſitas Moyſis in contemnenda morte, ut obediret Deo. Ref. 314. p. 370.

Gentiles per quid ſalvabantur in lege naturæ, & tempore legis ſcriptæ. Ref. 63. pag. 78.

Gentiles cur colebant ſeptem planetas? Ref. 301. pag. 354.

Gentiles adorabant corpora cœleſtia, & off rebant Libamina Lunæ. Ref. 341. pag. 403.

Gradus coniugij illiciti prohibitio. Ref. 250. pag. 291.

Gratia eſt aliquod mollificativum animæ. Eius privatio reddit animam duram, & ad bonum immobilem: eius ſubtractio nullam dicit imperfectionem in Deo. Gratia vero, quam Deus largitur homini poſt lapſum, vocatur prima gratia, quæ non cadit ſub merito. Ref. 142. pag. 170.

Gratia quam dedit Deus populo ſuo coram ægyptijs quid fuerit? Ref. 146. pag. 175.

Græci computant annos ſuos à primo anno Regni Alexandri, cum priùs computarent eos per Olimpiades. Ref. 148. pag. 177.

H

HEbræi computant annos ſuos ab eductione de Egypto, cum priùs illos computarent ab Orbe condito. Ref. 148. pag. 177.

Hercules cur lavit ſe in fonte Libyæ? Ref. 349. pag. 412.

Hæreditas quare non fuit aſſignata Sacerdotibus, & Levitis? R. 289. p. 341.

Heva cur magis a ſerpente, quam ab alio animali tentata fuerit. Multipliciter peccavit, antequam comederet de fructu arboris. Dubitavit de morte futura, licet Deus abſolute illam comminaſſet. Ref. 19. pag. 23.

Hevæ nomen quid ſignificet. Ref. 24. pag. 30.

Hiſpania, Celtiberia, & Heſperia vocata. Ref. 46. pag. 55.

Holocauſtum quare ſic dictum, & quid ſignificaret? Ref. 219. pag. 255.

Homicidium, ſi erat voluntarium, non gaudebat occiſor de immunitate Sanctuarij. Ref. 318. pag. 376.

Homines primi ſæculi cur pervenirent ad tam longam ætatem. R. 33. p. 38.

Homo immundus uſque ad occaſum Solis, quid ſignificaret? Ref. 239. p. 277.

Homo coeundo etiam cum propria uxore contrahebat immunditiam impedientem illum ab ingreſſu Sanctuarij. Ref. 244. pag. 285.

Homo, ſi permanſiſſet in ſtatu innocentiæ, numquam probaſſet ſenectutem. Ref. 13. pag. 16.

Homo in periculis conſtitutus, omittens illa, quæ dictat humana prudentia, graviſſimè peccat. Ref. 315. pag. 372.

Homo naturalitèr optat uivere in Politia, & quare ſeparatio ab illa ſit illi doloroſa. Ref. 324. pag. 384.

Homo in adverſitate poſitus, magis cognoſcit Deum, quam in proſperitate. Ref. 329. pag. 390.

Honores quando virtuosè fugiantur, & quando non. Ref. 108. pag. 130.

Horizonte mutato ſequitur mutatio Aſcendentis in Domibus Cæli. Ref. 302. pag. 356.
Hoſtia pacifica ad quid immolabatur, & quare ſic vocaretur. Ref 228. pag. 259.

I

Iacob manſit quatuordecim annos in Tabernaculis Melchiſedech, & Heber, ut res divinas addiſceret. Ref. 80. pag. 98.
Idioma primum in Orbe quale fuerit. Ref. 49. pag. 58.
Idiomata communiter tenetur fuiſſe ſeptuaginta duo. Ref. 50. pag. 61.
Idolatræ quare in coniunctionibus Planetarum faciebant coire diverſa ſpecie animalia; & in agro ſeminabant diverſa coniunctim ſemina; & veſtibus ex pluribus contextis utebantur? Ref. 251. pag. 293.
Idolatria quando, & quomodo inceperit. Ref. 51. pag. 61. & R. 300. p. 353.
Idolum Moloch quomodo eſſet; & quare Iudæi ſacrificarent illi filios ſuos? Ref. 252. pag. 294.
Ignis ſacer Sanctuarij non poterat extingui aquis, & fuit conſervatus uſque ad captivitatem Babylonicam. Ref. 234. pag. 272.
Ignis profanus in Atrio, ad quid inſerviret? Ref. 235. pag. 273.
Immaginativa, quam virtutem habeat ſuper materiam unde fiunt conceptus? Ref. 90. pag. 111.
Imagines cur permiſſæ Chriſtianis? Ref. 168. pag. 199.
Imago, & ſimilitudo Dei in homine quid importet? Ref. 8. pag. 10.
Immunditia in veteri lege duplex erat. Ref. 290. pag. 341. & Ref. 238. pag. 275.
Immunditia mulieris parientis maſculum, vel fœminam. Ref. 240. p. 278.
Induratio cordis Pharaonis, quid propriè eſſet? Ref. 142. pag. 169.
Iniquitas Sanctuarij in quo conſiſteret? Ref. 289. pag. 340.
Iris quomodo generetur? Ref. 44. pag. 52.
Iſaac habens Vxorem ſterilem, cur non accepit aliam minus principalem ſicut fecit Pater? Ref. 79. pag. 97.
Iſaac cur non deſcendit in Ægyptum, cũ in Paleſtina eſſet fames? Ref. 82. pag. 100.
Iubilæum quare ſic dictum? Ref. 259. pag. 303.
Iudicium debet fieri in tranquillitate animi, quæ ſignificatur per ſeſſionem Iudicis. Ref. 164. pag. 194.
Iuge Sacrificium duplex erat. Ref. 288. pag. 265.
Iuſti ex ſocietate malorum incurrunt aliquando pœnam temporalem. Ref. 55. pag. 66.
Iuſtitia originalis quid eſſet, & in quo conſiſteret? Ref. 19. pag. 23.
Iuſtitia quare vocetur ab Ariſtotele optima virtus, & ſicut Lucifer inter Aſtra. Ref. 348. pag. 411.

Digitized by Google

L

Labor à Deo homini comminatus eſt communis omnibus. Ref. 24. p. 29.
Labores reddunt homines fortiores ad bella tractanda. Ref. 283. p. 334.
Lamech introduxit bigamiam contra naturæ inſtitutionem. Et quare Sanctis Patribus permiſſa fuerit. Ref. 31. pag. 36.
Lapis à Iacob in monte erectus quid figuraret? Ref. 87. pag. 107.
Lapis Saphirinus viſus ab Iſraelitis, quid denotaret? Ref. 186. pag. 217.
Legislator non debet ponere alicui Politiæ legem ſimpliciter bonam. Ref. 357. pag. 422.
Lepra quomodo cognoſcebatur? Et quare ſpectabat illius cognitio ad Sacerdotem. Ref. 241. pag. 281.
Lepra quomodo eſſet in veſte? Ref. 242. pag. 281.
Leproſi mundatio quas cerimonias admitteret? Ref. 243. pag. 282.
Levitæ quare fuerint electi ad miniſtrandum Deo, cæteris excluſis. Ref. 268. pag. 315.
Levitæ aliquando veniunt ſub nomine Iſraelitarum, aliquando non. Ref. 266. pag. 313.
Levitæ ponebantur in vigeſimo quinto anno ad miniſterium ſuum addiſcendum; ſed non miniſtrabant niſi in vigeſimo, & ceſſabant miniſtrare in quinquageſimo. Ref. 269. pag. 317. Et Ref. 274. pag. 323.
Levitæ non poterant, in ſuburbanis ſibi aſſignatis, facere agros, vel vineas. Ref. 289. pag. 341. & Ref. 318. pag. 375.
Lex Evangelica eſt data toti mundo, ſed non obligat omnes ad perfectionem. Ref. 272 pag. 321.
Lex Moſaica non inducebat per obſervantiam ſuam aliquam utilitatem directè. Ref. 226. pag. 263.
Lex Divina verè eſt ſapientia. Ref. 323. pag. 382.
Liber vitæ quid ſit, & quomodo aliqui ſcribantur, vel deleantur. Ref. 209. pag. 243.
Libri Sibyllarum conſervabantur in Capitolio. Ref. 345. pag. 408.
Lignum vitæ ad quid poſitum in Paradiſo? Ref. 13. pag. 15.
Lignum ſcientiæ boni, & mali quare ſic denominatum? Ref. 15. pag. 18.
Lotio Sacerdotum ante eorum conſecrationem quid ſignificaret; & quare fiebat in manibus, & pedibus eorum? Ref. 232. pag. 270.
Lutherani dictum de vita, & morte. Ref. 301. pag. 355.

M

Madianitæ puellæ quomodo cognoſcebantur eſſe virgines? Ref. 314. pag. 371.
Mala, quæ Iudæi ſuſtinebant in Ægypto, quare permittebantur à Deo. Ref. 132. pag. 158.

Maledictio ſerpentis, in quo conſiſtat? Reſ. 22. pag. 27.
Maledictus, in Sacra ſcriptura, idem eſt, ac patiens pænas. Reſ. 351. pag. 414.
Malis benè uti, proprium eſt Divinæ Sapientiæ, ac Bonitatis, quæ illa convertit ad rectitudinem alicuius boni effectus. Reſ. 110. pag. 132.
Manna liqueſiebat ad calorem ſolis, & indurabatur ad calorem ignis. Reſ. 261. pag. 191.
Manna conſervata in Arca quid ſignificaret? Reſ. 193. pag. 225.
Meditatio Divinæ præſentiæ retrahit hominem a peccato. Reſ. 61. pag. 75.
Medius Siclus quare dabatur ab Iſraelitis. Et quid eſſet tranſire ad nomen? Reſ. 203. pag. 237.
Mel cur excludebatur a ſacrificio Domini? Reſ. 221. pag. 258.
Memoria peccatorum quando meditanda, quando fugienda. Reſ. 332. p. 393.
Menſa propoſitionis, quare ſic vocata? Reſ. 190. pag. 221.
Methodius martyr, quid referat de filijs Iſmael ex annalibus ſæculorum? Reſ. 62. pag. 77.
Modus quo Deus gubernat inferiora non intelligitur, niſi à Beatis in Cælo exiſtentibus. Reſ. 50. pag. 60.
Moralis Doctrina inanis eſt, niſi reducatur ad opus. Reſ. 328. pag. 389.
Mors animalis quare acceptabatur à Deo in ſacrificio? Reſ. 222. pag. 259.
Moyſes, & Aaron, in quo peccaverunt ad aquas contradictionis. Reſ. 292. pag. 344.

N

Nadab, & Abiu non fuerunt devorati ab igne, ſed occiſi. Nec veſtes eorum ſuccenſæ, ſed cum ipſis intactis ſepulti. Et ex hoc molevit laudabilis conſuetudo, quod Sacerdotes novæ legis ſepeliantur cum veſtibus Sacerdotalibus. Reſ. 235. pag. 273.
Natura humana cur producta in uno individuo in ſexu virili? Reſ. 11. pag. 14.
Nazaræi quare ſic vocati? Reſ. 272. pag. 320.
Nefanda Priapi Sacrificia continebant omne genus carnalis abominationis. Reſ. 330. pag. 391.
Nembrod traditur inveniſſe aſtrologiam. Fuit libidine dominandi avidus. Et quare dicatur Robuſtus venator coram Domino *Reſ. 47. pag. 56.*
Ninive ſic vocata à Nino primo Rege Aſſyriorum. Duravit hoc regnum per annos mille quadringentos. Reſ. 47. pag. 57.
Noe invenit ruſticalia inſtrumenta. Reſ. 33. pag. 39.
Noe laboravit in conſtructione Arcæ una cum tribus filijs ſuis, & alijs hominibus, mercede conductis, centum annos. Reſ. 37. pag. 43.
Noe habens vinum quare ſtatim inebriatus eſt? Reſ. 45. pag. 53.

Noë cur expectabat ſeptem dies inter unam miſſionem Columbæ, & alteram? Ref. 41. pag. 48.
Noemia invenit lanificium. Ref. 31. pag. 37.
Nomen Domini Tetragrammaton quantæ venerationis eſſet? & quid ſignificaret? Ref. 133. pag. 159. Et cur ſcriptum in lamina ſancta in fronte Sacerdotis. Ref. 217. pag. 252.
Nothi, ſpurij, manſeres, & eunuchi, repellebantur, tum ab honoribus, tum ab ingreſſu Atrij, utpotè perſonæ contemptibiles. Ref. 354. p. 418.
Nubes caliginoſa ſuper montem Sinai, quid denotaret? Ref. 167. pag. 197.
Nubes operiens Tabernaculum quid ſignificaret? Ref. 218. pag. 252.
Numerus annorum manſionis filiorum Iſrael in Ægypto, à quo tempore ſit accipiendus? Ref. 153. pag. 182.

O

Obedientia virium inferiorum reſpectu rationis, & corporis reſpectu animæ quare homini ſubtracta? Ref. 9. pag. 11.
Oblationes Principum tribuum, eorumque ſignificatio. Ref. 273. pag. 321.
Oblationes concomitantes Sacrificium quot eſſent, eorumque rationes. Ref. 221. pag. 258.
Oblationes omnes pertinebant ad Sacerdotes, & Levitas; nempe Decimæ, Primitiæ, dona Deo facta, & Redemptiones primogenitorum. Ref. 256. pag. 300.
Obſervatio Legis in principio multum curanda eſt, eiuſque tranſgreſſio rigore punienda. Ref. 236. pag. 274.
Obtenebratio circa agibilia, provenit ex peccato antecedenti. Ref. 284. pag. 335.
Occidens aliquem inſidioſe, evellendus erat etiam ab Altari Dei. Ref. 180. pag. 211.
Oculi primorum parentum, quomodo fuerint aperti, & quid per oculos intelligatur? Ref. 20. pag. 25.
Odium quod habet homo contra ſerpentem eſt innatum, & quare. Ref. 22 pag. 27.
Oleo quo ungebatur Tabernaculum, non poterat ungi caro hominis ſub pœna mortis, exceptis Sacerdotibus, & Regibus. Nec poterat ab aliquo confici, ut tali odore perfrueretur. Ref. 204. pag. 238.
Oleum, Thus non offerebantur in ſacrificio pro peccato. Ref. 226. pag. 264.
Opera legis ſecundum ſe, non iuſtificabant, ſed ex obedientia, & fide Mediatoris tunc futuri. Ref. 249. pag. 291.
Operimentum Tabernaculi quotuplex eſſet. Ref. 192. pag. 223.
Opus Tabernaculi, licet eſſet ad honorem Dei, tamen non poterat fieri in Sabbato. Ref. 205. pag. 239. & Ref. 211. pag. 248.

Oratio

Oratio fienda eſt in Aurora. Ref. 214. pag. 249.

Orationi inſtandum eſt etiam in obtinendis illis, quæ Deus facere diſpoſuit. Ref. 156. pag. 186.

Ornamenta Summi Pontificis quot eſſent, eorumque ſignificationes. Ref. 197. pag. 229. & ſequenti.

Ornatus ſtrictè acceptus quid importet? Ref. 4. pag. 5.

Ornatus depoſitus ab Iſraelitis iuſſu Dei poſt fabricationem idoli, quid eſſet? Ref. 210. pag. 245.

Oves quatuor reſtituebantur pro furto unius tantum ovis, cum tamen in alijs furtis ſufficeret reddere duplum. Ref. 181. pag. 212.

P

PAnes propoſitionis quomodo diſponebantur? Ref. 257. pag. 301.

Paradiſus terreſtris erat debitus ſtatui Innocentiæ. Ref. 12. pag. 14.

Paradiſus terreſtris, in qua parte Orientis ſit, & de illius altitudine ibidem.

Partes pudendæ quare cauſent in nobis erubeſcentiam? Ref. 20. pag. 25.

Peccata poſteriora, ratione ingratitudinis, ſunt graviora. Ref. 263. p. 308.

Peccatum Pontificis maius eſt quocumque alio; ideoque carnes talis Sacrificij, non cremabantur in Sanctuario, ſed extra caſtra. Ref. 223. p. 260.

Peccatum Principis eſt magnum extenſivè; tamen carnes talis Sacrificij non portabantur extra caſtra. Et quare pro peccato Principis offerebatur hircus? Ref. 225. pag. 262.

Peccatum in Spiritum Sanctum proprie acceptum quando ſit. Ref. 227. pag. 265.

Peccatum non remittebatur ex conditione Sacrificiorum, ſed ex fide, & obedientia, & contritione offerentis. Ref. 226. pag. 263.

Pœnalitates non poterant eſſe in ſtatu innocentiæ. Ref. 15. pag. 18.

Phantaſia dominatur toti naturæ corporali, maxime in ſomno. Ref. 244. pag. 284.

Pompei calamitas accidit ex contemptu Templi Dei. Ref. 305. pag. 360.

Populus conſtituitur per decem homines, ſed non per minorem numerum; Ref. 66. pag. 82.

Præcepta Decalogi duo ultima, quare prohibeant etiam actum interiorem, non vero alia? Ref. 176. pag. 206.

Præcepta reſpectu veteris Teſtamenti diſtingui poſſunt in quatuor genera. Ref. 177. pag. 207. *Et cum ſint de lege naturæ, quare data fuerunt per legem poſitivam?* ibidem.

Præceptum de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, quare dederit Deus Adæ? Ref. 15. pag. 18.

Præceptum Sabbati partim eſt morale, partim cerimoniale. Ref. 326. pag. 386.

Præceptum de non commedendo carnem cum ſanguine, dátum in lege naturæ quare non obliget in nova lege? Ref. 43. pag. 51.
Prædicata tripliciter dicuntur de Deo. Ref. 133. pag. 160.
Primogeniti in lege naturæ erant Sacerdotes. Ref. 81. pag. 99.
Primogeniti in nova lege, quare non ſint ſpecialitèr obligati Deo, ſicut in antiqua? Ref. 268. pag. 315.
Principatus, & communicatio œconomica, non poterant eſſe in ſtatu Innocentiæ. Ref. 23. pag. 28.
Principem non decet eſſe puſillanimem in adverſis, & quare. Ref. 310. pag. 365.
Promiſſa Dei ſunt conditionalia, & quomodo intelligenda? Ref. 57. p. 70.
Propheta quando eſſet occidendus? Ref. 336. pag. 397.
Prophetæ non ſunt abundatiores ſapientia, & conſilio alijs hominibus. Ref. 165. pag. 195.
Prophetia proprie, & large dicta. Ref. 73. pag. 89.
Proſperitas quare faciat homines immemores amicorum. Ref. 105. p. 127.
Providentia Divina quodam ſpeciali modo reſpicit Principes. Ref. 106. pag. 128.
Provincia qualibet habet Angelum de ordine ſuperiori, & ſub illo multos de ordine inferiori ad illam regendam. Ref. 92. pag. 113.

Q

Quadrata figura exercitus, eſt optima diſpoſitio ad bellum. Ref. 267. pag. 314.
Quantitas veſtimentorum in Deſerto, creſcebat, ipſis pueris creſcentibus. Ref. 331. pag. 392.
Quantitas prædæ in bello debebat æqualitèr dividi. Ref. 348. pag. 411.
Quantitas Terræ promiſſionis, cur fuerit præfinita? Ref. 317. pag. 374.
Quantitas mannæ accipienda erat æqualiter per ſingula capita, & quare facta fuerit talis aſſignatio? Ref. 161. pag. 191.
Quantitati corporeæ proprie convenit locatio. Ref. 127. pag. 152.
Quatuor genera hominum arcebantur à bello. Ref. 247. pag. 410.
Quies politica conſervatur per æqualitatem iuſtitiæ commutativæ. Ref. 164. pag. 194.
Quieſcere Dei ab opere ſuo, quid importet? Ref. 10. pag. 12.

R

Rachel quare furata eſt Idola Patris? Ref. 91. pag. 112.
Ratio abſorbetur in actu venereo. Ref. 20. pag. 25.
Redditus Eccleſiæ Miniſtris, & pauperibus tantum ſunt diſtribuendi. Ref. 359. pag. 425.

Regalis politia eſt melior omnibus alijs. Ref. 342. pag. 404.
Reges antiquitus erant Domini unius tantum Ciuitatis, vel parvi Oppidi. Ref. 55. pag. 67.
Regis permiſſio Iſraelitis fuit ad malum populi, ipſum Regem male petentis. Ref. 342. pag. 404.
Repudium quare permiſſum in lege antiqua, & prohibitum in nova. Ref. 357. pag. 421.
Res ſacræ quanto pulchriores ſunt, tanto magis elevant mentem ad Cæleſtia. Ref. 338. pag. 400.
Res immobilis redibat ad priorem Dominum in iubilæo, ſed non res mobilis. Ref. 259. pag. 303.
Revelationes Divinæ ſolent fieri mentibus à perturbationibus ſæculi totaliter purgatis. Ref. 54. pag. 66.
Romani dominantes terram Iudæorum inſtituebant Reges, & Pontifices Ref. 305. pag. 360.
Romanum Imperium à quo deſcendat ſecundum Iudæos. Ref. 98. pag. 120.
Romanus exercitus in bello Cannenſi quare deletus fuerit? Ref. 310. p. 365.
Rubus ardens, & non comburens quid ſignificaret? Ref. 128. pag. 153.
Ruminatio in animalibus eſt ſignũ temperatæ complexionis. R. 237. p 275.

S

Sabbati ſantificatio, in quo conſiſtat? Ref. 10. p. 13. & Ref. 170. p. 200.
Sacerdotes non poterant ſibi retinere res immobiles, quas per votum factum à ſecularibus recipiebant; ſed tenebantur vendere ipſi voventi, vel alijs de Tribu ſua, Ref. 265. pag. 310.
Sacerdotes portabant cineres extra caſtra, & quare reſolvebantur uſque ad favillam. Ref. 228. pag. 266.
Sacerdotes cur prohibiti intervenire exequijs mortuorum. Ref. 253. p. 295.
Sacerdotes tangebant Sacrum Tabernaculi pavimentum nudis pedibus. Vngebantur ſanguine Arietis immolati in extremo auriculæ dexteræ manus, ac pedis dexteri. Ref. 232. pag. 270.
Sacerdotes ſi non habeant unde convenienter vivant, vileſcit eorum miniſterium. Ref. 113. pag. 135. Vnde Sacerdotes Egyptij recipiebant alimenta à Rege. ibidem.
Sacrificia cur fiebant de tribus ſpeciebus animalium terreſtrium, & de duabus ſpeciebus avium? Ref. 220. pag. 256.
Sacrificij conſumatio, erat in crematione incenſi. Ref. 202. pag. 236.
Sanctuarium habebat omnia totaliter aurea, aut auro puriſſimo cooperta. Ref. 215. par. 250.
Sanctuariũ dicebatur pollui ex peccatis Sacerdotũ, & populi. R. 247. p. 288.
Sanctuarium non habebat ullos redditus. Ref. 256. pag. 300.
Sanguis victimarum aſperſus ſuper altare, & ſuper populum, quid denotaret? Ref. 186. pag. 217.

San-

Sanguis tingens Cornua Altaris quid ſignificaret? Ref. 200. pag. 233.
Sanguis aſperſus directe contra Oraculum quid denotaret? Ref. 247. p 288.
Saræ pudicitia ſervatur illæſa, etiam inter Aulicos. Ref. 53. pag. 64.
Scala quam vidit Iacob in ſomno, quid ſignificaret? Ref. 86. pag. 105.
Scientiæ ex Ægyptijs tranſierunt ad Græcos. Ref. 53. pag. 64.
Sem eſt Melchiſedech, ita dictus propter bonitatem ſui Regiminis. Fuit Rex Ieruſalem, & Sacerdos. Et in quo ſenſu dicatur non habuiſſe patrem, nec matrem, nec genealogiam, nec principium vitæ, nec finem, ut loquitur Apoſtolus Ref. 48. pag. 58.
Senectus quomodo inducatur. Ref. 13. pag. 16.
Serpens æneus ad quid fuerit poſitus in deſerto, & cuius eſſet figura? Ref. 294. pag. 347.
Servitus reddit homines ineptos ad bellum, & ad animoſas virilitates. Ref. 156. pag. 186.
Servo Ebræo, nolenti in ſeptimo anno exire de ſervitute, quare perforabatur auris Subula. Ref. 178. pag. 209.
Sibyllarum vaticinatio de Chriſto Domino. Ref. 345. pag. 407.
Signum poſitum à Deo ſuper Caim quid eſſet? Ref. 29. pag. 35.
Simila ſpectabat ad Sacerdotes, qui de illa faciebant panes azymos in Sanctuario, & iſti comedebantur a ſolis filijs maſculis ipſorum Sacerdotum. Ref. 229. pag. 267.
Sodomitæ propter delicias terræ ſuæ, & otium, non ſolum ad illicita, ſed etiam ad nefanda defluxerunt. Occiderunt acerbiſſima morte Puellam, eo quod dederat eleemoſynam pauperi ipſam petenti. Ref. 66. pag. 81.
Somnus quomodo fiat. Ref. 17. pag. 20.
Sopor, & horror ſuper Abraham quid ſignificaret? Ref. 59. pag. 72.
Sors quare mittebatur ſuper duos hircos? Ref. 246. pag. 287.
Status naturæ conditæ, ſeu originalis iuſtitia, quid importaret. Ref. 9. p. 11.
Stillico combuſſit libros ſibyllinos. Ref. 345. pag. 407.
Summus Sacerdos ungebatur in capite, non verò reliqui Sacerdotes. Ref. 199. pag. 233.
Summus Sacerdos debebat ducere uxorem Virginem de tribu ſua; vel de ſtirpe Regia. Ref. 253. pag. 296.
Superior diſtribuens uni perſonæ plura beneficia quàm neceſſe ſit ſuſtentationi illius, iniuſtus eſt. Ref. 320. pag. 380.

T

Tabernaculi interioris, & exterioris ſignificatio. Ref. 193. pag. 225.
Tabulæ legis de qua materia fuerint? Ref. 187. pag. 218.
Talionis pœna quomodo reduceretur in praxi? Ref. 180. pag. 211.
Tentari hominem conveniens fuit, licet Deus ſciret illum eſſe caſurum. Ref. 20. pag. 25.

Terrà in ſeptimo anno non colebatur. Et Dominus fundi, non poterat recipere fructus niſi ad ſuæ familiæ ſuſtentationem. Ref. 258. pag. 302.
Thymiama cremabatur mane & veſpere ſuper Altare incenſi. Ref. 195. pag. 227.
Tribuum, & Familiarum diſtinctio quare iuſſa à Domino? Ref 259. p. 304.
Trinitas in divinis individuè operatur ea quæ ſunt ab extra; ſecus autem ea, quæ ſunt ab intra. Ref. 8. pag. 10.
Tubalcaim inveuit artem ferrariam, & res bellicas docuit. R. 31. p. 36.
Tubis argenteis clangebatur ſuper Holocauſtum, & ſuper Hoſtias pacificas, non vero ſuper Hoſtias pro peccato. Ref. 276 pag. 325.
Turris Babel ad quam altitudinem pervenire debebat ſecundum intentionem ædificantium, & quomodo peccaverunt? Ref. 49. pag. 59.

V

Vacca Rufæ immolatio, eiuſque cerimoniæ, & ſignificationes. Ref. 290. pag. 342.
Vas fictile, in quo caro Sacrificij cocta fuerat, confringebatur; Æneum vero lavabatur. Ref. 229. pag. 267.
Verba, creſcite, & multiplicamini, quando ſonabant præceptum? Ref. 43. pag. 50.
Verba Dei iuramento firmata per quid differant, a non iuramento firmatis? Ref. 74. pag. 90.
Verba Domini dicentis ad Moyſem Ego ſum, qui ſum quid importarent? Ref. 129. pag. 154.
Veritas Sacræ Scripturæ non debet argui ex veritate Sacræ Scripturæ. Ref. 323. pag. 382.
Veſper dicitur non ſolum tempus in quo Sol occidit ſub Horizontem; ſed ſtatim ac incipit declinare a puncto Circuli Meridiani. Ref. 339 pag. 401
Vir & Vxor quomodo ſint duo in carne una? Ref. 18. pag. 21.
Vir regens Rempublicam, ſi non ſit contentus honore, & gloria, quam Civitas illi tribuit, ſed requirit alti, Tyrannus eſt. Ref. 83. pag. 102.
Vir luctans cum Iacob quis eſſet; & quare luctaretur cum eo uſque ad Auroram? Ref. 93. pag. 114.
Vir & Vxor debent ſe valde diligere, ut tollantur tædia, quæ in communicatione continuata naſcuntur. Ref. 18. pag. 22.
Vir Iſraelita debebat ducere Vxorem de Tribu ſua; diſpenſatum tamen fuit, ut Tribus Sacerdotalis, & Regia poſſent ad invicem contrahere matrimonia. Ref. 319. pag. 377.
Vir non arctatur tantum legibus Matrimonij, quantum Vxor. Ref. 353. pag. 416.
Virga Aaron quare protulit Amygdalas. Ref. 288. pag. 339.

Virga Moyſis eiuſque portentia quid ſignificarent? Ref. 130. pag. 155.
Virgæ Magorum non fuerunt converſæ virtute Dæmonum in Serpentes, ſed ſolummodo apparenter. Vel ſi fuit vera converſio, accidit virtute divina. Ref. 135. pag. 162.
Virgo Deipara, licet exempta à lege Mulieris parientis, tamen voluit eam obſervare ex humilitate. Ref. 240. pag. 279.
Virtutis profectus conſiſtit in tolerantia adverſitatum. Ref. 91. pag. 112.
Vnio Principis ſæcularis cum Eccleſiaſtico, conſervat pacem Reipublicæ. Ref. 319. pag. 377.
Vnitas legum, & identitas loci requiritur ad populi unitatem. R. 95. p. 117.
Voluntas regit omnes alias partes corporis principatu diſpotico; partes autem genitales principatu politico, rogando, & ſuadendo. R. 20. p. 25.
Voti tranſgreſſio, punitur a Deo tempore ſuo. Ref. 356. pag. 420.
Votum eſt magis obligatorium, quam iuramentum. Ref. 313. pag. 369.
Votũ delendi Vrbes Chananæorum quare eſſet Deo acceptum? R. 294. p. 346.
Vſuræ quare permiſſæ Iudæis? Ref. 356. pag. 420.
Vultus Moyſis quomodo induit radios luminoſos, ita ut non poſſent intendere in eum filij Irael? Ref. 211. pag. 246.
Vxor, & Concubina plerumque in Sacra Scriptura promiſcue accipiuntur Ref. 77. pag. 95.
Vxor Lot reſpiciens retro quare peccaverit? Ref. 68. pag. 83.
Vxorum pluralitas cur permiſſa ante, & poſt legem ſcriptam. Ref. 350. pag. 413.
Vxorum pluralitas, quamvis pro aliquo bono fine licuerit, tamen pluralitas Virorum uni mulieri, etiam ſtante æquali bono fine, licere nequit. Ref. 89. pag. 110.

P

ZElotypia cur vocetur Spiritus? Illius Sacrificium, & cæremoniæ Ref. 271. pag. 318.
Zelus Leviticæ Tribus, firmavit in illa Sacerdotium. Ref. 369. pag. 435.
Zelus Phinees placavit Deum iratum. Ref. 307. pag. 362.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
ultimis pag. 12.	ultimus.
provideri pag. 21.	providere
non aliqua pag. 22.	non eſt aliqua.
ſi his verbis pag. 29.	his verbis.
obſequium ſum pag. 32.	obſequiũ ſuum.
vel perpetua pag. 35.	vel in perpetua.
CAP. V. pag. 34.	REFLEXIO.
planitiæ pag. 42.	planitia.
præcedentem pag. 53.	præcedens.
deſcendant Greci p. 55.	deſcēdunt Gręci.
oſtento pag. 74.	oſtenſo.
fatum pag. 84.	factum.
perierant pag. 84.	perierat.
imputabilis pag. 96.	immutabilis.
terrannus pag. 102.	Tyrannus.
ſi autem pag. 114.	ly autem.
& hic pag. 155.	Ethic.
eundenque pag. 168.	idemque.
Hebræos pag. 174.	Hebræis.
ſummi pag. 178.	ſumi.
propri pag. 209.	proprie.
ſumerent pag. 234.	ſumeret.
ponerentque pag. 234	poneretque.
Thymiamatum p. 235.	Thymiamatis.
extructionem pag. 238.	conſtructionem
tenetur pag. 238.	tenentur.
subro pag. 253.	rubo.
abruta pag. 261.	abrupta.
habendo pag. 269.	pro habendo.
impetratio pag. 272.	imprecatio.
Paſſarem pag. 283.	paſſerem.
excluden- pag. 286.	excludenda.
Sancta pag. 288.	Sancti.
dieedatur pag. 288.	dicebatur.
ut pag. 289.	&.
Aavena pag. 306.	Advena.
portare pag. 321.	portari.
calefacribat pag. 347.	caleſtebat.
miſsis pag. 349.	miſsi.
quam pag. 354.	quem.
timuerant pag. 358.	timuerunt.
cepto pag. 360.	capto.
menſionem pag 363.	mentionem.
deurſum pag. 366.	decurſum.
vires pag. 370.	vires.
Mari pag. 374.	Maris.
de pag. 377.	in.
ſomnis pag. 388.	ſomnijs.
alboribus pag. 389.	laboribus.
taliteque pag. 390.	taliſque.
peccaſſent pag. 404.	non peccaſsent.
Sex pag. 409.	lex.
ratione pag. 409	rationem.
ſæpiſsime pag. 412.	ſæpe.
fil s pag. 428.	filijs.
vivimur pag. 429.	vivimus.
cauſatæ pag. 429.	cauſæ.
Septuagintas pag. 432.	ſeptuaginta.

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google